SYSTEMA
THEOLOGICUM,
SEU
THEOLOGIA
POSITIVA ACRO-
AMATICA,
in
QUATUOR PARTES DISTINCTA,
Cum Indicibus Neceſſariis,
ACCURANTE
JOHANNE ADAMO OSIANDRO,
SS. Theol. D. & Profeſſore Publ.



TUBINGÆ,
Typis & Sumptibus JOH. HENRICI REISI.
ANNO M. DC LXXIX.

Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi ac Domino, DOMINO

LUDOVICO,

DUCI WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ, COMITI MOMPELGARDI, DYNASTÆ IN HEIDENHEIM, &c.

UNIVERSITATIS RECTORI MAGNIFICENTISSIMO,

Domino Meo Clementiſſimo.

SOlenne fuit apud Antiquos olim, & Doctiſſimorum hominum conſuetudine roboratum, illa, quæ Induſtria elaboravit, Voluntas in publicum edere decernit, Principibus inſcribere & præfixo Nomine Auguſto Authoritatem conciliare Operi, ne quivis ex effræni Criti-

corum, Zoilum & Sagarim imitantium, turmâ adoriretur partum novellum, & immiti dente aut manu tenerum premeret aut læderet Ingenii fœtum. Hunc morem ſecutus inter eruditos adultum, cum hujus opellæ frontem illuſtrare deſiderarem, TE, SERENISSIME & CELSISSIME PRINCEPS, *elegi in Patronum, Tibiq; hunc laborem dicare conſtitui. Movit, ſi conſilii calculos exponere debeo, juge Studiũ Scripturæ & Scrutinium divinorum librorum, quos nocturna verſas manu atq; diurna, &* DEO *Te familiarem reddis, inſignis illa Pietas, quâ Te commendas publico, Affectus in Miniſterium ſacrum, in-*

primis

primis autem in me, qui Paulum me profiteor & minimum inter ſacri Ordinis Myſtas, quo animos Theologorum in admirationem rapis, thura miniſtras, ut pro Salute tuâ, Incolumitate, Progreſſu in Studiis, adoleant, & Deum precibus illigent. Glorietur Numa, quod ipſi cum Numine Colloquium, cum Ægeria congreſſus: Tu, SERENISSIME PRINCEPS, *Cœlum obſides, in Scopum Scripturæ penetras, Deo Te immiſces. Laudetur Hañibal, quod tam ingentium fuerit Spirituum, ut nec Galliæ Juventus, tañquam flos, decerpta, nec Saguntí devicti preclara illa Laurea reportata, nec Hiſp[illegible]e vis attrita, nec*

Marcelli

Marcelli ſuperbia penitus compreſſa effecerint, quo minus ipſe ſibi auguſti & muniti videretur animi, ſi non tentaſſet & Scipionis purdentiam ſuo conſilio, & Alpium altitudinem ſuo ingenio, & Romæ Magnificentiam ſuo aſtu, & Italiæ nervum ſuo lacerto; Te manebit æterna Laus, quod longè ſublimioris Spiritus virtute ex Alto indutus æquare geſtias Joſephi ſapientiam, ſuperare obices vitiorum, contemnere Mundi faſtum, & nervum Sathanici incidere Imperij. Sederit Auguſtus cum ſingulari animi prolubio inter Virgilium & Horatium, ſuſpiria & lachrymas ſuas: Tibi, SERENISSIME PRINCEPS, *placet*

ſedere inter Theologos, non audire Poëtas, quos vel Aſthma angit malæ Conſcientiæ, vel Nubila opinionum faſcinant & colliquant, ſed inter Prophetas, qui illi medentur, has abſtergunt, qui docent in terris, quorum ſcientia perſeverat in Cœlis, qui cum Moſe decantant Virtutes, & Robora Redemptoris, cum Davide Carmina pangunt in Solatium animæ gemebundæ. Nulli itaque melius aut aptius potui hoc qualecunque Monumentum ſacrare, quam tanto Principi, quem non tantùm Illuſtris à Majoribus per ſanguinis tubulos deducta Virtus, non tantùm literariæ Pallados Ornamenta, ſed, quod o-

mnium maximum Pietas condecorat. Accipe igitur ſolita Humanitate, Vultu ſereno, Manu benigna, hoc qualecunq́; Operis primordium, quod inter privatos muſi natus ſum parietes, atque, ut hactenus, favere perge illi, qui æternùm erit

TUBINGÆ, Calend. Febr.
Anno 1679.

Devotus Cultor & Interceſſor tuus
apud DEUM,

JOHANN-ADAM OSIANDER, D.

Σὺν Θεῷ.

THESIS I.

THEOLOGIÆ nomen αὐτολεξεὶ non extat in Scripturâ ſacrâ, ſed translatum eſt à profano uſu Gentilium ad ſublimiorem, qui teſte *Lactantio lib. de Ira DEI cap. 11. illos nuncuparunt Θεολόγους, qui de Diis egêrunt, & quorum Scientia dicta fuit ab illis Theologia.* In concreto nobis exhibet nomen Apocalypſeos Inſcriptio, in quâ Johannes dicitur Theologus, quod tamen *Dionyſius Alexandrinus, & alii quidam apud Euſebium, indicio eſſe voluêrunt, Authorem libri non eſſe Johannem Evangeliſtam, ſed alium Presbyterum & Diſcipulum CHRISTI,* cùm tamen cognomen Theologi apropriatum fuerit Johanni ob ſublimitatem doctrinæ de Veritate Divinitatis τοῦ λόγου, & à *Theophylacto* propterea vocatus fuerit Θεολογικώτατος, conſpirent in hoc Evodius & Athanaſius, Cyrillus, Epiphanius, Chryſoſtomus & alii, obſervante Baronio, Pererio, Grotio.

II. Eſt autem Theologia vi nominis nihil aliud, quam ſermo ſive doctrina de DEO; quamvis enim à quibusdam per λόγον τοῦ θεοῦ, ſive ſermonem à DEO profectum, ab aliis per doctrinam, quæ complectatur λόγια τοῦ θεοῦ, exponatur, nec à vero aliena hæc ſint quoad rem ipſam, commodiùs tamen exiſtimamus dictam ita eſſe ab objecto, ut Phyſiologia, Coſmologia, Aſtrologia.

III. Synonyma illius occurrunt in Codice ſacro Vet. & Nov. Teſt. quamplurima; dicitur ſæpius in *Pſalm. 119.* via Domini, Teſtimonium & Eloquium DEI, quanquam principaliter de Verbo DEI, ejusque Elogiis, ibidem ſermo ſit. in N. T. τύπος διδαχῆς *Rom. 16. verſ. 17.* ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν *2. Timoth. 1. v. 13.* ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων, *Tit. 1. v. 2.* ſolidus cibus adultorum *Ebr. cap. 5. v. 12.*

IV. Variè verò hoc nomen & olim uſurpatum fuit & adhuc uſurpatur. Denotat enim primò Theologiam Gentilium,

quæ vel poëtarum, & fabularum ſeries, μυθικὴ dicta, & theatrica, imò hiſtorica, quia in theatris locum habuit, & quandoque ſemina veritatis habuit admixta; vel ſacerdotum, cultus publici Forma, dicta politica, urbana, quæ templa occupabat, & politiæ ſubſerviebat; vel tandem philoſophorum, meditationum & concluſionum de DEO ex lumine naturali ductarum compendium, dicta phyſica, ſive naturalis, quæ in ſcholis prævalebat, & magis ſincera cæteris videbatur.

V. Competit autem hic titulus neque mythicæ, quia falſa pro veris, vitrum pro Margarita ſubſtituit, DEO ſuam flagitia laudat, & à patre mendacii natales ducit; neque politicæ, quia ex revelatione ficta prodiit, auguria, oracula, ſacrificia & aruſpicinas probavit, & cum multitudinem nihil efficacius regat quàm ſuperſtitio, in illum finem fuit adhibita, & rationibus ſtatus attemperata; tandem & phyſicæ denegatur, quia utut quandoque illa ſpecioſo vultu ſeſe oſtenderit, nihilominus vitiata fuit philoſophorum faſtu, malâ applicatione principiorum, & finis ſive ſcopi debiti neglectu; quam ex Chriſtianis elimare ſtuduerunt Thomas, Raymundus de Sabaude, Auguſtinus Steuchus, Guilielm. Poſtellus, Raynaudus, Mutius Panſa, Mornæus, Campanella, Grotius, Eduardus Baro Herbertus, & alii, verùm non pari ſucceſſu.

VI. Ut Catachreſticè & æquivocè verò hoc nomen tribuitur Gentilium Theologiæ, ita etiam Typo doctrinæ, quem reſpiciunt Mahumedani, de quibus Levinus Warnerus: Judæi, de quibus Joſephus de Voiſin Burdigalenſis: Pontificii, de quibus Johannes Boſſaccus: Calviniani, cujus compendium edidit Himmelius: Arminiani, quorum errores oſtendit Calovius: Anabaptiſtæ, Wigeliani & Mennoniſtæ, quem caſtigavit Wigandus & Hafenrefferus: Quakeri, cujus vitia detexit Miniſterium Hamburgenſe: Sociniani, quem Impietatis nomine inſignivit noſter B. Thummius,

VII. Miſſis itaque umbris, & quæ mentiuntur nomen & ſpeciem Theologiæ, aſſerimus commodè tribui illud nomen illis, quæ de ipſa veritate participant. Et quidem Archetypæ atque ectypæ analogicè iſ tribuitur, ſive per prius & poſterius: Ἀρχέτυπον verò non eſt illa cognitio, quâ DEUS ſeipſum cognoſcit, & alia extra ſe, ut quidam opinantur, ſed Idea quædam in mente divinâ illius doctrinæ, quæ in tempore fuit revelata, ad quam reſpexit illa

volunt

volunt Paulum 1. *Corinth.* 2. *verſ.* 11. 12. ἔκτυπος autem eſt illa, quæ expreſſa ad illud Exemplar, quam malè diſtinguunt, in Unionis, Viſionis, & Revelationis Junius, Walæus, Mareſius; tum quia Theologia unionis in Chriſto non fuit ectypa & finita, ſed archetypa & exemplaris, non ἀποσκίασμα & effigies ſuperioris, ſed ipſa Lux & forma inferioris; tum quia dicta, quæ Mareſius producit ex *Pſal.* 45. *v.* 8. *Job.* 3. *v.* 34. oſtendunt, transgreſſam fuiſſe illam notitiam omnem Theologiam ectypam in Creaturis intelligentibus vel rationalibus, *quia unctus Oleo ſupra conſortes ſingulariter, ut cæteros ungat*, ſecundùm Ambroſium, quia Spiritum non accepit ad menſuram, adeoque non finitè; tùm quia Apoſtolus disertè ei tribuit omnes theſauros τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως *Coloſ.* 2. *v.* 3. nec tamen Chriſto negamus etiam ectypam, de quâ *Luc.* 2. *v.* 40. 52.

VIII. Ut verò errant, qui diſtinctionem hanc non ſatis dextrè explicant, ita quoque illi intempeſtivè ſunt rigidi, qui planè illam cum Arminianis improbant, & cum Epiſcopio ita declamitant: *Non dicam operosè de Theologiæ, quas vocant, ſpeciebus, in quas Theologiam analogicè dividere quidam ſolent, videlicet de Archetypo & Ectypo, ſive ut barbarè quidam loquuntur, Archetypa & Ectypa; quarum illa* D E I *ipſius eſſe dicitur, qua ſe ipſum & omnia divina divino & ineffabili modo intelligit, ac proinde prorſus ἀκοινώνητος: Hæc expreſſa ad ideam illam, & communicata tripliciter; per unionem hypoſtaticam; per viſionem; per revelationem: quæ vanitatis plus habent quam utilitatis, & ſubtilitatis plus quam ſoliditatis, imò quæ etiam falſa ſunt.*

IX. Non verò noſtri eſt inſtituti, exponere naturam Theologiæ archetypæ, & unionis vel viſionis, quæ in Angelis & Beatis: de quâ diſputari poteſt, cujus ſit conditionis: ſed illam, quæ dicitur revelationis, & diſtincta etiam ab eâ, quam homo habuit in ſtatu Integritatis; ſumusque ſolliciti maximè de illâ, quæ in ſignificatu famoſiore aliàs hodiè Theologia dicitur.

X. Definitur verò *habitus divinitùs datus credendorum & agendorum, qui hominem peccatorem per fidem ad ſalutem æternam perducit.*

XI. Variæ circumferuntur definitiones, putavitque Durandus, Theologiam poſſe trifariam accipi: *Primò pro habitu, quo doctrinæ de myſteriis & D E O in Scripturâ revelatæ aſſentimur propter*

 revela-

revelationem divinam; ſecundò pro habitu, quo doctrina de D E O *& myſteriis divinis in ſacris literis revelata & jam recepta adverſus hæreticos defenditur, & aliis declaratur; & tertiò pro habitu Concluſionum ex dictis Scripturæ deductarum.* At fruſtra: quia prima ſignificatio coincidit cum Habitu fidei, qui Idiotis etiam competit, quos tamen Theologos dicere inſolens; nec ſubtilitatis otioſæ vel odioſæ inſimulanda diſtinctio fidei & Theologiæ, *utut Theologus verus non ſit, niſi fidelis, cum Coccejo in Summa, capite 1. Theſ. 12.* quanquam Chryſoſtomus dixerit: *Quisq; veſtrum, ſi velit, doctor eſt, ſi non alterius, certè ſui ipſius;* poſtrema nimis circumſcribit vocis vim & amplitudinem; media propiùs ad rem accedit, quo referas illud Pauli 2. *Timoth. 2. verſ. 15. 24.* nec non illud *Tit. 1. v. 9.* eſt enim habitus adhæſivus, declarativus, argumentativus, & diſcurſivus; nec inconveniens jungere tres illas acceptiones, quæ definitum noſtrum aliquatenus illuſtrant.

XII. Dicitur hæc Theologia Habitus Intellectus, quia ſc. illi inhæret, eumque perficit; practicus eſſe ſubintelligitur, quia tendit perducere ad vitam æternam: divinitus datus, pendet enim à Revelatione divina, ex operatione gratioſa Spiritus, unde, ut habitum eſſe intelligamus, Scriptura fidem deſcribit ut ἕξιν *Ebr. 5. v. 14.* quantò magis itaque Theologia hoc nomine erit digna; ut practicum concipiamus, Scripturâ eò manuducit *Johann. 20. v. 31.* ut denique θεόσδοτον agnoſcamus, Scriptura illam refert inter χαρίσματα cœleſtia *Jacob. 3. v. 15.*

XIII. Non itaque accedimus primò illis, qui negant Theologiam eſſe Habitum, ut Enthuſiaſtæ, Fanatici & Quackeri, qui illam ponunt in Raptibus, Inſpirationibus, Viſionibus: Wigeliani, quorum princeps Valentinus vult, illam eſſe comprehenſam ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum, ubi Jeſus Chriſtus ſit Lapis Angularis, & cum Scriptura eam confundit: vel illis, qui pro Genere ſubſtituunt Doctrinam cum Cloppenburgio, Hoornbeckio & aliis, Diſciplinam cum Martinio, Revelationem cum Pelargo, relativa pro abſolutis, & actiones vel principia pro principiatis venditantibus. Nec ſecundo illis, qui ſtatuunt vel Theologiam eſſe Habitum Speculativum, cum Pontificiis quam plurimis, maximè Roderico ab Arriagâ, qui aſſerit, Theologiam, quatenus agit de D E O, non poſſe eſſe practicam, neque quatenus agit de Incarna-

carnatione Chriſti, ejusque ſanctitate, de Angelis, de homine, aut de pœnis inferni, denique non ita certum eſſe, an, quatenus agit de actibus bonis ſupernaturalibus, ſit practica: vel Habitum quendam mixtum, ſpeculativum ſcil. & inſimul practicum, vel formaliter vel eminenter, quanquam prior Sententia apud quamplures prævaleat, aſſerentes, Theologiam eſſe ſimul ſpeculativam & practicam formaliter, magis tamen ſpeculativam, quàm practicam, quia producatur per actus, quorum alii ſint formaliter ſpeculativi, alii formaliter practici, & præſtantiores habeat Theologia veritates ſpeculativas, quàm practicas; confundentes differentias oppoſitas, ut coquus jura. Videantur in hanc ſententiam proni Thomas, Bonaventura, Gregorius de Valentia, Gillius; Petrus à S. Joſeph, & alii: vel habitum practicum, aut ideò, quia præceptis benè & piè vivendi contineatur, ut ſentit Epiſcopius, aut ex praxi operum, cùm tamen non ſint medium ad finem Theologiæ à Deo ordinatum, ſalutem ſc. æternam, adſtruere nituntur cum quibusdam Novatoribus: vel tandem affectivum, quæ fuit Opinio Alberti Magni, quam hodie ipſi etiam Pontificii defendunt: aut declarativum, ita cenſente Aureolo, referente Occamo. Nec tertio illis, qui Theologiam nolunt eſſe habitum θεόσδοτον vel directè vel indirectè, nimium tribuentes vel Traditionibus vel Rationi cum Pontificiis, & Calvinianis; conſulatur Ludovicus Abelly & Bartholomæus Keckermannus; nec tamen eſt conſequens, ut vult Guilelmus Ameſius, ſi Theologia ſit habitus θεόσδοτος, nec ex naturâ & indagine humanâ, ut cæteri, per Doctrinam eſſe definiendam, cùm docere & diſcere ſemper ſeſe habeant ad perfectionem Mentis extrinſecè.

XIV. Specialius qui determinant, noſtrum quoque non conſequuntur calculum, & nunc Theologiam definiunt per Sapientiam cum quibusdam Scholaſticis, & Antonio Walæo ex Reformatis, nunc per ſcientiam cum Franciſco de Marchiâ, Henrico, Cajetano & pleriſque recentioribus, quibus ex Calviniſtis accedunt Pareus & Polyander, nunc per prudentiam, quod placuit Keckermanno lib. 1 Syſt. Theol. p. 3; inter quas ſententias tamen media hodiè prædominatur inter Doctores Pontificios.

XV. Commodè enim ſentire videntur, qui nullum ex quinque habitibus ab Ariſtotele recenſitis Theologiæ convenire arbi-

trantur, partim, quia Scriptura denſat nomina Theologiæ, & Elogia, atque nunc hoc, nunc alio titulo illam ornat, ex quibus unicè ſapiendum; partim quia illi quinque habitus tantùm in Philoſophiæ circo ſe continent, & dubium, num non plures etiam in ipſo Luminis naturalis Ambitu; partim quia Ariſtoteles nihil novit de noſtrâ Theologiâ, & propterea nihil hîc definire & præſcribere potuit; libri autem quatuordecim Theologiæ Ariſtotelis Romæ excuſi inter ſuppoſititia veniunt deputandi.

XVI. Exercet Opinio illa de Scientiâ & fatigat etiam maxima in Papatu Ingenia: nondum enim liquidum illis, num ſit Scientia ratione principiorum evidentium, juxta Franciſcum de Marchiâ, num ratione ſui & in ſe conſiderata, an verò ratione viatorum, in quibus imperfectio agnoſcenda, ad mentem Cajetani, & qui illum ſequuntur. Secundò nondum liquet, an ex toto ſit Scientia nec ne, & num non aliquâ ratione practica, quod quidam ex recentioribus defendunt. Tertiò ſi Scientia, quomodo non ſequatur Evidentia, quæ aliàs Scientiam comitatur, quam quidam negant, quidam admittunt, ex diverſa radice eandem deducentes; Alii quidem ex influxu, & conſortio præmiſſæ naturalis, quæ ad aliquam de fide ſubſumatur. Sed non ſemper fit illa ſubſumtio, nec obſtat fidei divinæ. Alii ex fidei ſplendore, quæ Theologiam ita illuſtret, ut ſit evidens. At cùm habitus fidei non ſe teneat ex parte objecti, neque motivi, & iſtud ſit obſcurum, non poteſt ex eo recipere evidentiam aſſenſus Theologicus. Alii, ut Henricus Gandavenſis, ſtatuunt quoddam lumen medium inter lumen fidei, & lumen gloriæ, quo intelligantur articuli fidei, & non tantùm credantur, ex quibus tanquam principiis eliciantur concluſiones evidentes, & comparant iſtud lumen auroræ, fidem tenebris, gloriam fulgori meridiei, quæ ſola excludat fidem. Hujus opinionis ſequacem facit Dezam Archi-epiſcopum Hiſpalenſem Joannes de Rada controverſia 2. quæ eſt inter D. Thomam & Scotum, ad hanc accedit Carthuſianus dicens, *in quibusdam eſſe donum intellectus, per quod aliquo modo non ſolùm credantur, ſed etiam intelligantur articuli fidei, & quodammodo penetrentur, ita ut illi habeant fidem cum rationibus credendorum, & purificatæ mentis intelligentia, & videant verum & ordinem credendorum, rationabilitatem Catholicæ veritatis.* Verùm hæc potius innuunt articulos eſſe evidenter credibiles, quàm eſſe evidenter ſcitos.

XVII.

XVII. Efficiens principalis deſignatur verbis, *divinitùs datus*: quamvis enim interveniat lectio, meditatio, actuum repetitio, adeoque inter acquiſitos ſit referendus, non tamen propterea deſinit eſſe habitus divinitus datus, cujus cauſa principalis Deus, *Matth. 16. v. 17.* &, ut res divinitùs revelatæ, in quantum à nobis apprehendendæ ad ſalutem, reale objectum, ita perſonale homo Viator contendens ad patriam, *Coloſ. 1. v. 28.* peccator, cui ſubveniendum per fidem, unicum ſcil. medium, ex parte noſtri, perducendus ad ſalutem æternam, quo ipſo exprimitur quoque finis ultimus, ſuppoſitâ gloriâ Dei, quæ generalis. *2. Tim. 3. v. 15.*

XVIII. A tramite itaque veritatis recedere cenſemus illos: qui proprio Spiritui vel ratiocinanti vel confingenti aliquid tribuunt, à quâ quidem labe immunes non ſunt Wigeliani, Calviniani, & inprimis Photiniani. Calumnia verò eſt Melchioris Cani, ſcribentis: *Lutherani, ne quando diſcipulis errores ſectæ abſurdiſſimi deprehendantur, cupiunt nos ab omni cognoſcendi ratione ſevocare*; & paulò poſt: *Talis ſcil. eſt Lutherana Theologia, in qua quoniam nullum acumen, nullum Ingenii ſpecimen eſt, optimo quisq; ſplendidiſſimoq; ingenio, quamlibet acie mentis & veri perſpicientiâ polleat, quamlibet rerum & divinarum & humanarum ordinem ac connexionem teneat, quamlibet omnium cauſas, effecta, antecedentia, conſequentia, non ſolum animo perluſtrarit, ſed etiam comprehenderit, nullo tamen apud iſtos habeatur pretio.*

XIX. Secundò illos, qui ex Pontificiis dicunt, Objectum Theologiæ formale Quod eſſe vel res & ſigna, cum Lombardo, de quo tamen diſceptant, vel cum Hugone Victorino, opera reparationis humanæ, vel cum Linconienſi & Caſſiodoro, totum Corpus Chriſti myſticum una cum capite ſuo, vel cum Halenſi, ſubſtantiam divinam cognoſcendam per Chriſtum in Opere reparationis; vel cum Durando, actum meritorium, vel cum Bonaventura Ockamo & Gabriele, Deum, Chriſtum, res & ſigna, vel cum Ariminenſi, Marſilio, Alberto & Ægidio, Deum ut glorificatorem, aut Alpha & Omega, vel cum Johanne de Baſſolis, Deum ſub ratione Deitatis & volentis, vel cum Cajetano, Bannesio, Zumello, Molina, Vasqueſio, Tannero, Arriagâ, Deum ut Deum: vel cum Altingio, res divinas, vel cum Arminio, Officia & actiones hominis, quam Deo præſtare tenetur.

XX. Non

XX. Non minus divagantur Scholæ Pontificiæ addicti in Objecto formali Quo, ſeu ratione formali objectivâ Qua, ſive propter quam: quibusdam principia revelata ut per humanam tantùm fidem credita, ad mentem Vasquesii; quibusdam Lumen ſupernaturale mixtum cum naturali, ſecundum Albertinum & Gregorium de Valentia; quibusdam Lumen divinæ revelationis, conformiter Thomæ, ſtatuentibus, nec non de ratione formali ſub Quâ diſputantes, Ludovico Molina ita diſſerente: *In viſu ratio ſub qua eſt viſibilitas, ratio objectiva Lumen, in fide infuſa ratio objectiva divina Revelatio, ratio verò ſub quâ eſt cognoſcibilitas, non ſolum per divinam Revelationem, nam & hæreticus aſſentitur articulo Trinitatis ex eo, quia per Chriſtum id revelatum eſt Eccleſiæ à Deo, ſed etiam ſimul per habitum ſupernaturalem, qui cum tali revelatione debitam proportionem habet.* Quæ tamen aliis non ſapiunt, vel admittentibus rationem formalem ſub quâ, ſed ad Objectum referentibus, vel formalem rationem ſub quâ diverſam à ratione formali Quæ repudiantibus.

XXI. Ita enim ipſi ſocii: *quia ex parte objecti duo tantùm formaliter & eſſentialiter pertinent & requiruntur ad cognitionem; quibus etiam ſufficienter ſpecificantur & diſtinguuntur potentiæ & habitus cognoſcitivi: Nimirum objectum ſive ſubjectum, quod cognoſcitur: quo ſpectat etiam ratio formalis quæ, principaliter terminans potentiæ aut habitûs cognitionem; & Medium quo cognoſcitur; quæ eſt ipſa ratio formalis objectiva propter quam: ſive hæc interim in abſtracto concipiatur ſive in concreto, ut formaliter afficiens ſive denominans objectum quod: & rurſum, ſive hæc ratio ſit adæquata & proxima, ſive inadæquata & remota, prout variè aſſignari poteſt tàm in Theologiâ, quam in aliis ſcientiis; Qua ratione etiam nonnulli Doctores, quandoque diſtinguunt rationem ſub quâ alicujus habitus, à ratione quâ, ut hæc ſit medium primarium & remotum, quo nititur aſſenſus; illa medium immediatum & à primore quaſi derivatum; Quanquam ad vitandas omnes æquivocationes, & ne pro libitu quaſi ſermonem & linguam in ſcientiis tradendis innovemus, novasque loquendi regulas ac leges absque neceſſitate præſcribamus, Exiſtimo, nihil inter rationem formalem Qua, ſive propter quam, & ſub qua diſtinguendum; cum ea diſtinctionis ratio, etſi de verbis ipſis nudè loquamur, veteribus planè videatur fuiſſe incognita.*

XXII.

XXII. Tertio illos, qui finem Theologiæ, ex Thomæ & ſequacium quorundam Opinione, conſtituunt partim ſpeculationem, partim operationem, vel ſimpliciter contemplationem, cum Durando: vel, conformiter Cloppenburgio, tandem Zelum Dei ſecundum cognitionem.

XXIII. Proprietates Theologiæ ſunt I. Unitas. Eſt enim habitus unus, ad modum reliquorum, quorum Unitas colligitur ex objecto, mediis & fine, ſi ſint practici: Veritas, procedit enim ex Revelatione divina. Sanctitas, cùm Author illius Deus, Regula Verbum, Objectum divina, Subjectum Anagnoſtes pius, Effectus Sanctificatio.

XXIV. Rejicimus itaque illos, qui negant, cum Arriaga & aliis, Theologiam eſſe unum habitum Theologicum. Qui Scepticiſmum cum Arminianis probant in Theologiâ. Qui cum Wigelianis ſanctitatem derogant Theologiæ Academicæ, conviтiis proſequuntur quotquot Doctores prodeunt ex Univerſitatibus, & Theologiam brevem, & ſimplicem, & facilem eſſe ſtatuunt.

XXV. Eſt etiam Theologia neceſſaria, tùm ex mandato divino *Col. 3. v. 16.* tùm ex ratione finis *Joh. 20. v. 31.* digniſſima, quæ omnes alias diſciplinas eminentiâ ſuâ tranſcendit *Proverb. 3. v. 15.* utiliſſima, quæ in quamplures uſus ſeſe diffundit. 2. *Timoth. 3. v. 15. 16.*

XXVI. Fruſtrà ſunt I. qui hanc neceſſitatem extendunt ad Theologiam Scholaſticam, quos ſalsè ridet Rodericus ab Arriaga, & refutat Tom. 1. diſput. 1. ſect. 4 §. 32. ſcribens: *arbitror ſimpliciter non eſſe neceſſariam, vix enim in lege naturæ ulla fuit Theologia, vix etiam in lege ſcripta, cur enim, ſi libros revelatos quis legeret, & intelligeret præcisè, quæ ibi definiuntur & præcipiuntur, (& idem cæteri facerent) eaq; crederet & exequeretur, id non ei ad ſalutem ſufficeret? cur, ſi Idiota ab aliis ſolum audiret declarationem eorum ſine altera ſcientia, ſicut à Præceptore quis audit declarationem Ciceronis, non poſſet ſalvari, etiamſi minores, majores & diverſas veritates non inferret inde? propter refutandas hæreſes etiam non eſt ſimpliciter neceſſaria, tum quia non eſt neceſſe per ſe hæreſes eſſe, tum quia fortè refutari poſſent, ſine alia Theologia diverſa ab ipſa explicatione S. Scripturæ, niſi hanc ipſam explicationem voces ſcientiam Theologicam, quod jam ad quæſtionem de voce pertinebit.* Impium

pium verò & inſulſum eſt Effatum Ricardi de Mans Franciſcani, in Concilio Tridentino dicentis: *fidei Dogmata Operâ Scholaſticorum in præſens ſic eſſe enucleata, ut in poſterum ex Scriptura ea addiſcere non ſit opus, eam olim in Eccleſia legi & in Scholis addiſci ſolitam ad populum inſtituendum, nunc verò in Eccleſia lectitari, ut orare doceat ſolum, qui unicus debeat eſſe illius uſus.* II. Qui Theologiam ſubalternant diſciplinis philoſophicis, maximè Metaphyſicæ, de quo Durellius pag. 701. III. Qui Theologiæ utilitatem vellicant, impediunt diſputationes publicas, volunt exulare pacis causâ, & ingeminant illud impiè docti politici, *Myſterium quondam Theologia erat, facta verò ea nunc populare Oblectamentum*, quibus nihil reponimus præter Votum Moſis *Num. 11. v. 29. Quis tribuat, ut omnis populus prophetet!*

XXVII. Injurioſè autem in noſtros declamitat, & Specimen luculentum edit Ignorantiæ ille ſuperciliosus Iſmael ſcribens: *Objiciunt Theologis, quòd ab eis tractentur quæſtiones ad ſalutem non neceſſariæ, quibus tamen ſine dubio, quicquid ſit de neceſſitate, ingenium acuitur, ipſi autem toti quanti impenduntur, digniſſimamq; homine occupationem reputant, ſi disquirant, legendumne aut ſcribendum ſit Salamon an Salomon, & ſic de aliis multis nominibus propriis Veteris Teſtamenti, quæ conantur immutare. Quod argumentum majorem habet vim in vocibus ipſis latinis. Quod enim periculum ſalus æterna ſubibit, ſi in alio ſenſu, quam Cicero, hoc utar aut illo verbo, aut qualis eſt intellectus perfectio, ſi poſt longum laborem deprehendero, quid eo ſignificare voluerit Saluſtius aut Quintilianus? certè de his ſuo modo dixiſſe credendus eſt* DEUS *Jeremiæ 2. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Diſputationes de* DEO *ac de ejus perfectionibus faſtidiunt ut inutiles; appetunt autem ſuam extinguere ſitim grammaticalibus frivoliſq; quæſtiunculis, an ſcribendum per duplex tt. an per ſimplex.*

XXVIII. Nam quamvis reponi poſſit meritò illud antiquum, cui Bono? & juxta Senecam *nihil acutius ſit a iſtâ, quædam inutilia & inefficacia ipſa ſubtilitas faciat*; non tamen etiam noſtri Theologi refugerunt ſubtiles elucubrare materias, nec in minutiis occupantur, cum philologia ſacra inſignem Uſum habeat in Theologia, à quâ alieniſſimus Rodericus: nec conſequens: non

eſt

eſt periculum Salutis in variâ lectione, ergò non conducit illius Obſervatio; refricet ſibi illud, quod in primordio dixit Rodericus, Ingenium acui quibusdam etiam non neceſſariis. Quî verò in nos noſtrosve cadere poſſit illud Jeremiæ, nullo indicio conſtat, qui enim quæſo illi, qui derelinquunt fontem aquæ vivæ, ſive de Scriptura, ſive de Meſſia exponas, quàm Pontificii? illi, qui ciſternas & diſſipatas ſibi fodiunt, quam Theologi Papales, ad traditiones, ad Sanctorum opem & auxilium confugientes? Num noſtri non examinarunt Argumentum de DEO & perfectionibus divinis? num, quia ad ſenticeta usque inanium & frivolarum Quæſtionum non deſcendunt, & rimari cupiunt, quæ ipſa Trinitas inter ſua profunda voluit recondita, accuſandi erunt negligentiæ à temerariis, & modeſtia in ipſis calcanda, faſtus erit fovendus in illis, qui cœlum ſtultitiâ petunt? quales videmus in primam partem Summæ Theologicæ excurrentes, inter quos palmam aliis præripere tentat Thraſo ille Lucronienſis.

XXIX. An autem Theologia noſtra, quæ viatorum, ſit ſubalternata DEI & Beatorum, eo modo, quo Perſpectiva ſubalternatur Geometriæ, fervidè diſputatur in Papatu; Thomiſtarum quidam ita definiunt: *Dicimus, quòd in beatis eſt duplex ſcientia de DEO; prima eſt perfectiſſima, etiam ipſi DEO conveniens; & eſt Viſio beatifica, quæ ab Auguſtino dicitur cognitio Matutina, ſecunda eſt ſcientia, per quam ex principiis lumine gloriæ cognitis deducunt Concluſiones de DEO virtute luminis naturalis, easq; cognoſcunt ſeparatim per proprias ſpecies, & hæc dicitur ab Auguſtino cognitio Veſpertina. Hoc poſito dicimus, Theologiam noſtram ſubalternari ſcientiæ DEI & beatorum, prout dicit viſionem beatificam, hæc enim eſt perfectiſſima ſcientia & eminentiſſima, quamvis non ſit diſcurſiva, non autem dicimus ſubalternari ſcientiæ beatorum ſecundo modo acceptæ; hæc enim non diſtinguitur ſubſtantialiter à noſtra Theologia, ſed eſt ipſamet in ſtatu perfecto.*

XXX. Nos primò dicimus, ſi de Scientia DEI ſit ſermo, non poſſe dici noſtram Theologiam illi eſſe ſubordinatam; ſecundò, ſi de Theologiâ archetypâ ſit quæſtio, etiam non ſatis commode poſſe dici ſubordinatam illi noſtram, quanquam, ſi terminus hic accipiatur in ſenſu laxiore, nolimus moroſè refragari eodem utentibus. Si denique de beatorum notitiâ Theologicâ

gicâ ſit diſputatio, non poſſe admitti noſtram eſſe ſubordinatam, illam verò ſubalternantem, vel unicâ ex hâc cauſâ, quia principia noſtræ Theologiæ non ſunt concluſiones Theologiæ beatorum quod tamen in ſubalternatione propriè ſic dicta requiritur. Superius autem mota de ſubalternatione infirma ſunt, quia petunt principium.

XXXI. De Certitudine quoque non levis eſt diſceptatio. Nos exiſtimamus, non tantùm gaudere Certitudine objectivâ, ut quidam loquuntur, (ſi datur aliqua talis certitudo, & non ob improprietatem ſermonis rejiciendus modus hic loquendi, ut nonnulli cenſent) ſecundùm illud 2. *Petr.* 1. *v.* 19. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in loco caliginoſo, donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Sed etiam gaudere certititudine formali, juxta illud 2. *Timoth.* 1. *v.* 12. *Non confundor: ſcio enim, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* & utrâque ſuperare reliquas omnes diſciplinas, cujuscunque ſint generis, ordinis & dignitatis.

XXXII. Quanquam nolimus cuiquam Conrroverſiam movere de methodo, vel etiam partitione Theologiæ, & admittamus hîc abundare ſenſu ſuo unum & alterum, nec diſpliceat nobis diſtributio illa ratione modi tractandi in catecheticam & acroamaticam, quæ vel exegetica, vel didactica, vel polemica, vel aſcetica, vel eccleſiaſtica, vel Caſiſtica, vel patriſtica, vel ſcholaſtica, de quibus videri poſſunt noſtri Theologi; vel partitio in tria membra, quorum primum de fine, alterum de ſubjecto, tertium de mediis agit, ἀναλόγως ad diſciplinarum practicarum methodum & ordinem; non tamen adeò conveniens videtur illa diſtributio, quæ modernis quibusdam placuit, in partem de Credendis, de Sacramentis, & de doctrinâ Morum; neque illa, quæ diſpeſcit in doctrinam de Deo & de operibus illius; neque illa, quæ fit in partem communem & propriam: inſulſa verò planè eſt diſtinctio illa in continuam & diſcretam, de quâ Durellius, ſub nomine continuæ vel unitæ comprehendens *ea omnia, quæ Trinitati communia, ſive ſpectetur, ut eſt ingreſſibilis, ſive conſideretur, ut ſe communicat creaturis; ſub nomine verò diſcretæ ea, quæ pertinent ad Trinitatem & Incarnationem*: illa Wigelii in quinque partes, *quæ comprehendatur*

literis

literis duabus, unâ rectâ, alterâ curvâ formatâ ſc. Cruce, *cui ſuperſcriptum* Jesus Christus, *ad latus* Deus *Verbum, ſubſcriptum Spiritus, perſona, Verbum, cœleſtes perſonæ, Verbum, perſona, Spiritus, terreſtres perſonæ*; nec non diviſio in dilectionem Dei & proximi: illa Photinianorum, in cognitionem Dei & Christi.

XXXIII. Loci Theologici ſecundum Pontificios ſunt varii: A quibusdam viginti recenſentur. *1. Explorata & perſpecta auctoritas ſive Sententia Sacræ Scripturæ. 2. Ejusdem Authoritas probabiliter exiſtimata. 3. Explorata Authoritas traditionum Chriſti & Apoſtolorum. 4. Authoritas earundem traditionum probabiliter exiſtimata. 5. Perſpecta Authoritas Eccleſiæ Catholicæ, ſive comunis conſenſus omnium fidelium exploratus, cum aliquid credunt velut ad fidem pertinens. 6. Authoritas ejusdem conſenſus probabiliter exiſtimata, quo pertinet communior fidelium, aut etiam ipſius per ſe Eccleſiæ Romanæ, ut particularis quædam Eccleſia eſt, ſenſus, quamvis exploratus. 7. Authoritas explorata Conciliorum generalium ſeu approbatorum. 8. Authoritas conciliorum non approbatorum ſeu approbatorum quidem, ſed non explorata: ſive quia non ſatis conſtat de approbatione, ſive quia ſenſus Verborum Concilii non eſt ſatis perſpectus. 9. Authoritas explorâta definitionis Pontificiæ in dubia quæſtione fidei ſeu religionis. 10. Eadem Authoritas probabiliter exiſtimata. 11. Conſentiens & explorata Authoritas SS. Patrum in re fidei, ſeu quam ipſi velut de fide certam tradiderunt. 12. Authoritas eorundem veterum Patrum, aut non conſentiens, aut non firma, aut non explorata. 13. Conſentiens & explorata Authoritas Eccleſiaſticorum Doctorum cujusq; ætatis in re fidei tradenda; in quibus etiam quantum ad Canonum ſcientiam ſimul connumerandi ſunt Canoniſtæ. 14. Authoritas eorundem non conſentiens, aut non ſatis explorata, quo ſpectat authoritas Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, nempe de rebus Eccleſiaſticis præſertim a Viris eccleſiaſticis ſcriptæ. 16. Authoritas & fides profanæ hiſtoriæ. 17. Ratio naturalis evidens. 18. Ratio naturalis probabilis. 19. Authoritas Juriſconſultorum legumq; civilium. 20. Authoritas Philoſophorum.* Ad decem capita à quibusdam reducuntur cum Cano, ab aliis ad ſeptem cum Gregorio Valentia & Eſparza, *1. Authoritatem ſcripturæ ſacræ 2. traditionum apoſtolicarum 3. Summorum Pontificum definientium quæ ſit doctrina fi-*

 dei

dei 4. *Conciliorum* 5. *Auctoritatem conſentientem Doctorum Eccleſiaſticorum* 6. *Communem fidelium conſenſum in re aliqua, ad religionem pertinente* 7. *Veritatem naturalem evidentem junctam veritati fidei.* Ab aliis ad ſex cum Petro à S. Joſeph, ab aliis ad quatuor cum Thomâ 1. *Scripturam*, 2. *Patres*, 3. *Philoſophos*, 4. *Rationem*, ab aliis ad tres cum Ludovico Abelly Pariſino: *Scripturam*, *Traditionem*, *Authoritatem Eccleſiæ*; ab aliis ad duos, *Verbum* D E I *ſcriptum & non ſcriptum*, cum Bellarmino; ab aliis tandem ad unum cum Scoto, *Scripturam* ſcil. *ſacram*, cui adſtipulantur Henricus Gandavenſis & Gerſon. Sunt autem Loci Theologici non capita rerum, de quibus Theologia tractat, quæ aliàs loci communes vocantur, ſed ſedes ac veluti promptuaria, ex quibus Theologi argumenta ſibi propria deſumunt, ἀναλόγως ad locos topicos Ariſtotelis & Philoſophorum.

XXXIV. Nos non poſſumus admittere, *authoritatem traditionum Chriſti & Apoſtolorum*, *Conciliorum & Decretorum Pontificis*, *comprehendi ſub authoritate*, *quæ divina habetur revelatione*, *omnium eandem etiam cum ſcriptura eſſe firmitatem & robur Veritatis*, *ex divino teſtimonio vario modo explicato*, ut definit Gabriel Vaſquez. diſp. 12. c. 1. §. 2. Quis enim æquet traditiones, Conciliorum Canones, & Decreta Pontificum Scripturæ? quis admittat Revelationis divinæ gaudere Elogio? quis Pontificum decreta ſpiritum humanum, & non niſi vel ſtatus rationes, vel Antichriſtiana dogmata redolentes, accenſeat tribus prioribus locis Cani? nec communem Patrum conſenſum in Scripturæ alicujus explicatione, quæ ad dogma fidei pertinet, & in traditionibus etiam fidei eruendis, eouſque volumus aſſurgere, ut divinâ gaudeant authoritate; nec cæteri magni ſunt æſtimandi; Theologorum enim Scholaſticorum ignorantia in Scripturis cuivis legenti eſt obvia, Jurisprudentia verò Canonica papale munimentum & Antichriſti Nota; tres poſteriores denique ſecundum Canum adſcripti & aliunde emendicati.

DISPU-

DISPUTATIO SECUNDA
De
REVELATIONE,

THESIS I.

PRincipium Theologiæ eſſendi ut DEUS, ita cognoſcendi Revelatio, quæ deſcribitur per *Actum gratioſum externum, quo* DEUS *ſeſe toti humano generi perſpicuè patefecit ad ſalutarem informationem.*

II. Revelatio aliàs nihil aliud notat, ſi nomen ſpectes, quàm rerum occultarum manifeſtationem quandam: unde etiam Revelatio divina, de quâ nobis hic ſermo eſt, nihil aliud erit in generaliſſimo ſuo conceptu, quàm rerum occultarum manifeſtatio à DEO facta, & quidem in ipsa Scriptura tàm latè accipitur, ut etiam illa, quæ per Lumen Naturæ innoteſcunt, tribuantur revelationi divinæ, Paulo de gentilibus disertè profitente, quod *inviſibilia* DEI *illis ſint perſpecta*, DEUM *enim revelaſſe illis. Rom. 1. v. 19.* Strictiùs verò notat propoſitionem etiam illorum, quæ aliàs cadunt ſub lumen Naturæ de DEO & attributis divinis, de Objectis ſenſibilibus vel intelligibilibus inferioris ſphæræ, modo ſupernaturali factam, quo quidem ſenſu omnia, quæ in Scripturis recenſentur, Revelationi tranſcribenda, cùm *tota ſit* Θεόπνευστος. *2. Timoth. 3. verſ 16.* Strictiſſimè tandem manifeſtationem de Myſteriis fidei Chriſtianæ abſtruſiſſimis, quo digitum intendit Salvator noſter *Matth. 11. v. 25. Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ: quia abſcondidiſti hæc a ſapientibus & prudentibus: & revelaſti ea parvulis.* Paulus *Rom. 16. v 26. Secundùm revelationem myſterii, temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum eſt per Scripturas Prophetarum, ſecundùm præceptum æterni* DEI, *ad obedientiam fidei, in cunctis gentibus cogniti.*

III. Non deſcribitur hîc Revelatio in totâ illâ ſuâ latitudine accepta, cùm illa, quæ Principium Theologiæ, opponatur potiùs & contradiſtinguatur Revelationi per Lumen Naturale, nec coadmittatur ad Eminentiam tanti tituli, vel collateralis principii, quod longè infra illud ſubſidet; ſed in ſtrictiore ſignificatione, in

quantum

quantum dicit modum communicandi ſupernaturalem, maximè verò Myſteriorum Salutis.

IV. An Deus revelarit ſe, quanquam ſint, qui in dubium vocare auſint, non tamen audiendi, contrarium evincente divinâ benignitate, quæ ſe non relinquit ἀμάρτυρον; & ſi in naturalibus non defecit, multo minus in illis, quæ ad æternitatem collimant; hominis indigentiâ, qui palpat in tenebris, cœcus impingit, præceps ruit, Lumine aliquando juvandus; appetitu in ſummum bonum, quod tàm enixè deſiderat, expetit; Et quis neſcit, nullum ferè populum in orbe, qui non Revelationem jactet, eo ipſo agnoſcens imperfectionem Luminis naturalis, conſulatur Lactantius *lib. 1. inſtit. divin. cap. 7. lib. 4. c. 6. libro de Irâ Dei, cap. 22. 22.* Arnobius, Minutius Felix, & alii.

V. Ἀνόητοι itaque ſeſe exhibuerunt quondam Colophonius, Xenophanes, Carneades & Epicurus, qui ut omnem negârunt divinationem, ita inſimul repudiàrunt Revelationem, quos ſecuti, Patrum noſtrorum tempore, Petrus Aretinus, Cremoninus, Rablæſius, politicorum progenies, & monſtra hominum, Gallis dicti Degrués & Eſprits forts, quibus innuitur,non eſſe tales grues, qui facilè fallantur, ſed ſenſûs obfirmati & eò perducti, ut validè Revelationem & revelata eludant.

VI. Notanter deſcribitur Revelatio à nobis primò per Actum Dei: nihil enim invenies commodius revelationi exprimendæ, quam actum, cùm ipſa vox id indicare videatur; Dei verò eſſe dicitur, quia tranſcendit omnem Creaturæ virtutem, & præexigit veraciſſimum Ens, quod & ſapientiſſimum & optimum: duæ quippe columnæ omnem veracitatem fulciunt, Sapientia in Intellectu, quâ quis cognoſcit rem, de quâ loquitur, & Bonitas in Voluntate, quâ vult loqui de re, ut illam cognoſcit, nec fallere eum, ad quem ſigna conceptus dirigit.

VII. Impios itaque 1. pronunciamus illos, vel qui aſſerere auſi ſunt, poſſe Deum de abſolutâ potentiâ falſum revelare & dicere: inter quos referuntur ab ipſis Pontificiis Gabriel, Petrus de Alliaco, Holcot, & Adamus, quibus proximè accedunt cæteri Nominales, qui, ut Emonerius contra Barneſium docet, cenſent mendacium non eſſe intrinſecè malum: Videatur Cenſura de Alciato Pontano, Balyeo & Burlæo, quos vel ex hoc unico Hugo Cavellus

ſcilicet Scotus illa refellit, quòd ſtante hâc aſſertione omnis fidei veritas concideret, Scripturæ periret Authoritas. 2. Priſcillianiſtas, veteres Hæreticos, *qui non ſolùm poſſe Deum falſum dicere, ſed etiam ſæpius dixiſſe*, impudenter propugnarunt, teſte Auguſtino, Libro contra mendacium cap. 2. de Hæreſibus in 70. unde etiam, ſecundum Guidonem Carmelitam, Scripturam pro Apocryphâ habuerunt, & erroribus ſuis adaptârunt, quos refutavit Valentia & Bellarminus. 3. Carteſium, & qui eundem ſequuntur, eo enim audaciæ progreſſus eſt ille Philoſophus, ut *poſſe fallere*, dixerit, *videri nonnullum acuminis aut potentiæ Argumentum*; crudius verò Ludovicus Wolzogius, qui non erubuit ſequentia prodere: *Dico, poſſe Deum fallere, ut ne credatis non poſſe, ſi velit, cùm enim omnis, qui alterum fallere aggreditur, eo cenſeatur in iſta re quodammodo ſuperior eſſe, & vel acumine quodam Ingenii vel potentiâ, aliave quâcunque facultate præſtare, ſitque Deus tum Sapientia, tum potentia, cæteraque omnia attributa infinita, quis non videt Creaturas, etiam perfectiſſimas, quia ſunt ſemper finitæ, eo ipſo, quod creaturæ, ab infinito Creatore poſſe in errorem induci.* Cujus Inſolentiæ nihil reponimus præter illa Claubergii Carteſiani Philoſophi; *cùm ad fallaciam pertexendam duo requirantur, poſſe fallere & fallere velle, utrumque verò imperfectionem implicare cognoſcam, neutrum in Deum, hoc eſt, ſummè perfectum Ens cadere poſſe, ſum perſuaſiſſimus. Quamvis enim poſſe fallere nonnullum ingenii argumentum apud nos homines eſſe videatur, quatenus ſubtilitatem in intellectu aut potentiam quandam prima facie oſtentat, propius tamen inſpecta hæc, potius impotentia eſt dicenda: & quid aliud eſt poſſe fallere, ſi ad vivum reſeces, quam poſſe deficere à vero? deficere autem & perficere contraria ſunt. Porrò velle fallere non poteſt aliunde, quam ex pravitate vel vitio in voluntate & affectibus, aut ab infirmitate quacunque alia provenire, quæ ab optimo & potentiſſimo Ente ſunt alieniſſima.*

VIII. Dicitur ſecundò illa Revelatio Actus Dei gratioſus. Singularis enim favoris divini Indicium eſt, quòd etiam poſt lapſum generis humani ſeſe voluit manifeſtare, voluntatem ſuam exponere, & illi oſtendere, quæ non tantùm intra Arcanorum profundum retenta, ſed & ad ſalutis æternæ Bonum conſequendum ordinata; Inde Moſes ingentis beneficii loco deprædicat Revelationem divinam, & dicit: *Abſcondita Domini Dei noſtri revelata ſunt*

nobis, & filiis noſtris uſq; in ſæculum, ut faciamus omnia verba legis hujus; Quem textum fruſtra ſollicitat Siſtinus ab Amama vertens: *Occulta [illegible] Dominum DEUM noſtrum, ſed revelata ad nos & filios noſtros, ut faciamus omnia verba legis hujus:* non niſi ex hypotheſi abſoluti decreti, odio in Lutherum, quem ſub dormitantis nomine ſuggillat; ſanius judicantibus & pro illo ſtantibus, qui agnoſcunt per modum Epiphonematis Moſen DEO gratias agere, & populum ad compar officium cohortari, quod occulta Sapientiæ ſuæ voluerit manifeſtare Iſraelitis, taliter autem non fecerit omni nationi. In quo conſpirant uterque Hugo Victorinus & Cardinalis, Oleaſter, Leonardus Marius, Lorinus & alii. Grotius reddidit: *Abſcondita Domino DEO noſtro & revelata nobis:* addens, *quæ ante penes ſe retinuerit DEUS, illa nobis pateſeciſſe, ut haberemus normam, ad quam componeremus vitam.*

IX. A Regiâ veritatis itaque receſſerunt quondam Manichæi tempore Auguſtini, qui, ut ipſe teſtatur libro de Utilitate credendi, Revelationem noluerunt agnoſcere tanquam Actum ſingulariter gratioſum, ſed cum Lumine Naturæ confuderunt abſurdiſſimè. Quanquam enim DEUS confeſtim in primordio mundi ſeſe revelarit interius, & exterius primis noſtris Parentibus in Paradiſo, & illa ipſa Revelatio actus gratioſus aliquo in ſenſu dici poſſit, eminenter tamen & ſingulariter hoc nomine gaudet illa, quæ poſt Lapſum ſalutis denuò, fidem generavit, & perductionem hominis ad Beatitudinem & ſummam Felicitatem, quâ exciderat, intendit.

X. Externus itidem tertiò eſt actus DEI. Ex Luce enim illa inacceſſibili DEUS revelando progreſſus fuit, & quæ intra receſſus mentis ſuæ erant, manifeſtavit. Dicit enim Revelatio Relationem quandam ad potentiam cognoſcentem, cui aliquid detegitur, per communicationem intelligibilium, obtingit per ſigna externa, & quidem non unius generis, & nihil aliud eſſe videtur, quàm medium quoddam, per quod conceptus divinus nobis manifeſtatur. Theologia ἀρχέτυπος in DEO [illegible], de qua Paulus: *DEUS, qui juſſit è tenebris Lucem ſplendeſcere, ipſe eſt, qui ſplenduit in cordibus noſtris, ad exhibendam Illuminationem cognitionis Gloriæ DEI, in facie JESU CHRISTI, 2. Corinth. 4. v. 6.*

XI. Non ergò ſubſcribimus illis, qui cum Scoto, Cano, Va-

veno,

ipſo; Revelationem quidem dicunt actum externum, ſed conſiſtere eatenus in infuſione habitus fidei. Revelatio enim, de quâ hic agimus, dicit manifeſtationem quandam conceptus divini, propoſitionem rei alicujus cognoſcibilis vel cognoſcendæ, &, ut quidam illam appellant, locutionem ſingularem: at hæc ſeſe habet ex parte objecti. Notat actum aliquem, quo communicatur res quædam ſignificanda: ut itaque loquens ad hominem illâ locutione non confert fidem, ſed proponit veritatem aliquam, quam conſequitur fides, vel etiam non: ita DEUS loquendo, revelando, proponit objectum credibile, illudque manifeſtat, non verò formaliter illâ locutione fidem infundit, ut ut ad illius præſentiam & manifeſtationem exigat fidem, & conferre etiam ad apprehenſionem illius intendat. Quicquid autem ſit de mente adductorum, de quâ quidam dubitant, ſententiam tamen hanc communiter repudiant hodie Doctores Pontificii, teſte Cardinali de Lugo Hiſpalenſi, qui addit, *meritò hoc fieri, quia ille, qui credit, habeat pro motivo ex parte objecti Revelationem & teſtificationem* DEI *ad credendum, non tamen ipſum habitum fidei, nec illius aut motivi objectivi ab illo, non enim experitur habitum, nec habitum eſſe objectum, ſed virtutem ex parte potentiæ ad eliciendum aſſenſum.*

XII. Addamus hic, antequam ad alia progrediamur, quod habet Theologus Conimbricenſis primarius Diſputatione tertiâ p. 16. §. ſeptimo: *Concluditur*, inquit, *ex dictis, utramque illuminationem poſſe dici Revelationem: Quas poſſumus vocare revelationem Objecti, & luminis; & aliqui vocant priorem auricularem & poſteriorem facialem: nam in priori veluti ad aurem loquitur* DEUS, *juxta illud.* 1. *Reg.* 9. *Revelavit* DEUS *auriculam Samuelis, ubi id notavit Abulenſis. Per poſteriorem autem intellectus illuſtratur, unde eſt illud* 2. *ad Corinth.* 3. *verſ.* 18. *Nos autem revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu. Ut enim notavit Hieronymus ad Galat.* 1. *revelare nihil aliud eſt, quàm velum removere, quo res occultabatur: poteſt autem, ut in hiſce apparet, occultari objectum, vel quia ipſum velatum eſt, vel quia velum eſt ſuper oculos poſitum, ſic ergo in fide contingit: nam objectum ipſum eſt* [illegible]*, quatenus abſens vel excellens eſt, ut notavit D. Th.* 3. *q. de Verit. ar.* 9. *& potentia* [illegible] *eſt* [illegible]*, & quoad* ne-

ca reſpectu illius objecti, & ideò dicit ipſe D. Th. 2. ad Corinth. 3. Ignorantiam, ſeu cœcitatem mentis eſſe quaſi velamen ejus. Primum ergo velamen tollitur per Revelationem objecti Fidei: nam per illam fit aliquo modo cognoſcibile ſub teſtimonio divino: per infuſionem autem fidei tollitur ignorantia mentis, & ideo utraq; dici poteſt revelatio. Propriè tamen & ſimpliciter & juxta frequentiorem modum loquendi Scripturæ, revelatio dicitur illa, quæ eſt ex parte objecti, juxta illud ad Rom. 1. Juſtitia D*EI in eo, id eſt in Evangelio, revelatur ex fide in fidem. In Evangelio enim objectum fidei aperitur, ſic etiam ad Galat. 1. Non ab Hominibus, neq; per hominem, ſed per revelationem Jeſu Chriſti: idem invenitur. 1. ad Corinth. 14. ad Eph. 3. Et ſæpè aliàs: & ſic quaſi per metaphoram dicitur: Pſalm. 16. Revelavit fundamenta orbis terrarum: & Pſal. 28. Revelavit condenſa &c. Sic etiam D. Thom. ſæpè docet revelationes fieri mediantibus Angelis 2. 2. q. 2. art. 6. & q. 172. art. 1. & 1. p. q. 96. art. 3. quod non eſt verum, niſi de revelatione objectiva: & ſic etiam in communi ſermone dicimus, revelari ſecreta: hæc ergo modo diſtinguunt Theologi revelationem neceſſariam ad fidem ab infuſione habitus: ita etiam diſtingui ſolet propria revelatio, ab inſtinctu* D*EI, ut eſt apud D. Thom. dict. art. & notavit Abulenſis Joſuæ 9. q. 30. Eſtq; valdè notanda differentia, quod revelatio propria percipitur ab intellectu, & per eam concipitur aliquo modo objectum revelatum, & ratio, quæ oſtenditur ad aſſentiendum illi: infuſio autem habitus non ita percipitur ab intellectu, ſed inviſibili modo ab ipſo* D*EO fit, ut per ſe conſtat.*

XIII. Objectum Revelationis inſinuavimus in Definitione, quod ſc. ſit DEUS. Revelavit enim DEUS ſeipſum, & vel maximè ſuam voluntatem, ad quam extra hanc Intellectus humanus pertingere nequit, Myſterium Salutis noſtræ, quod noſſe maximè intererat, credenda & agenda, cùm & Lex & Evangelium illius mentem & voluntatem exponat. Generali nomine abſcondita rectè dicas materiam revelationis, quo quidem reſpexit *Daniel vir deſideriorum, hoc Elogio* DEUM perſecutus: *Ipſe revelat profunda & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta, & Lux cum eo. cap. 2. v. 22.* Dicitur revelare profunda, detegere, ut palàm inſpici poſſint, & ut inſtar ſpeculi גליון dicti pateant omnibus, nec tantum profunda, ſed & abſcondita, dehiſcentia manifeſtata, & noſſe eum in tenebris conſtituta, caliginoſa nocte obumbrata.

bræa, tanquam lucem per Eſſentiam. *1. Joh. 1. v. 5.* adeòque *vult*, ut quidam exponunt, *tria genera, quæ ſupra omnem ſunt naturæ creatæ cognitionem, indicare; primum rerum ſupernaturalium, τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ, cujusmodi myſteria fidei noſtræ; alterum eorum, quæ vocantur arcana cordium, propria voluntatis & intellectus actiones; tertium eorum, quæ in Scholis vocantur futura contingentia, quæ in tenebris conſtituta, & intellectus humani aciem omnem ſubterfugiunt*; quanquam alii aliter hæc accipiant: hoc certum, multiplicatis vocibus intendi ſummam in Deo perſpicaciam & Revelationem etiam illorum, quæ aliàs ſunt obſcuriſſima. Conſpirant Arabes & Muhamedani, quibus Prophetia nihil aliud, quam Arcani Annunciatio.

XIV. Malè itaque cenſuit quondam Abailardus apud Bernhardum Epiſtola 190. *Objici menti humanæ tantum illa, quæ rationi naturali plauſibilia*; malè Photiniani, qui cum Vordovio in Apologia contra DD. Ordines, Oſtorodo, Smalcio, *quæ Chriſtianæ ſunt religionis, æſtimant ex convenientia cum ratione*; malè, qui cum modernis quibusdam Philoſophis & Theologis revelata naturalia & moralia non æſtimant ex perſpicaciâ revelantis, ſed ſuo ingenio adipeunt, & Lumini naturali corrigenda ſubjiciunt, de quibus in ſequentibus.

XV. Quemadmodum autem Deus affectu fertur ardentiſſimo in totum genus humanum, ut lapſum erigat, corruptum reſtauret; ita per revelationem intendit ſalutarem ejusdem informationem: quanquam non negandum, utut collimet illa principaliter ad cognitionem eam, quæ ducit ad patriam cœleſtem, mentisque humanæ perfectionem in illis, quæ credidu ſunt neceſſaria, etiam ad illa ſeſe extendere, quæ aliàs quoque ſub lumine naturali comprehenduntur. Prius liquet ex Teſtimonio Pauli aſſeverantis: *Nihil ſe ſubterfugiſſe eorum, quæ Auditoribus conducerent, quo minus annunciaret eis illis, & doceret publicè & domatim, teſtificantem ſimul Judæis & Græcis converſionem ad Deum & fidem in Dominum noſtrum Jesum Christum, Act. 20. v. 20. 21.* Poſterius ex eo, quia Scriptura paſſim inſpergit naturalia & moralia, hiſtorica & politica, quibus Intellectus hominis utpote à veritate primâ revelante profectis perficitur.

XVI. Vanos dicimus illos, qui putant, hæc non poſſe ſimul conſiſtere, & expungere tentant hinc ſecundarium finem, cum

W.mi-

& [illegible], exiſtimet, doctrinam de rebus naturalibus ex revelatio-
ne, non eſſe fontem vel Scripturæ vel revelationis, ſed ad hominem mo-
dum, non propter ſe, ſed propter alia explicatur: quamquam
conceſſo etiam, rationem medii tantum habere, nihilominus va-
cillaturus ſit ille Conſenſus veritatis revelatæ cum veritate Philoſo-
phicâ, qualem obtendit Carteſianus ille Theologus.

XVII. Magna autem Varietas deprehenditur in Revelatio-
ne, ſi attendantur modi illius. Nam primò facta eſt vigilantibus,
per ſigna externa viſibilia vel audibilia: prioris Exempla habemus
in *Eſaiâ* vidente *DOMINUM cap. 6. v. 1.* Jeremiâ ſpectante
virgam & ollam, *cap. 1. verſ. 11. & 13.* Cornelio, *Actor. 10. v.
3.* poſterioris in Moyſe, cui Deus loquutus fuit è propitiatorio
& alias. *Num. 12. v. 8.* Samuele, *1. Sam. 3. v. 10.* Chriſto, *Johann.
12. verſ. 28.* Ad prius genus referuntur à quibuſdam etiam alia;
Columna illa, in quâ DEUS ſe conſpicuum exhibuit Iſraelitis, &
eoſdem præceſſit; Urim & Thummim, de quo *Exod. 28. verſ. 30.
Numer. 27. v. 21.* Umbra in Solario retrograda, de quâ *2. Reg. 20.
v. 9. Eſa. 38. v. 8.* Sortilegia in Rege Saule & Apoſtolo Matthiâ.
1. Sam. 14. v. 20. Actor. 1. v. 26. nec non alia divina extraordina-
ria φάσματα & miracula: ad utrumque reducuntur illa, quæ à qui-
buſdam mixta dicuntur, quia & aliquid viſui & aliquid inſimul au-
ditui fuit objectum, qualis Revelatio facta Moſi in rubo ardente
Exod. 3. v. 2. & 3. & ſeqq. Apparitio illa in Jordane, *Matth. 3. v. 16.*
Secundò facta eſt quandoque per ſigna interna, & quidem vel ima-
ginaria, quibus aſſueti plurimi Prophetarum, Ezechiel, Daniel, Za-
charias, & in N. T. Johannes, cujus teſtimonium Apocalypſis; qui
modus nomine viſionis venit. *Num. 12. v. 6. Eſa. 29. v. 11.* vel per
ſpecies intelligibiles, qualis revelatio obtigit θεοπνεύστοις, & qui-
dem vel in ſomnis, ceſſante exteriorum ſenſuum & membrorum
corporis uſu, cujus Exempla habemus in Petro *Actor. 10. v. 10.*
Paulo *in tertium cœlum rapto. 2. Corinth. 12. v. 2. 3. 4.* vel citra il-
lum, ſenſuum & membrorum corporis uſu ſalvo relicto, cujus Ex-
emplum Scriptores ſacri, Evangeliſtæ & Apoſtoli, quibus DEUS in-
ter loquendum maximè vel ſcribendum ſpecies intelligibiles &
conceptus inladit divinos, ſuggeſſit, quæ per calamum exarárunt,
de quo *2. Timoth. 3. v. 16.* vocatur aliàs à quibuſdam Illuminatio
immediata, & huc referunt Chariſma variarum linguarum ſubitò
in

in Apoſtolis præſens, *Act.* 2. v. 4. nec non viſionem illam Stephani *Act.* 7. v. 55. de quâ quid ſentiendum, in ipſâ diſputatione ſtatâ occaſione aperiemus. Tertiò facta eſt dormientibus, & quidem vel per ſigna imaginaria, ut videre eſt ex ſomnio Pharaonis de *ſpicis & vaccis* *Gen.* 41. v. 1. 2. & *ſeq.* Nabuchodonoſoris *Daniel.* 2. v. 1. 29. & *ſeqq.* vel vocibus, quales obtigerunt Abimelecho, *Gen.* 20. v. 3. Magis *Matth.* 2. v. 12. denique per mixta, cujus illuſtre Exemplum in Theophaniâ illâ, quâ vidit in ſomnio ſcalam admirandam, & inſimul excepit promiſſionem gratioſam Jacobus, de quâ *Gen.* 28. v. 11. 12. & *ſeqq.* Et hoc genus Revelationis exprimitur Nomine ſomnii *Num.* 12. v. 6. Eodemque colorare voluerunt Pſeudo Prophetæ ſua Phantaſmata, dicendo. *Somniavi, ſomniavi*, *Jerem.* 23. v. 25. & c. 29. v. 8.

XVIII. Miſſum facimus circa hoc punctum 1. Moſen Maimonidem, qui *ſexaginta genera* vel partes in Prophetiâ obtrudere ſatagit, Entia multiplicans citra neceſſitatem. Secundò minus accuratam quoque exiſtimamus eſſe illam Rabbinorum diſtinctionem in quatuor genera, 1. *Spiritum S. cujus ſuffitu & ſuggeſtu aliquis inſpiratus in laudes Dei excurrit, neſcius, unde divina dona & potentia ſibi obtigerint.* 2. *Prophetiam, quam definiunt Influentiam à Deo, mediante Intellectu agente ſuper facultatem rationalem primo, deinde ſuper facultatem imaginariam* 3. *Viſionem Propheticam, quæ fit mediante ſpecie Phantaſiæ impreſſâ, ut res ei exhibeatur interius, non aliter, ac ſi ſenſibus externis præſens eſſet.* 4. *Somnium Propheticum, dictum ſcil. Prophetiæ, adeoq; aliquid imperfectius & complemento ſuo deſtitutum*; Malè enim Spiritus Sanctus cæteris generibus contradiſtinguitur, nec tria reliqua membra dextrè explicantur. 3. Improbamus illam Pontificiorum graduum, aut ſpecierum, multiplicationem, aliis ſeptem, aliis octo numerantibus, conditiones extrinſecas cum ipſis modis propriè ſic dictis confundentibus.

XIX. Subſiſtimus hic aliquantum, notaturi Impietatem Anonymi Authoris Tractatus Theologico-politici, quem Spinoſam eſſe volunt, circa hanc Materiam: nam primò ut obtineat, Prophetiam nihil niſi corpoream vanam Imaginationem [illegible], definit illam, *quod ſit rei alicujus certa cognitio à Deo hominibus revelata. Propheta autem is eſt, qui res à Deo revelatas iis interpretatur, qui rerum à Deo revelatarum certam cognitionem habere nequeunt,*

[illegible]

quiq; adeò verâ fide res revelatas amplecti tantùm poſſunt. Pag. 1. Secundò, ut ſtabiliat modum revelationis corporeum, ſtatuit, *omnia, quæ* Deus *Prophetis revelavit, iis revelata fuiſſe vel Verbis vel figuris, vel utroq; hoc modo, verbis ſcil. & figuris. Verba verò, & etiam figuras, vel veras fuiſſe & extra Imaginationem Prophetæ audientis ſeu videntis, vel imaginarias, quia nimirum Prophetæ Imaginatio etiam vigilando ita diſponebatur, ut ſibi clarè videretur verba audire, aut aliquid videre*, fatetur quoque Judæorum quorundam opinionem fuiſſe, *verba Decalogi non fuiſſe à* Deo *prolata, ſed Iſraelitas ſtrepitum tantum audiviſſe, nulla quidem Verba proferentem, atq; eo durante Leges Decalogi purâ mente percepiſſe, quod etiam aliquando ſuſpicatus fuerit*, quam tamen opinionem deſerit; tertiò dicit, ex *Numer. 12. v. 6. 7. 8. conſtare, omniq; Moſem verba vera audiviſſe, cæteros verò Imaginaria tantùm, quod magis adhuc confirmetur ex Deuteron. 34. verſ. 10. præter* Christum *neminem niſi Imaginationis ope, videlicet ope verborum, aut Imaginum,* Dei *revelata accepiſſe, atq; adeò ad prophetizandum non eſſe opus perfectiore mente, ſed vividiore Imaginatione*; dein poſt ſpinoſa Philoſophidia de Spiritu, concludit: *Scripturam, ſi aſſerat,* Deum *Spiritum ſuum hominibus infudiſſe, homines illo repletos fuiſſe, nihil aliud ſignificare, quam quod Prophetæ virtutem ſingularem & ſupra communem habuerint, quodq; pietatem eximiâ animi conſtantiâ coluerint.* Corollaria tandem nectit ſequentia: *Dubium non eſſe, Prophetas multa, cum Imaginationis ope* Dei *revelata perceperint, extra Intellectus limites percipere poſſe, patere etiam, cur Prophetæ omnia ferè parabolicè & ænigmaticè perceperint & docuerint, & omnia ſpiritualia corporaliter expreſſerint, nec jam mirandum eſſe, cur Scriptura vel Prophetæ adeò impropriè & obſcurè de* Dei *Spiritu ſive Mente loquantur, ut Numer. 11. v. 17. & 1. Reg. 22. v. 21. quod Michæas* Deum *ſedentem, Daniel autem ut ſenem veſtibus albis indutum, Ezechiel verò veluti Ignem, & qui Chriſto aderant, Spiritum Sanctum, ut Columbam deſcendentem, Apoſtoli verò ut linguas igneas: & Paulus deniq;, cum prius converteretur, lucem magnam viderit, hæc enim omnia cum vulgaribus de* Deo *& Spiritibus Imaginationibus planè convenire. Deniq;, quoniam Imaginatio vaga ſit & inconſtans, ideò Prophetiam Prophetis non diu hæſiſſe, nec etiam frequentem, ſed admodum raram fuiſſe, in pauciſſimis ſc. hominibus, & in iis etiam admodum raro.*

XX. Præ-

XX. Præterea de Prophetis ita philoſophatur: primo, *Prophetas non fuiſſe perfectiore Mente præditos, ſed quidem potentiâ vividius imaginādi, & de Salomone conſtare, eum quidem ſapientiâ, ſed non Dono prophetico, cæteros excelluiſſe:* ſecundo, *quia ſimplex Imaginatio non involvat ex naturâ ſuâ certitudinem, ſequi, prophetiam per ſe non poſſe involvere certitudinem, cum à ſola Imaginatione pendeat, & ideò Prophetas non certos fuiſſe de* DEI *Revelatione per ipſam Revelationem, ſed per aliquod ſignum,* quod Exemplis confirmare ſatagit; tertiò, *ſigna pro Opinionibus & capacitate Prophetæ data fuiſſe: ita ut ſignum, quo dunum Prophetam certum redderet de ſuâ Prophetiâ, alium, qui aliis eſſet imbutus Opinionibus, minimè convincere poſſit: & ideò ſigna in uno quoq; Propheta variaſſe pro ratione temperamenti, ſtylum deinde Prophetiæ pro Eloquentiâ ejusdem prophetæ variaſſe, repræſentationes tandem propheticas & hieroglyphica, quamvis idem ſignificaretur, tamē variaſſe, & quidem inſuper perſpicuitate;* maximè verò id intendit docere, *quod Prophetæ varias, imò contrarias, habuerint Opiniones, & varia præjudicia, ut & Prophetias ſive Repræſentationes pro Opinionibus Prophetarum, quas amplexi fuerint, etiam variaſſe, prophetiam nunquam illos doctiores reddidiſſe: ſed eos in ſuis præconceptis Opinionibus reliquiſſe: ac propterea nos iis circa res ſpeculativas minimè teneri credere.*

XXI. Denique ſtatuit primo: *omnes nationes Prophetas habuiſſe, & donum propheticum Judæis peculiare non fuiſſe*, ſecundò diſputat contra Phariſæos, *qui contenderint acriter, hoc donum ſuæ nationi tantùm peculiare fuiſſe*, & dictum illud *Exodi 33. v. 16.* ſollicitat: tandem loca illa *Jeremiæ 31. v. 36. Ezech. 20. v. 32.* vellicat.

XXII. De pectorali Pontificis, quod primam ad claſſem transtulimus, maxima ſemper inter Eruditos fuit controverſia. Nos exiſtimamus, illam ſententiam eſſe ſimpliciſſimam, quæ ſtatuit ipſas duodecim gemmas, in pectorali collocatas, dictas eſſe Urim & Thummim, adſtipulantibus nobis ex Judæis Joſepho & Rabi Aſaria; ex Chriſtianis, Paulo Fagio, Brentio, Meiſnero, & aliis. Modum Revelationis quidam probabiliter ponunt *coruſcationem extraordinariam*, quidam *literarum inſculptarum fulgorem*, quidam *configurationem gemmarum illuminatarum, quæ ſpeciem literarum exhibuerunt*: nos nihil definimus. Uſus etiam fuit non promiſcuus & pro quibusvis, nec in omnibus cauſis vel caſibus, ut conſtat ex *Numer. c. 27. v. 21.*

Eleazar Sacerdos conſulet hominum in judicio Urim : ad Verbum ejus egredietur & ingredieturr ipſe, & omnes filii Iſraël cum eo, & cætera multitudo.

XXIII. Non ſubſcribimus hîc Ebræorum 1. Sententiæ, quæ *Sculpturam Nominis* J*EHOVAH* cum aliis ſubſtituit, nec 2. Pontificiorum quorundam, qui hæc vocabula Urim & Thummim *inſcripta Pectorali aureo Charactare* propugnant. 3. nec tandem illorum, qui *lapides lucidiſſimos* nobis obvertunt *immediate à* D*EO productos*. Diſplicet etiam II. circa modum revelandi ſententia Chriſtophori à Caſtro, *qui articulatam vocem Idolorum quorundam* abſurdiſſimè admittit; quorundam Hebræorum, *qui Urim exhibuiſſe Lucem, Thummim literas addidiſſe* opinantur; moderni cujusdam, *qui* D*EUM per internam Illuminationem ſubveniſſe* conjicit, cum ita non ex Urim & Thummim, non ex pectorali, fuiſſet revelatio, ſed aliunde: tandem III. reprobamus quoque ſententiam Molinæi, qui Reſponſionem per Urim & Thummim refert ad reſponſa ex propitiatorio, quæ tamen diverſi fuerunt generis.

XXIV. Subſcribit Sententiæ ſupra recenſitæ Rivetus, qui ita definit. *Omnibus expenſis, probabilior mihi videtur ſenſus, in quo nominibus hisce deſignantur lapides illi duodecim in rationali collocandi, qui nominibus hisce* duobus *inſigniuntur, ratione uſus ſingularis, ad quem deſtinabantur. Itaq; poſtquam eorum deſcriptio facta fuiſſet, ſecundum materiam, ſecundum formam & Scripturam, item numerum, recte additur, pones in rationali Urim & Thummim de iisdem lapidibus, i. e. ut ſint illuminationes & conſummationes, ſeu impletiones, ut nempe ita diſpoſiti, & rationali impoſiti, ex inſtituto divino, ſint Urim, id eſt, in earum uſu, aut ad earum reverentem inſpectionem inſpiretur Sacerdos, de futuris inquirens, certusq; fiat, & alios certos efficere poſſit de eventu & impletione eorum, quæ ipſi patefiunt.*

XXV. Dubios quosdam reddidit ἔκστασις Pauli, quomodo illa ſeſe habuerit, cùm ipſe dicat, neſcire ſe, utrum fuerit in corpore, an extra corpus, quibusdam exiſtimantibus, ignoráſſe Paulum, utrum ſimul cum corpore fuerit raptus in tertium cœlum, cujus ſententiæ volunt eſſe Chryſoſtomum, quo vergit Grotiana quoque Paraphraſis: quibusdam verò ſentientibus, Paulum dubitaſſe, utrum ea, quæ vidit in raptu, viderit, animâ in corpore manente, an à corpore ſeparatâ, quod poſterius probabilius.

XXVI.

XXVI. Audiatur Thomas qui ita: *quidam intelligere voluerunt, ut raptus referatur ad corpus: dicentes, Apoſtolum dixiſſe, ſe neſcire, non quidem, an Anima eſſet conjuncta corpori in illo raptu, an non; ſed an eſſet raptus ſecundum Animam & corpus ſimul: ut ſimul corporaliter portaretur in Cœlum, ſicut Habacuc portatus fuit Daniel. ultimo. an ſecundum animam tantùm eſſet in viſionibus* Dei*: ut dicitur Ezech. 8. In viſione adduxit me in terram Iſraël. Et iſte fuit intellectus cujusdam Judæi, quem exprimit Hieronymus in prologo ſuo ſuper Dan. ubi dicit, denique & Apoſtolum noſtrum non fuiſſe auſum affirmare, ſe raptum in corpore, &c. Sed hunc Intellectum Aug. maximè improbat. 12. ſuper Genes. ad literam, quia non conveniat cum aliis verbis Apoſtoli. Apoſtolus enim dicit, ſe raptum usq; in tertium Cœlum. Unde ſcivit pro certo, illud fuiſſe verum Cœlum. Scivit ergò, an illud Cœlum eſſet corporeum an incorporeum. Sed ſi fuit incorporeum, ſcivit quod corporaliter ibi rapi non potuit, quia in re incorporea non poteſt eſſe corpus. Si verò corporeum fuerat, ſcivit, quòd non fuit ibi anima ſine corpore, quia anima conjuncta corpori non poteſt eſſe in loco, ubi non eſt corpus, niſi cœlum corporeum dicatur ſimilitudo Cœli corporei. Sed ſic Apoſtolus non dixiſſet, ſe ſcire, quòd raptus eſſet in tertium cœlum, i. e. in ſimilitudinem Cœli. Dicendum eſt ergò ſecundum Auguſtinum, quòd divinam Eſſentiam nullus in hâc vitâ poſitus & hâc mortali vitâ vivens videre poteſt. Unde dixit Dominus Exod. 33. Non videbit me Homo & vivet, i. e. non vibebit me Homo, niſi totaliter ſeparetur à corpore, ita ſc. quod anima ejus non inſit corpori ut forma, tamen mens ejus omnino in hujusmodi viſione totaliter alienetur à ſenſibus. Et jam dicendum eſt, quòd hoc quidem Apoſtolus dicit ſe neſcire, utrum ſcil. in illâ viſione anima ejus fuerit totaliter ſeparata à corpore. Unde dicit: ſive extra corpus: vel utrum anima ejus extiterit in corpore ut forma, tamen mens ejus fuerit à ſenſibus corporeis alienata.*

XXVII. Non poſſumus autem non improbare ſententiam Cameronis, qui ſtatuit, *Pauli* ἔκϛασιν *fuiſſe peractam ſeparatione animæ rationalis à corpore, ita tamen ut mortuus non fuerit Apoſtolus, permanente animâ ſenſitivâ, quæ diſtincta à rationali, non enim mortem eſſe dicendam, ſi non ſequatur animæ ſenſitivæ & vegetativæ extinctio, quod in morre propriè dictâ contingat.* Abſur-

dum enim, animam rationalem à ſenſitivâ eſſe diſtinctam eo usque; abſurdum, ſi ſit ſaltem diſtincta, non diviſa, ſeparabilem eſſe à ſenſitivâ; abſurdum, mortem non conſiſtere in ſeparatione animæ rationalis, & vegetativam atque ſenſitivam animam in morte extingui.

XXVIII. Supereſt, ut paucis etiam attingamus Genus illud Revelationis, quod בַּת קוֹל dicunt, ſive filiam vocis, quæ *fuerit velut ἠχὼ, ſeu ſonus imperfectus, qui in Templi concavitates reſonarit, vox cujusdam virtutis divinæ, quæ vocabatur* קוֹל *ſecundum Eliam* Levitam; Nos cenſemus, illam eſſe merum figmentum Judæorum, partim, quia nullo indicio de illa ex Scriptura conſtat, & poſt Malachiam quievit revelationum divinarum gloria, partim quia inter ipſos nondum convenit de illâ, dum quidam dicunt, *non fuiſſe vocem de Cœlo exeuntem, ſed aliam de voce illâ exilientem, alii vividam imaginationem illam opinantur, quà factum, ut vocem auribus inſonantem percipere quispiam viſus fuerit;* diſtinguunt etiam à Prophetiâ, & *inferiorem* dicunt *gradum gradu Spiritus ſancti, alloquium extra Imaginationem*, quæ egregiè ſcil. cohærent. partim quia in meram Authoritatem Rabbinorum ſeſe reſolvit.

XXIX. Ineptos itaque exiſtimamus, qui vocem cœlitus demiſſam ad Hagarem volunt fuiſſe בַּת קוֹל, ſcilicet filiam ante matrem, Ovum ante gallinam, cùm ſecundum plerosque in altero Templo tantùm reſonuerit. 2. qui ſtatuunt, vocem delapſam ſuper Chriſtum in Baptiſmo fuiſſe filiam vocis, exilem ſc. ſonum, contra evidentiam Textus, Gloriam apparitionis, cum Druſio. 3. qui ad genus revelationis referunt vocem illam, de qua *Joh. 12. v. 28. Et glorificavi & iterum glorificabo.* illam *Actor. 9. v. 4. Saule, Saule, quid me perſequeris?* illam denique Hieroſolymis reſonantem, tempore inclinantis Reipublicæ Judaicæ, & clamantem: migremus hinc.

XXX. Ut autem Deus quandoque immediatè ſe revelavit: ita quandoque per homines conſilia ſua patefecit. de Angelis conſtat inprimis ex *Luc. 1. v. 11. Apparuit illi Angelus Domini, ſtans à dextris altaris incenſi. & v. 27. Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam Viro.* De hominibus verò ex toto Prophetarum ordine, quorum ab Adamo, qui ſecundum Joſephum primus fuit, quamplurimi recenſentur ab illis, qui Catalogum conſignavere ſub utriusque Teſtamenti temporibus.

XXXI.

XXXI. Rectè rejiciunt noſtri ſententiam illam Epiſcopii, qui immediatam Dei revelationem negat in V. T. & in Novo tantùm obtinuiſſe vult, Chriſto prædicante in Carne, locumque *Numerorum* 12. pervertit, ſcribens: *Mediatus modus revelationis & qui per Angelos fit, duplex eſt, uti diſerte videre eſt Num. 12. v. 6. Primus in ſomnio aut viſione Prophetica, ſecundus ſine ſomnio aut viſione Prophetica, per ipſum Angeli præſentaneum Alloquium. Primus Modus Prophetas omnes ſpectat. Secundus Moſen ſolùm, uti diſertè verba Textus habent: Si fuerit Propheta in vobis, in viſione apparebo illi, in ſomnio loquar cum eo. Non ſic meus Moyſes, qui in tota domo meâ fidelis eſt. Ore ad os loquar cum eo atq; in viſione, non per ænigmata neque per ſimilitudines Dominum aſpiciet. Revelationis modus, qui in ſomnio fit, locum habet, cum ſenſus exteriores ligati ſunt; & phantaſiæ aut repræſentatur aut inprimitur ſpecies rei revelandæ. Revelationis modus in viſione fit, cum ſenſus exteriores ligati non ſunt, ſed veluti deliquium aliquod aut ἔκστασιν patiuntur, ſive uſu ſuo privantur, mente tota in ſpeciebus, quæ interiori Phantaſiæ objiciuntur, apprehendendis & ſpeculandis intentâ & occupatâ, ac quaſi à corpore & functionibus corporis externis abſtractâ & diviſâ, uti in vehementi imaginatione aliquando fieri videmus. Hisce duobus modis revelatio omnis Prophetica facta intelligi debet facta per manum Angeli, ſive is, qui revelationem accepit, dicat eam ſibi ab Angelo in ſomnio vel viſione factam eſſe, uti Gen. 31. v. 11. Num. 22. v. 11. ſive referat tantùm verba Angeli, nullâ ſomnii aut viſionis mentione facta, ut Geneſ. 35. v. 1. & 10. Gen. 22. v. 15. & Gen. 7. v. 1. ſive nullam prorſus Angeli mentionem faciat, ſed ſermonem totum referat tanquam ab ipſo* Deo *Opt. Max. prolatum ac profectum; ſed additâ mentione, quòd in ſomnio aut viſione factus fuerit, uti Geneſ. 15. v. 1. Fuit verbum Domini ad Abraham in viſione: ſive deniq; abſolutè & ſimpliciter dicat,* Deum *ſibi locutum eſſe, aut dixiſſe ſibi in terminis: fac hoc, vel dic hoc, nullâ vel Angeli vel ſomnii vel viſionis mentione factâ uti Geneſ. 12. v. 1. & 31. v. 3. Joſ. 3. v. 7. Judic. 7. v. 2. Eſa. 8. v. 1. Ezech. 24. v. 20. &c. 2. Reg. 19. v. 9. Oſe. 1. v. 1. Ezech. 37. v. 1.: Semper enim indubitatum manet iſtud: Nullam Prophetiam fieri niſi in ſomnio aut viſione, idq; per manum vel operationem intervenientem, id eſt, mini-*

ſterium Angeli. Et ab utroq; revelationis modo dicebantur olim Prophetæ omnes Videntes; uti legere eſt, 1. Sam. 9. v. 9.

XXXII. Affectiones Revelationis ſtatuuntur Veritas, Perſpicuitas, Certitudo, Utilitas, de quibus partim aliquid in diſputatione priori de Theologia monuimus, partim in ſequentibus σὺν Θεῷ de Scripturâ uberius agemus.

XXXIII. Simia Dei Diabolus, unde etiam æmulatus eſt modos revelationis divinæ, & quamvis ſit Spiritus tenebrarum, Lumina tamen fundere voluit. Huc referimus I. Oraculum Hammonis, quod Nomen à Chamo deducunt, in extimo Lybiæ fine apud Garamanthas. Alterum ad Dodonam, vetuſtiſſimam Moloſſidis urbem in Epiro ſitam. Secuta ſunt quam plurima alia, Pythium Delphis, Trophonium Amphiarai, Branchidarum in Mileſia, Sabæum in Phocide, Sebeniticum in Urbe Bruti. II. modos varios per nutus, per reſponſa, per metra, per ſortes, & talos, atque quamplurimos alios. Ægyptiorum quoque Pontifices & Ἀρχιδικασταί Saphirum geſtabant circa collum, ex aureâ catenâ dependentem, quam ἀλήθειαν appellebant, teſtibus Diodoro Siculo & Æliano, quo Diabolus æmulanter exprimere voluit Urim & Thummim Ebræorum. III. Vates & Miniſtros in hoc officii genere, Charthumim & ſapientes in Ægypto *Gen. 41. v. 8.* Mechaſchephim *Exod. 7. v. 11.* Menachaſchim *Deuter. 18. v. 10.* Jiddeonim *2. Reg. 23. v. 24.* Aruſpices, Auſpices, Aſtrologos, Chiromantas, Faſcinatores, Brachmannes Indorum, Druidas Gallorum, Bonzios Japoniorum, Taliſmannos Turcarum, Caraibes Braſſilienſium, Jougues Mogorum, Vates Hetruſcorum, Galeotas Siculorum, quibus accenſendi Simon, Menander, Elymas, Cynops, Martiades, Martianus, Montanus, Theodotus, Maximilla, & Priſca, aliique utriusque ſexus homines, Diaboli organa.

DISPU-

DISPUTATIO TERTIA
De
ARTICULIS FIDEI FUNDAMENTALIBUS,

THESIS I.

QUum Theologia verſetur circa Veritates ad ſalutem neceſſarias, & maximè in illis occupetur, ideòque expendendæ erunt, antequam ulterius progrediamur. Vocantur autem iſtiusmodi propoſitiones Articuli Fidei, de quibus noſtro tempore fervidè fuit diſceptatum, quibusdam in exceſſu, quibusdam in defectu peccantibus, quorum Notitia non tantùm cenſetur eſſe neceſſaria, ſed & inſigniter utilis, ſive conſiderentur ſigillatim, ſive in toto ſuo corpore, ſtructurâ & contextu.

II. Defintiur Articulus Fidei generatim, quòd ſit pars doctrinæ revelatæ, de objecto aliquo ſpirituali, nobis ad credendum propoſito.

III. Vox ipſa Thomæ Aquinati ſecunda ſecundæ Quæſt. 1. Art. 6. videtur deducta ex græco ἄρθρον, vel voce artus, & eſſe diminutivum, notare aliquid arctum, ſtrictum, coaptatum, ab arcto, arto, vel antiquo artuo: propriè notat juncturas & nodos digitorum, quæ arcto nexu cohærent, conſulantur Feſtus, Cicero, Plinius. Uſurpatur de montibus, ſegete, tempore, membris catenæ alicujus cohærentibus; translata autem eſt ad deſignanda fidei capita ſive partes doctrinæ, unde à nobis deſcribitur per partem doctrinæ. Pars dicitur, quia non eſt totum corpus doctrinæ, & tamen reſpectum dicit tùm ad totum, cujus eſt pars, tùm ad reliquas partes in toto comprehenſas; quemadmodum articulus digitorum; & ſicut articulus dicit talem partem, quæ juncturam habet cum aliis, ita articulus fidei connexionem habet cum cæteris; ut denique diſtinctus eſt articulus ab alio nodo, in ipſâ etiam cohærentiâ arctiſſimâ, ita articulus doctrinæ talis pars eſt, quæ diſtinguitur ab aliâ: addunt alii, quemadmodum articuli montium, ut Plinius loquitur, eminent: articulum fidei talem eſſe doctrinæ divinæ particulam, quæ præ cæteris tanquam Apex in Scripturâ emineat.

IV. Diximus autem eſſe Articulum partem doctrinæ. Cùm enim Articulus fidei non dicatur talis ex fide illâ, quæ credit, vel quâ creditur, quæque eſt in homine tanquam in ſubjecto, ſed ex fide, quæ creditur, ſive Objecto, circa quod credens verſatur, ideòque definitur per partem doctrinæ, & quidem judicio B. Hunnii, *cùm ex doctrinâ fides oriatur, hujus autem doctrinæ pars non protinus ſit pars fidei, quæ ex doctrina oritur, ideò non fidei, ſed doctrinæ fidei articulum eſſe appellandum, quem aliàs articulum fidei dicimus*, rectè cenſet & definit in diaſcepſi *cap. 1. §. 51.*

V. Doctrinam, cujus pars eſt articulus fidei, aſſerimus eſſe revelatam. Nihil enim credendum, niſi quod à DEO revelatum, cujus revelationis quidem hodiè Complexus eſt Syſtema librorum divinorum, ſive Sacra Scriptura Canonica, ad quam ſumus adſtricti, ita tamen, ut revelatum non tantùm ſit æſtimandum illud, quod αὐτολεξεὶ in illâ habetur, ſed etiam illud, quod per legitimam conſequentiam ex illâ deducitur, utpote quod ejusdem conditionis, indolis & naturæ cum illo, ex quo deducitur, & divinum, quia ex divino ſequitur. Addimus de objecto ſpirituali, quo ipſo hoc intendimus, Articulum fidei eſſe tale dogma, quod verſetur circa aliquid ſupernaturale, cœleſte & inevidens. Cùm enim in Sacrâ Scripturâ etiam occurrant naturalia, moralia, hiſtorica, & alia, quapropter illis relictis, & à Syſtemate articulorum fidei præciſis, ex illâ aſſignamus Articulis fidei Objectum tantùm ſpirituale, utpote quod ſolum proportionem habet cum Dogmatibus Typum credendorum repræſentantibus.

VI. Rejicimus itaque ſententiam primò illorum, qui Articulos fidei non depromunt ex revelatione, ſed Viſionibus, Enthuſiaſmis, & revelationibus confictis attendunt, quales perquàm multos vidit noſtrum ſeculum in Schwenckfeldianis, Wigelianis, Mennoniſtis, & aliis. Secundò, qui omnes fidei articulos creditu ad ſalutem neceſſarios expreſſè in Scripturis haberi contendunt, quæ Smalzii & Schlichtingii eſt opinio. Tertiò, qui non tantùm exigunt exiſtentiam in Corpore Biblico ad articulum fidei, ſed & neceſſitatis affirmationem, ut ſcil. Scriptura aſſerat, hæc eſſe neceſſaria, vel ut evidenter conſtet unicuique, ut illa, quæ in Solis menſâ poſita, eſſe hoc vel illud è numero credendorum; quò quidem Arminianorum tendit prodigalitas, qui ita Eccleſiam augere, hæreticos in ſinum ſuum recipere, errores ob defectum evidentiæ in ſubjecto excuſare, & tanquam Pamphili omnibus placere volunt.

VII. Nec

VII. Ne poſſumus præterire cruda illa Roderici ab Arriagâ, Eccleſiæ & Pontificis Authoritati ſupparaſitantis, & ſcribentis: *Conſtet ergò, ſive definitio Pontificis vocetur revelatio, ſive non, omnia eſſe objectum formale propriæ fidei, quæ ſcribuntur vel dicuntur, Spiritu Sancto aſſiſtente ſpecialiter Pontifici, ne aliquid falſi admiſceat, dum definit, eſto, non loquatur cum illo tunc divinitus, neq; ei dicat: Hoc & hoc eſt factum. Quæ veritas, & ratione à priori à me ſupra facta, & hac confirmatione multorum ſacrorum ſcriptorum eo ſolo modo ſcribentium, ita videtur clara, ut judicem, re prudenter ponderata, non licere ullo modo de ea dubitare, & miror, tot graves Doctores ob argumentum illud, quod Papæ nihil novi Spiritus Sanctus revelet, negâſſe eſſe de fide propriè, & in omni rigore, quæ à Pontifice definiuntur*, & paulò poſt: *Dico tertiò, non poſſe negari, à tempore Apoſtolorum & Evangeliſtarum multas veritates propoſitas, ut Fide divina credendas, quæ tamen non contineantur implicitè in Scriptura. Hoc ipſum oſtendo in opinione certa, quæ licet non ſit de fide, (de quo jam non diſputo) defenditur tamen ab Adverſariis, ſcilicet eſſe de fide, hunc numero hominem, Innocentium, eſſe ſucceſſorem Petri & Eccleſiæ caput, ut Pater Conink probat diſp. 14. dub. 3. atqui hic articulus non continetur implicite in Scriptura; nam licet primatus Petri contineatur, quòd verò Romanus Pontifex ſit ejus ſucceſſor, nullatenus ibi continetur. Unde ipſemet Conink, ad probandum hanc veritatem, ne quidem unum locum ſcripturæ adfert, & meritò, quia nullus eſt, ſed ex conſenſu Eccleſiæ, & aliunde, id probat; ergo hic articulus propoſitus eſt de novo poſt Sacram Scripturam.*

VIII. Εὕρημα quoque Adriani & Petri de Walenburg fratrum, quo ſe ſuis commendare auſi ſunt, nullius eſt momenti apud illos, quibus ſenſus ſunt in Theologiâ exercitati, ſtatuentium, *quicquid tantùm probatum, bonâ firmaq; conſequentiâ ex Scripturis deductum, non eſſe articulum fidei catholicæ, ſive non eſſe articulum fidei, qui ab omnibus debeat credi.*

IX. Cùm inſuper relationem quandam dicant articuli ad hominem, imò, ſecundum Richardum, *Articulus indiviſibilis ſit Veritas de* D E O, *arctans nos ad credendum*, ideòque etiam colligitur, eſſe omnem articulum propoſitum ad credendum, ita ut non tantùm probè cognoſcatur illud dogma, ſed & aſſenſus eidem adhibea-

tur, & quidem ex intentione Dei neceſſariò illum exigentis, & eâ de cauſâ hunc vel illum articulum proponentis.

X. Affectiones Articulorum fidei ſunt I. Veritas; pendent enim ex Revelatione divinâ, congruunt Scripturæ, quæ verbum Dei, aſſenſu ſupernaturali apprehenduntur. II. Certitudo, tùm ex parte objecti, tum ex parte rationis formalis. III. Sublimitas, quia altioris ſunt ordinis, quàm illa, quæ ſunt intellectui naturaliter obvia. IV. Inevidentia, quia continent talia Objecta, quæ Myſteriorum nomine veniunt. V. Cohærentia mutua & conformitas, quia, ut annuli in catenâ cohærent, ſic inter ſe conſpirant; cum, juxta B. Lutherum, *doctrina cœleſtis ſit inſtar puncti mathematici, non poſſit dividi, neq; ademtionem neque additionem ferre, ſit perpetuus & rotundus aureus circulus, in quo nulla fiſſura.* VI. Reſpectus & ordo ad ſalutem æternam, licet inæqualis, & vel remotus vel proximus.

XI. Errant itaque primò Calviniani, qui doctrinam de abſoluto prædeſtinationis Decreto ſtatuunt fundamentum Chriſtianiſmi, quod enim non verum & è Scripturâ deductum, nequit eſſe vel fundamentalis articulus vel fundamentum. Secundò, Pontificii, qui incertitudinem cum articulis fidei ſtare admittunt. Tertiò Photiniani, qui, quæ rationi ſunt conſona, inter articulos fidei referunt, neque ex ſublimitate dogmata fidei æſtimant. Quartò Scholaſtici Doctores, qui diſputant, num Articulus hic, *Deus eſt Unus & Trinus*, poſſit eſſe clarus & evidens in hâc vitâ ſaltem per abſolutam Dei potentiam, quod affirmat Scotus, Molina, Valentia, negat Durandus & Argentinas. Quintò quidam Novatores, qui truncant ſyſtema articulorum, reſecant neceſſarios, & cohærentiam illam labefectant. Sextò illi, qui ex connexione proximâ cum ſalute articulos fidei unicè æſtimant.

XII. Dividuntur Articuli fidei à quibusdam in puros & mixtos, puri illis ſunt, qui ex ſolâ Revelatione divinâ cognoſcuntur, vel ex verbo tantùm petuntur, & tantùm creduntur; mixti ſunt, qui partim ex ratione ſive Lumine Naturæ innoteſcunt, interim tamen creduntur ſolùm, quatenus in Scripturis traduntur. Exempla prioris generis ſunt Articulus de Trinitate, de Perſonâ & Officio Chriſti, de juſtificatione per fidem: poſterioris verò articulus de Dei Exiſtentiâ, Potentiâ, Bonitate, Sapientiâ Juſtitia &c.

XIII. Sed hæc dextrè accipienda. Si enim velimus ἀκριβολογεῖν,

λογεῖν, & exactiùs examinare terminum mixti, non videtur admittendus ullus articulus mixtus, quia omnes articuli ex revelatione pendent, ſublimitate gaudent, nec evidentiam habent, ſed reſpectum aliquem dicunt ad Beatitudinem æternam, ut ſupra oſtenſum; eo ipſo, quo articuli ſunt fidei, veritatibus ex Lumine naturæ refulgentibus ſunt contradiſtincti, nec miſceri queunt ea, quæ Luminis naturalis, & ſupernaturalis, adeò quidem, ut ſi aliqua veritas ſubſtet utrique Lumini, non referatur ad fidem, in quantum ſubeſt lumini naturali, & viciſſim non referatur ad ſcientiam, in quantum Lumini revelationis ſubſternitur. Quapropter formaliter mixti articuli nulli ſunt, ſed ratione materiæ tantùm ita dicuntur, & à puris diſcernuntur: unde rectè D. Calovius, Affinis honoratiſſimus, *certum eſt*, ſcribit, *ea etiam, quæ Lumine naturæ aliquo modo innoteſcunt, non credi, quà è Naturæ Lumine, ſed quatenus ex Revelatione divinâ habentur, unde illa videri poteſt tantùm nominalis & æquivoca diſtinctio.*

XIV. Nec tamen propterea probamus aſſertionem Pontificiorum, qui diſtinguunt inter antecedentia doctrinæ fidei, quæ de Dictamine juris naturalis ſunt, & inter conſequentia, quæ ex illis articulis poſſunt elici; medii verò generis tantùm pro articulis fidei agnoſcunt, cùm tamen in antecedentibus & conſequentibus non tantùm lumen Naturæ radiet, ſed & talia ſint, quæ revelata, & proin ut revelata ad fidei articulos referenda. Accedunt Pontificiis quidam ex modernis, quos tamen non ſequendos eſſe exiſtimamus.

XV. Magis nos ſollicitos tenet diſtinctio Articulorum fidei in fundamentales & non fundamentales, quorum illi ita denominantur à fundamento, cui in Hellade reſpondet ἑδραίωμα, θεμέλιον, ὑπόβασις, quæ vox aliàs artis eſt architectonicæ, & traducta ad ſublimiorem ſignificationem ab Apoſtolo, *Eph. 2. v. 20. Superædificati eſtis ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Jesu Christo, in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templũ ſanctum in Domino.* conſulantur etiam loca. *Coloſs. 1. verſ. 23. 1. Tim. 3. v. 15. Hebr. 6. v. 1.* communiter deſcribuntur, quòd ſint dogmata, quæ ſalvâ fide & ſalute vel non poſſunt ignorari, vel etiam negari. Unde non fundamentales erunt, qui ſalvâ fide vel ſalute ignorari & negari poſſunt; & à quibusdam fundamentales dicuntur tùm ſubjectivè, quia tanquam Baſis fidei ſuſtentandæ ſubſternuntur,

tùm effectivè, quia fidem cauſantur, tùm objectivè, quia proprium & adæquatum fidei Objectum conſtituunt, & ad illud neceſſariò requiruntur.

XVI. Nos per Articulum fundamentalem intelligimus tale dogma, quod dicit partem primariam doctrinæ cœleſtis creditu ita neceſſariæ, ut eâdem vel ignoratâ vel negatâ æterna Beatitudo obtineri non poſſit.

XVII. Commodè autem ſubdividuntur fundamentales Articuli in primarios & ſecundarios: quorum illi ſunt dogmata vel partes primariæ doctrinæ, ſine quarum notitia nemo ſalutem conſequitur, hi verò partes ſecundariæ, quarum ignorantia ſimplex non damnat, utut oppugnatio vel negatio fidem labefactet.

XVIII. Primarii verò Articuli fundamentales hunc ordinem inter ſe obtinent, ut alii ſint fundamentales antecedentes, alii fundamentales conſtituentes, qui etiam formales dicuntur, alii denique fundamentales conſequentes. Antecedentes illi ſunt, quorum cognitio requiritur, antequam fides ſalvifica concipiatur, quique intimè & intrinſecè fundamentum fidei non conſtituunt, nec fiduciam immediatè operantur, interim tamen maximè neceſſarii cenſentur, ut illis non poſitis fundamentum ipſum non ponatur, aut ſubſiſtat. Conſtituentes illi ſunt, qui immediatè & proximè in fidem ſalvificam influunt, & partes ſunt fundamenti fidei intimè conſtitutivæ. Denique conſequentes ſunt illi, quorum cognitio requiritur, ut fides ſalvifica conſervetur. Ad antecedentes reſpexit Apoſtolus, & θεμέλια ſive columnas appellavit, *Ebr. 6. v. 1. & 2.* ad conſtituentes, diſertè pronunciando, fundamentum aliud neminem poſſe ponere, præter id, quod ſit poſitum, JESUS CHRISTUS. *1. Corinth. 3. v. 11.* ad conſequentes, non excluſis antecedentibus & conſtituentibus, *1. Timoth. 3. v. 15.* ubi Eccleſia dicitur ςύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, columna & fundamentum veritatis, *quia*, ut Contarenus exponit, *firmatur & ſuſtentatur à veritate, vel* ut alii volunt, *illam pandit, exponit & profitetur.*

XIX. Numerus Articulorum fidei ut determinetur præciſè, primò non eſt abſolutè neceſſarium, cùm citra illius notitiam Chriſtianus firmiter credere & probè vivere poſſit: ſufficit in actu exercito aliquem amplecti illa omnia, quæ ad ſalutem requiruntur, nec neceſſum eſt in actu ſignato haberi in numerato illa, quemadmodum

ſufficit.

ſufficit ad linguam aliquam, habere vocabula ſufficientia, etſi numerum illorum neſciamus; ſufficit ad diſciplinam aliquam, ipſo actu habere notitiam præceptorum, quanquam nullus forſan quantitatem ſive numerum determinare poſſit. Secundò, Walenburgicorum pruritus in hâc materià ſiſti poteſt, ſi ad domeſticos remittantur. Quis enim non novit, nondum definitum eſſe hunc Numerum in ipſo Papatu, & quis non diſcrepantiam Doctorum videt inter Sectæ Papalis Principes? Conſulatur Tannerus diſp. 1 quæſt. 1. dub. 8. Tertiò non refugerunt noſtri Theologi etiam hanc expedire difficultatem, ut docere poſſunt ſcripta Wittenbergenſium, Lipſienſium, & aliorum, ad quæ remittimus.

XX. Neque ad ordinem hunc, neque ad indolem fundamentalium Articulorum ergo attendunt primò Pontificii, qui cum Thomâ *duos primarios tantùm articulos, qui ſemper neceſſarii fuerunt ad ſalutem, nempe* D E U M *eſſe, & Deum habere providentiam circa homines*, ſtatuunt, quod complexus Apoſtolus brevi illo Aphoriſmo *Ebræorum 11. v. 6. Accedentem ad* D E U M *oportet credere, quia eſt, & inquirentibus eum remunerator*; ex hypotheſi falſa de fide implicitâ, quæ in Papatu regnat, mala applicatione dicti Apoſtolici, & diſtinctione inutili complexus impliciti per conſequentiam oſtendendi, & in illâ deficientis. Qui ſecundò aſſerunt cum Philippo de Sanctâ Trinitate, *ad Objectum fidei pertinere, quòd ſit & futura ſit Eccleſia uſque in finem mundi, idque* exiſtimant *certum eſſe & ratione naturali & ſecundùm fidem: ſecundum illam, quia ratio naturalis demonſtret, eſſe conveniens tùm ad* D E I *gloriam, tùm ad animarum ſalutem, imò eſſe neceſſarium, ut in omni tempore vigeat vera fides in* D E U M, *& publicus ejus cultus; ſecundùm hanc, quia* C H R I S T U S *dixerit Petro Apoſtolorum Principi, ac ſuo vicario, Tu es Petrus*, vi *Matth. 16. & Luc. 22. Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, & Matth. 28. Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.* Tertiò, qui cum Gregorio de Valentiâ ſtatuunt, *teneri quempiam credere id, cujus contrarium eſt reipſa verum, ſi Synodus vel communis plurium Theologorum conſenſus ſtatuerit eſſe de fide.*

XXI. Unum fundamentum, à quo Articuli fundamentales denominantur, fuit tùm in V. tùm in N. Teſtamento, nec facta eſt aliqua multiplicatio per ſucceſſiones temporum in ſubſtantiâ, agno-

ſcente ipſo Lombardo lib. 3. diſtinctio 25 & ſcribente, *quoad ſubſtantiam poſt lapſum eandem fidem ſemper fuiſſe, nec articulos temporum progreſſu fuiſſe auctos*, quod etiam ſolidè ex Scripturis oſtendi poteſt Teſtimonio Petri *differentis: hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à Vobis ædificantibus, quia factus eſt in caput anguli, & non eſt in alio aliquo Salus, nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo, datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvari. Actor. 4 v. 11. 12. & Pauli dicentis: Quid tentatis* Deum, *imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini* Jesu Christi *credimus ſalvari quemadmodum & illi. Actor. 15. v. 10. & cap. 26. v. 22. Auxilio adjutus* Dei, *&c. usque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori atque majori, nihil extra dicens, quàm ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe & Moſes.* Quanquam gradus fuerint in Lumine, cùm tempora V. T. obſcuriora temporibus N. T. Sole emergente, & omnia colluſtrante in terrâ tenebris opertâ.

XXII. Rejicimus itaque non tantùm illos, qui Patres V. T. tenebris immerſos fuiſſe docent, & per craſſam ſimplicitatem ferè Brutis exæquant, ſed etiam illos, qui tùm in lege Moſis, tùm in lege Naturæ viventes quondam fuiſſe absque fide explicatâ Trinitatis, nec illam iis neceſſariam fuiſſe, vel medii vel præcepti Neceſſitate, aſſerunt, de quibus Ludovicus Abelly Pariſinus part. 1. Tract. 1. cap. 1. pag; 10. illos denique, qui articulos fidei quosdam in N. Teſtamento eſſe ſtatuunt, qui non fuerint revelati in Veteri, ideò quia de Sacramento Confirmationis, extremæ Unctionis, & Matrimonii, de ſecretâ peccatorum confeſſione & Abſolutione, de Vicario Chriſti in gubernatione Eccleſiæ, nihil proditum, ſed demum tempore Evangelii hæc fuerint evulgata Myſteria.

XXIII. Nec ſine cenſurâ transmitti poteſt ſententia Joachimi Abbatis, qui diſtinxit tres ſtatus hominum, primum ab Adamo usque ad Chriſtum, ſecundum à Chriſto usque ad Sanctum Benedictum, tertium à S. Benedicto usque ad finem mundi; *in primo aſſerens latam eſſe & prædicatam legem carnalem, in ſecundo latam quidem legem ſpiritualem Evangelii carnaliter, ſed non ſpiritualiter prædicatam, in tertio eandem eſſe Spiritualiter prædicatam;* ſi fides Alphonſo à Caſtro & Guidoni Carmelitæ, ex quo concludunt Pontificii, *articulos fidei perfectius nunc intelligi & prædicari,* quàm

quàm tempore Apoſtolorum intellecti & prædicati fuerint. Egregiè ſcilicet! num enim Abrahamus, Iſaacus & Jacobus, tota Eccleſia Judaica nihil habuit præter legem carnalem? num carnaliter tempore Chriſti Lex Evangelii fuit prædicata, vel ab illo, qui fuit unctus Spiritu non ad menſuram, vel ab illis, ſuper quos effuſus Spiritus copioſiſſimè *Actor. 2.* num à S. Benedicto demum cœpit ſpiritualis prædicatio, invaleſcentibus tenebris Papiſticis? num ſpirituales fuerunt prædicantes poſt Bonifacium, qui fabulis ſuos ſermones ornarunt, paleas pro frumento verbi Dominici Auditoribus tanquam pecudibus propoſuerunt? Conſulantur Jacobus de Voragine, Johannes Beleth, Meffreth, & iſtiusmodi furfuris ſcriptores. Sanè niſi interveniſſet ſalutare Reformationis negotium, Ethica Ariſtotelis è ſuggeſtu textus loco fuiſſet propoſita in noſtra Tubinga, & ſubſtituta Scripturæ. Num autem hoc fuiſſet ſpiritualiter prædicari, an verò novum quoddam genus Bonifacio incognitum, Abbati Joachimo occultum? Non tamen probamus illa Thomæ, quæ Pontificii quidam adoptant, *quòd, quò fuerint homines viciniores Chriſto, eò pleniùs myſteria cognoverint*, quia quæ perfectio in Juventute, ea quoque in perfectione Spirituali.

XXIV. Utut verò Articuli fundamentales ſint dogmata, quæ ſalva fide & ſalute non poſſunt ignorari, non tamen eadem menſura cognitionis hîc ab omnibus & ſingulis exigitur. Variant quippe ſubjecta, ex quibus quidam ſimplices, quidam perſpicaciores, quidam infantes, quidam adulti, quidam Auditores, quidam Doctores & Paſtores. Et quis exigat illum gradum notitiæ à Ruſtico ad ruralia damnato, qui in literato inveniri debet? variant Talenta, cùm ipſe Deus inæqualiter illa concedat, diſpenſet & diſtribuat, uni plus, alteri minus, neque ultra concreditum exigere velit; variant ſtatus, ut nunc ſit homo in quieto atque pacato, in quo ipſi lac ſufficiat ad nutrimentum & ſanitatem fidei conſervandam, nunc verò in turbulento & tentationum flabris confuſo, ringente Diabolo & telis ignitis fatigante, hæreticis venena ſua paſſim effundentibus, Tyrannide invaleſcente potentiorum, ubi ſolidiore non tantùm cibo opus eſt ad firmanda robora, ſed & medicamentis quandoque contra peſtilentes afflatus, clypeo & enſe, face & buccina, ut quondam in ſelectioribus contra Midianitas militibus Gideonis. *Jud. 7. v. 16.*

XXV. Abſit itaque, ut cum Pontificiis fidem implicitam in articu-

articulis fundamentalibus etiam probemus, quæ nihil niſi mera ignorantia, definiente Altenſtaigio ex Gabriele, *quòd ſit talis fides, qua fideles credunt, quicquid Eccleſia credit, quæ ſi fuerit in corde, defendat ab omni hæreticâ pravitate ſecundùm* Occamum, addatur Roſella, Azorius, Amicus, Conſentinus. Secundò ut cum aliis dicamus; *ſufficere ad ſalutem ſolam* Dei *& Mediatoris & Chriſti notitiam*, inter quos Ferdinandus eſt à Caſtro Palao, ſtatuens, *etiam facta pronuntiatione Evangelii*, non eſſe neceſſariam notitiam Trinitatis aut Incarnationis neceſſitate medii, ſed ſolùm neceſſitate præcepti. Tertiò, qui ſymboli compendio Numerum Articulorum circumſcribunt, quam ſententiam propugnat Franc. Suarez. diſp. 1. quæſt. 5. ſect. 3. Tanner. Diſp. 1. q. 2. dub. 8. ſcribens: *Articuli Fidei, omnibus fidelibus communiter credendi, rectè ab Apoſtolis in unam quandam ſynopſin, velut credendi regulam, ac fidei Chriſtianæ ſummam collati ſunt; quæ idcirco ſymbolum Apoſtolorum dicitur: & pia ac probabilis opinio eſt, à ſingulis Apoſtolis ſingulos articulos fuiſſe compoſitos, & in eam credendi formam collatos. Prima pars traditur à S. Thoma hic q. 1. a. 9. & eſt apud Catholicos extra controverſiam; adeò ut non poſſint ab inſigni temeritate excuſari hujus temporis Novatores, qui negant, Apoſtolos id ſymbolum edidiſſe; occaſione forte ſumpta ab Eraſmo, qui in prologo paraphraſis in Matthæum, cœpit hac de re dubitare, contra certam & teſtatam omnium Patrum ſententiam. Clementis, epiſt. 4. ad Jacobum & l. 7. conſtit. Apoſtolicarum cap. 4. Irenæi, l. 7. contra hæreſes c. a. & l. 3. c. 4. Epiphanii, hæreſi 68. Leonis, ſerm. 11. de paſſione & epiſt. 8. 13. & 25. Chryſoſtomi, hom. 12. de ſymbolo, Ambroſii, l. 1. de Spiritu ſancto, & epiſtola 81. ſerm. 38. Maximi, homilia de traditione ſymbol, & aliorum; quibus accedunt omnes ſcholaſtici in 3. diſt. 23. & 25. Ratio, quia cum ad ſalutem neceſſarium ſit, ſanam & incorruptam præcipuorum ejuſmodi fidei articulorum fidem ac notitiam habere, neceſſarium fuit, eos in brevem quandam epitomen contrahi, atq; ita fidelibus omnibus credendos proponi, ut rectè notavit S. Thomas cit. a. 9 De qua re plura Bellarminus lib. 4. de verbo* Dei *c. 4. Et quamvis dubium non ſit, Apoſtolos in ejuſmodi ſymbolo conſtituendo, ſingulari ductu ſpiritus ſancti fuiſſe gubernatos, ut articulos fidei omnibus creditu neceſſarios quam commodiſſimè exprime-*

primerent; non tamen ideo ſymbolum illud Apoſtolorum cenſetur ſcriptura canonica, ut ex communi rectè notat Gregorius de Valentia q. 1. pun. 5. non ſolùm quia, ut ipſe ait, Apoſtoli id immediatè, & quaſi verbotenus dictante Spiritu Sancto, non ſcripſerunt (id enim ad rationem ſcripturæ canonicæ univerſim forte neceſſarium non eſt, ut videre eſt apud Bellarminum l. 1. de verbo DEI *cap. 15. ad 2.) ſed quia non apparet, id vel ab ipſis Apoſtolis, vel his ex inſtituto dictantibus, ab aliis ſcriptum fuiſſe: ut quod idcirco ad nos non aliquo Apoſtolorum ſcripto, ſed traditione perveniſſe dicitur. In quem ſenſum etiam Auguſtinus l. 1. de ſymbolo cap. 1. ait: Symbolum nemo ſcribit, ut legi poſſit, ſed ad recenſendum, ne fortè deleat oblivio, quod tradidit diligentia. Sit vobis codex veſtra memoria &c. Quare illud ſine ſcripto ab Apoſtolis traditum eſſe, teſtantur etiam Hieronymus epiſtola 61. ad Pammachium, Ambroſius epiſt. 81. ad Siricium, & idem Auguſtinus de fide & operibus c. 9. Neq; refert, quod in ſymbolo nullus ponitur diſtinctus articulus de Sacramento Euchariſtiæ; quod tamen præ multis aliis fidei articulis præcipuam habet difficultatem. Ad hoc enim reſpondet S. Thomas a. 8. ad 6. in Sacramento Euchariſtiæ duo poſſe conſiderari: Unum ſcilicet quod Sacramentum eſt; & hoc habet, inquit, eandem rationem cum aliis effectibus gratiæ ſanctificantis. Aliud eſt, quod miraculoſe ibi corpus Chriſti continetur: & ſic concluditur ſub omnipotentia; ſicut & omnia alia miracula, quæ omnipotentiæ attribuuntur. Ita Sanctus Thomas; addi poteſt, in ſymbolo ea tantum dogmata fuiſſe poſita, quæ per ſe, & non tantùm per accidens, ob praxin, de* DEO, CHRISTO, *ac humana redemptione cognoſcenda & credenda eſſent, qua proinde ratione, nec myſterium Euchariſtiæ, aut pœnitentiæ Sacramentum, nec cætera intrinſecè ad praxin pertinentia, in ſymbolo ſpeciatim fuerunt expreſſa. Poſterior aſſertionis pars traditur à S. Thoma, Scoto, & Gabriele in 3. diſt. 25. qui ejusmodi articulorum diſtinctionem ſingulis Apoſtolorum ſigillatim reſpondentium commemorant: eademque eſt communis pia fidelium perſuaſio. Quæ inprimis ſumitur ex Auguſtino ſermone 115. de tempore, ubi ait: quod græcè Symbolum dicitur, latine collatio nominatur: Collatio ideò, quia collata in unum totius Catholicæ legis fides, Symboli colligitur brevitate, cujus textum vobis modo* DEO *annuen-*

te dicemus. Petrus dixit, Credo in DEUM *Patrem omnipotentem. Joannes dixit, Creatorem cœli & terræ. Jacobus dixit, Credo &* JESUM CHRISTUM *filium ejus unicum Dominum noſtrum. Andreas dixit, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex* MARIA *Virgine: Philippus ait, Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Thomas ait, deſcendit ad infernum, tertia die reſurrexit à mortuis. Bartholomæus dixit, aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram* DEI *Patris omnipotentis. Matthæus dixit, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Jacobus Alphæi; Credo & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam. Simon Zelotes, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum. Judas Jacobi, Carnis reſurrectionem. Matthias complevit, Vitam æternam, Amen. Et licet à quibusdam dubitetur, an is ſermo ſit Auguſtini, id tamen non multum intereſt, cum de iisdem ſingulis duodecim Apoſtolorum diſtinctis articulis ſuppetant etiam aliorum Patrum teſtimonia, ſpeciatim Leonis epiſtola 96. ad Pulcheriam, Venantii Fortunati præfatione ad expoſitionem ſymboli, Alcuini de officiis Eccleſiaſticis cap. 22. Rabani de inſtitutione Clericorum lib. 2. cap. 56. In qua ſententia conſequenter etiam dicendum erit, ſymbolum illud ab Apoſtolis confectum fuiſſe, non ſolum ante diſperſionem Apoſtolorum, ſed etiam ante necem Jacobi, ut bene notavit Baronius Anno Chriſti 44. Tametſi quidem hæc ſententia non ſit omnino certa, de qua proinde etiam non eſt magnopere contentendum: modo illud generatim fixum maneat; ſymbolum illud verè ab Apoſtolis fuiſſe profectum; ſive interim à ſingulis Apoſtolis ſinguli articuli fuerint compoſiti, ut dictum; ſive potius communi Concilio & decreto, ante factam eorundem diviſionem, omnes ab uno, vel omnes ab omnibus; id enim non ita certò conſtat. Ex quibus etiam colligitur, unde Symboli appellatio deſumpta fuerit. Dicitur enim ſymbolum Apoſtolorum, vel quod ſinguli ad illud perficiendum ſuam quaſi contulerint ſymbolam, à græco verbo* συμβάλλω, *confero: vel quod Chriſtiani eo velut ſymbolo ac teſſera militari à cæteris dignoſcerentur, ut pluribus perſequitur Ruffinus in præfatione expoſitionis ſymboli. Ubi etiam illud poſtremo notandum; tametſi quidem communiter, & ut docet S. Thomas a. 9. ad 5. rectius dicatur, Sanctam Eccleſiam, non, in ſanctam Eccleſiam; tamen nec hanc quidem lectionem rejiciendam;*

ciendam; quicquid eam derideat Eraſmus in colloquio de fide, pro-feſſus, ſe non credere in Eccleſiam: ita enim legunt Epiphanius in Anchorato, Auguſtinus epiſtola ad Neophytos, & refertur de Conſecrat, diſt. 4. can. 1. item Hieronymus contra Luciferianos, & in epiſtolam ad Philemonem, & Chryſoſtomus hom. 6. de ſymbolo. Qui duo recte etiam notant, particulam in, junctam cum vocula credere, non ſemper ſignificare formalem ac ſupremam rationem credendi, quæ eſt D e u s; *ſed aliquando unum ex credendis, vel etiam auctoritatem proponentem fidem, ut patet ex Epiſtola ad Philemonem verſ. 5. Audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino* J e s u, *in omnes Sanctos. Item 1. Joannis 5. verſ. 10. Quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt* D e u s. *Et denique Exodi 14. Ubi nos legimus: Et crediderunt in* D e u m, *& in ſervum ejus Moyſen.* Accedit ſociis ex recentioribus Cardinalis Lugo, qui etiam ſtatuit, *fuiſſe ab Apoſtolis compoſitum, & æqualem habere cum ſcripturâ Authoritatem, & ideò fuiſſe ab illis factum, ut non tantùm propriam fidem profiterentur, ſed ut etiam inſtruerent alios, & darent illis formulam ad fidem ſuam profitendam,* ut loquitur Diſp. 3. ſect. 4. v. 58. Supponunt autem ſecurè, ab Apoſtolis fuiſſe confectum hoc ſymbolum, de quo tamen nihil habetur in Scripturâ; quis credat Lucam in Actis referentem de Adiaphoris *Act. 15. & 16.* non relaturũ fuiſſe de neceſſariis ad fidem? quis docebit, à quibus ſit compoſitum, an ab Apoſtolis ſit compoſitum, an verò etiam ab aliis? quis de tempore nos hujus conditura erudiet, quibusdam cum Tannero & aliis ad excurſum Apoſtolorum, aliis ad tempora occiſi Jacobi referentibus? quis neſcit, à manu peregrina eſſe profectũ illud, quod allegat ex Auguſtino Tañerus; de quo ipſe dubitat Scepticus! Cyprianus ſane verbum ita olim temperavit, ut facilè colligi poſſit, quantũ tribuendum ſit huic ſententiæ dicens: *tradunt Majores noſtri.* Tertullianus nullibi aſſerit, traditum eſſe hoc Symbolum ab Apoſtolis ſecundum Verba. Videatur *de Virginibus velandis, de præſcriptione* cap. 13. reliqui à Tannero citati aut ſuppoſititii ſunt, ut Clementis Epiſtolæ & Conſtitutiones Apoſtolorum, aut infra ætatem Apoſtolorum, imò, ſeculum quartum & quintum. Nihil itaque in antiquitate canâ & ſanâ, pro hâc ſententiâ: præterea fuiſſe hoc fine conceptum, ut forma eſſet, & non norma fidei, qui non eſt finis ſymbolorum, ſatis evidens; Falſum denique, comprehendere ſummam Articulorum

rum fundamentalium, cum Jonas Schlichting à Buchowik.z provocet ad illud, in notis ad illud Anno hujus ſeculi quadrageſimo ſecundo editis, ex hoc ipſo impugnare auſus fuerit dogma Trinitatis in Diſputatione editâ contra Meiſnerum. Paria faciunt cum Pontificiis Marcus Antonius de Dominis, Remonſtrantes, & quidam moderni Theologi.

XXVI. Lepidum eſt, quod refert M. Zuerius Boxhornius de Laurentio Valla, Viro doctiſſimo: *de Symbolo, inquit quæſitum Apoſtolico, quo auctore docuiſſet, membratim illud & partim ab Apoſtolis Eccleſiæ fuiſſe traditum. Ibi ille Antonius Betontinus ſtatim, ut promptiſſimi ferè oris ſunt omnium ignari & imperiti: Doctores Eccleſiæ. Qui illi eſſent, & ut teſtimonia produceret, rogatus, jam reſpondiſſe ſe dixit, vehementerque in Vallam, velut impium hominem, & Chriſtianæ rei Eccleſiæque hoſtem, exorſus eſt ſtomachari. Et proximis diebus, in concione publica, graviſſimis contumeliis in nomen ejus ac famam eſt graſſatus. Nec prius deſtitit, quàm Rex, de re omni certior factus, Matthæum Malleferatum, Juriſconſultum, ad hominem objurgandum, caſtigandamque maledicentiſſimi oris petulantiam mitteret. Valla, tanquam ad diſputandum provocatus, quæcunque in ſe carpi damnarique acceperat, publico programmate in primario urbis templo propoſuit, contra quosvis defendenda. Convocat plerosque è nobilitate Neapolitanâ, ut pugnæ interſint, & inprimis Regis filium Ferdinandum. Placuit mox in ampliſſimo aulæ conclavi, quod ea de cauſa aulæis ſtatim & edito ſuggeſtu ornatum, in omnium conſpectu, inſtituere pulcherrimum hoc certamen, cujus exſpectatione doctorum animi erant arrecti. Adverſarii interim ſolliciti, trepidi, diſcurſantes, haud obſcura ignavi timoris indicia præ ſe ferebant. Itaque cum Rege egerunt, ne quid majorum turbarum oriretur, neve quid Romanæ Eccleſiæ auctoritati decederet, ut Vallam juberet indicta diſputatione ſuperſedere. Regis igitur auctoritate ac conſilio retentus, ut ſcirent, qui conventuri erant, non futurum certamen, & riſui ludibrioq; omnium adverſarios exponeret, affixit valvis hoc diſtichon :*

Rex pacis, miſerans ſternendas Marte phalanges,
Victoris cupidum continuit gladium.

Qua contumelia multo jam magis accenſi turbatique adverſarii,

nihil

nihil eorum intermiſère, quibus fieret, ut aut ad perpetuum carcerem Valla damnaretur, aut capitis ſupplicio libertatem dicendi expiaret. Itaque ad Vicarium Archiepiſcopi vocatur. Valla, etſi aliquid, non tamen tantùm inſidiarum ſuſpicatus, ad hominem pergit, ſine advocatis; amicis etiam, quos magnæ in aula auctoritatis, & plurimos habebat, non conſultis. Ubi condicta hora ſe ſtitit, ecce, videt è Pontificibus & omnis Ordinis Monachis conſcriptum coactumq; frequentiſſimum Senatum. Ibi Frater quidam, Prædicatorum Ordinis, quem Inquiſitorem dicebant, percunctatur: Quid de Symbolo ſentiret, & an non ab Apoſtolis id conditum ſignatumque ſtatueret? Ille, ſe ſentire, ajebat, non ab Apoſtolis illud compoſitum, ſed à Synodo Nicæna. Ibi tum alter, id hæreticum eſſe, exclamat. Valla, graviſſima ſibi argumenta eſſe, teſtatus eſt, quare ita ſentiret. Prolatæ etiam tunc ſunt Epiſtolæ, in quibus Decreta Pontificum cum à corrupta lectione nonnullis in locis eſſent Vallæ induſtria ac ſtudio purgata, adeoq; emendata, tamen ea ſic impugnari, & velut graviſſimum & ultricibus flammis expiandum crimen, objiciebant. Valla, quo iniquiſſimorum hominum effugeret improbitatem, præſentiſſimumq; diſcrimen, de his omnibus idem ſe ſentire, quod Eccleſia, identidem affirmabat. Cumq; acriter adverſarii urgerent, ut, quæ à ſe ſcripta ac dicta erant, ſtatim revocaret; Cur non potius, inquit Valla, vos docetis, eſſe revocanda? An mavultis oris mei, quam animi, emendationem? Quo enim pacto ego emendor, niſi id, quod ore fateor, animo etiam ſentiam? Et quomodo ex animo ſentiam, niſi ſententiam, quam ut veriſſimam hactenus tueor, vos falſi convincatis? Tum Aleſanus Epiſcopus, ejusdem Ordinis, manus ei injicit: Et tibi, inquit, homo ſceleſtiſſime, ſuperbia hic deponenda eſt. Quod cum cæteri tacitè improbarent, de his omnibus, inquit denuo Valla, idem ſentio, quod mater Eccleſia. Tum idem Aleſanus: Quid, rogat, ſtatuis de decem Prædicamentis? Etiamne, excipit Valla, decem Prædicamenta ad fidem ſpectant, ſicuti decem divinæ legis præcepta? Quidni, inquit Aleſanus, ad fidem iſta pertineant? An ignoras ex illo dogmate Dialecticorum, de ſenſu diviſo & compoſito, graviſſimas in Theologia controverſias explicari? Cum ei quidam adſentirentur, pauci diſſentirent; Age, inquit Valla, rem compendii faciamus; etſi iſta mater Ec-

 cleſia:

cleſia ignoret, tamen idem de illis credo, quod Mater Eccleſia. Volentem Aleſanum ad alias ineptias, & ſeveriorem in Vallam ſententiam, progredi, reliqui continuere.

XXVII. Abſit etiam, *ut præceptis & promiſſis* CHRISTI definiamus cum Socinianis credendorum ſyſtema, de quo videri poteſt Oſtorodus in præfatione inſtitutionum: *notitiâ Unitatis, æternitatis, juſtitiæ, Sapientiæ & potentiæ* circumſcribamus credenda, de Eſſentiâ DEI, cum Smalzio & cæteris: aut denique dicamus cum Socino, *vix quidquam cognitu neceſſarium eſſe ex iis quæ ad* CHRISTI *naturam pertinent, ad ſalutem*, quorum veſtigia in iſtiusmodi impiis aſſertionibus premunt Remonſtrantes moderni, longè recedentes à primipilo & Authore Sectæ Arminio, in præfatione Apologiæ ita differentes: *Certum eſt controverſiarum, quæ hodieque Chriſtianum orbem agitant, alias eſſe aliis leviores, alias graves, alias leves. Inter graves, aliæ ſunt graviores, aliæ graviſſimæ: uti inter leves, aliæ leviſſimæ. Graves apello eas omnes, quæ verſantur vel circa neceſſaria, vel circà utilia ad ſalutem dogmata. Neceſſaria dogmata voco, quæ ex officio nobis in Evangelio* JESU CHRISTI *præſcripto neceſſario tenenda ac facienda ſint, ut æternæ ſalutis participes evadamus; quæ tribus his comprehendo, Fide divinorum promiſſorum, obedientia divinorum præceptorum, & debita Scripturis, quibus præter promiſſa & præcepta, alia omnia divina oracula atq; enunciata continentur, reverentia. Utilia voco, quæ ex natura & proprietate ſua, non poſt alia plura ac certiora, ſed primò ac per ſe ſerviunt ad excitandum, fovendum, & augendum in animis noſtris ſcientiam earum rerum, quæ promiſſorum fidem, præceptorum obedientiam, debitamque Scripturis reverentiam alere aptæ natæ ſunt. Inter graves itaq; graviſſimæ ſunt controverſiæ primi generis, quæ circa præciſe neceſſaria verſantur. Ad eas proximo gradu accedunt controverſiæ ſecundi generis. Cæteras omnes, quæ non verſantur aut circa neceſſaria, aut circa utilia ad ſalutem dogmata, appello leves, quòd aut levia tantùm tractent, aut non niſi leviter: Sæpenumero enim controverſiæ hæ circa maximorum myſteriorum arcana verſantur, & acrioribus ferè animis ac ſtudiis agitantur, quàm quæ ſunt circa neceſſaria aut utilia: Sed quia eas in unam partem decidere, aut magno molimine ac conatu tractare operæ*

pretium

pretium non eſt. Neq; tamen prorſus inutiles eas cenſeri volo, quaſi nullus earum uſus ſit in polienda aut acuenda mente noſtra in rerum divinarum cognitione; ſed quod ad dogmatum neceſſariorum aut utilium inculcationem per ſe parum aut nihil conferant. Sunt autem eæ duorum generum: Aliæ ſpeculativæ, aliæ practicæ.

XXVIII. Abſit denique, ut ad mentem Jacobi Acontii ſubſiſtamus intra hunc Numerum, *quòd 1. unus ſit verus* DEUS *&c. 2. Quòd homo iræ judicioq; DEI ſit obnoxius, & quòd reviviſcant mortui, juſti quidem ad vitam æternam, impii verò ad ſempiternos cruciatus. 3. Quòd* DEUS JESUM CHRISTUM *filium ſuum miſerit in orbem, qui homo factus propter peccata noſtra, mortuus ſit, & propter juſtitiam à mortuis reſuſcitatus. 4. Quòd, ſi crediderimus* DEI *filio, per ejus nomen vitam conſecuturi ſimus. 5. Quòd non ſit in ullo alio ſalus. 6. Quòd unus ſit Baptiſmus in Nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Secundò ad ſenſum Hobbeſii, qui dicit, *alium articulum fidei præter hunc,* JESUM *eſſe* CHRISTUM, *homini Chriſtiano ut neceſſarium ad ſalutem requiri nullum*, quod aliquot argumentis oſtendere ſatagit, & quamvis colores adhibeat diluendæ audaciæ, quanti tamen illi ſint, ex ipsâ explicatione apparet, abſurdè aſſerens, *comprehendi hoc verbo totum ſymbolum*, & quamvis hoc admitteretur, quod tamen non admittendum, nihilominus in eodem luto hærere cenſendus eſſet cum illis, quos ſuprà notavimus. Denique ad præſcriptum Eduardi Baronis Herbert de Cherburii, in Tractatu de Veritate, & Scripto de Religione Gentilium, admittamus, *ſufficere ad ſalutem communes circa Religionem notitias*, quas quinque articulis comprehendit. *1. Eſſe ſupremum aliquod Numen. 2. Supremum iſtud Numen debere coli. 3. Virtutem cum pietate conjunctam præcipuam partem cultus divini habitam eſſe & ſemper fuiſſe. 4. Horrorem ſcelerum hominum animis ſemper inſediſſe, adeoq; illos non latuiſſe, vitia & ſcelera quæcunq; expiari debere ex pœnitentiâ. 5. Eſſe præmium vel pœnam poſt hanc vitam.*

XXIX. Secundarii Articuli fundamentales ſupra ſunt deſcripti, quod ſcil. illorum Cognitio non ſit neceſſaria, impugnari tamen nequeant aut debeant. Non fundamentalis autem Articulus in illis tantùm conſiſtit, quæ ſunt circa fidem, ita ut neque ignorantia illius, ne-

us, neque etiam ſimplex dubitatio vel negatio per ſe damnet: quales eſſe poſſunt de aquis ſupra cœleſtibus, de perpetua Excluſione lapſorum Spirituum, & confirmatione bonorum, de Mundi Interitu, ſubſtantialis ille, an accidentalis tantùm ſit futurus, quædam hiſtorica, Chronologica, Topographica, Genealogica, Exegetica.

XXX. Non itaque probare poſſumus Pontificiorum ſtultam aſſertionem, qui *hiſtoriam de inceſtu Judæ, de fonte aſcendente ex terrâ, imò de cane Tobiæ, quòd moverit caudam,* inter Articulos fidei retulerunt. Cum enim Hunnius interrogaret de cane Tobiæ, num articulus fidei, quòd ſecum illum duxerit, reſpondit Tannerus, *maximè, maximè, maximè!* Nec deſtitit ab hoc errore monitus, ſed repetiit in Theologiâ Scholaſticâ Tomo 3. Diſp. 1. q. 1. dub. 7. ℣ſ. 179. imperitiæ accuſans Hunnium, *Lutheranum*, ut vocat, *prædicantem, quòd aſſertionem de Evangelio Matthæi & cane Tobiæ velut abſurdam deriſerit.* Nec multum recedunt illi à Pontificiis, qui exiſtimant *Virginitatem* MARIÆ *poſt partum eſſe Articulum fidei.* Secundò abſurdi ſunt, qui poſt Bullam Gregorii XIII. *Aſcendente Domino, de fide eſſe* pronunciant, *Societatem* JESU *eſſe veram Religionem, & tria Vota ſimplicia ad hoc ſufficere*, ut quidem non erubuit ſcribere Rodericus ab Arriaga diſp. XI. ſub ſectione tertia §. 35. Tertiò etiam illi, qui *ad fidem pertinere* aſſerunt, *non tantùm, quod ſummus Pontifex Romanus ſit caput Eccleſiæ Catholicæ, Vicarius* CHRISTI *& Succeſſor Sancti Petri, ſed etiam quod hic in particulari habitus pro Romano Pontifice ſit* CHRISTI *Vicarius & Succeſſor Petri*, ut ineptiit Philippus de Sancta Trinitate, per plures paginas contra Banneſium. Talia quippe non tantum non ſunt articuli fundamentales, verùm ne quidem ſana dogmata, ſed ſtrumæ & tubera.

XXXI. Addere juvat hîc fundamenta ſive Columnas vel Articulos Judæorum, quos enumerat præter Maimonidem, & Abarbenelem, Menaſſeh Ben-Iſrael, ſcribens. I. *Si mundus eſt creatus, ſequitur dari aliquem mundi creatorem: nulla enim res ſe ipſam creare poteſt. Hinc ex iſtis primus articulus, ſcilicet;* DEUM *eſſe.* II. DEUM *eſſe unum: nam unitas, quam mundus in ſe habet, (uti Plato mundum dicit eſſe magnum animal) demonſtrat, authorem ejus eſſe unum.* III. DEUM *eſſe incorporeum. Mundus enim non eſt factus ope manum aut pedum, vel alicujus inſtrumenti*

menti corporalis adminiculo, multo minus ex prævia materia: ſed ſolo verbo vel decreto Dei *conditus, juxta id, quòd Pſalmiſta ait, Verbo Domini cœli facti ſunt, & ſpiritu oris ejus totus exercitus eorum.* IV. *Deum eſſe ab æterno; unde per ſe conſequatur, alia omnia præter* Deum *habere principium & originem.* V. *Solum* Deum *eſſe laudandum & colendum: quia is ſolus fecit mundum, & quæcunque in illo ſunt.* VI. *Deum ſe per prophetiam hominibus revelaſſe. Id arguere præceptum, quod* Deus *Adamo dederit in Paradiſo.* VII. *Prophetiam Moyſis eſſe omnium prophetiarum excellentiſſimam: quippe cui uni ac ſoli excluſivè ad alias omnes prophetas omnium manifeſtiſſimè cuncta, cum omnibus ſingularibus circumſtantiis, à* Deo *revelata ſint.* VIII. *Legem eſſe opus* Dei*: nam neminem hominum ex ingenio atque induſtria ſua poſſe conſcribere mundi creationem, quemadmodum ea à Moſe tradita eſt.* IX. *Legem eſſe æternam; ſi enim fundamentum creationis certum eſt atque invariabile, etiam certum, ſtabile ac permanens eſſe id, quod illi ſuperſtructum eſt.* X. *Deum ſcire, & perſpecta habere omnia opera hominum: ſicuti apparet ex hiſtoria Adami & Evæ.* XI *Deum præmia dare bonis & probis, pœnas verò infligere malis: uti conſtet ex hiſtoria Adami & Evæ.* XII. *Venturum eſſe Meſſiam, cujus typus fuerit Adamus, qui poſtea creatus eſt, vel Noachus, qui ſervarit omnes eos, qui diluvii periculum evaſerant.* XIII. *Reſurrectionem mortuorum futuram: quod appareat ex creatione Adami, qui ex pulvere terræ formatus ſit, eandem enim rationem eſſe in reſurrectione.*

Disputatio Quarta
De
RELIGIONE EJUSQUE NOTIS,

THESIS I.

ARticuli fidei in debita conjunctione, ut quoddam quaſi Syſtema effigiant, uno nomine appellari poſſunt Religio, de cujus origine diſputant Critici; quidam enim illam petunt à *relinquendo*, quod ea, quæ religioſa ſunt, à nobis

 relin-

relinquantur, noſtrique juris eſſe deſinant, tanquam Deo conſecrata, ut ex Maſurio Sabino Juriſconſulto Aulus Gellius refert libro quarto *Noctium Atticarum c. 9.* quidam deducunt hanc vocem *à relegendo cum Cicerone, ex ſecundo de natura Deorum*, quem ſecutus *Iſidorus l. 10. Originum*, quia ſit diligens quaſi rerum divinarum Relectio atque meditatio; quidam denique hoc vocabulum *à religando* derivant, quod Religionis ac pietatis vinculo obſtricti Deo & religati ſimus, quod Etymon placuit *Lactantio lib. IV. Inſtit. divinarum*.

II. Diſplicet tamen opinio Sabini quamplurimis, quia nimio remota videtur hæc origo, ſive vocum diſſimilitudinem attendamus, ſive etiam effectum, ex quo deſumitur. Nec Ciceronis omnibus placet, adeoque præfertur à Theologis illa Lactantii, quam approbavit etiam *Hieronymus in Amoſum*, & *Auguſtinus*, qui lib. 1. de vera Religione capite ultimo primam ſententiam, quaſi hæc vox deſcendat à verbo relinquere, retractat lib. 1. Retract. c. 13 quanquam hæc inter Lactantium & Hieronymum ſit differentia, quod ille Religionem dictam eſſe exiſtimat, quia hoc vinculo pietatis obſtricti Deo & religati ſimus, hic verò, quod inter ſeſe homines liget, & ut *Gregorius* loquitur, Electorum faſciculum conjungat, & in faſcem Domini vinciat. Diſſentit quoque *Auguſtinus* aliquatenus, & abit à Lactantio, dum hic putat, dictam ita eſſe à vinculo naturali, quo Deo obligamur ex propria naturæ conditione; ille verò à vinculo novo & ſuperaddito.

III. In Scripturis occurrit vox θρησκεία *Actor. 26. v. 5. Coloſs. 2. v. 18. Jacob. 1. v. 26. 27.* quanquam in locis allegatis partim aliquid conficti, partim religionem notet, quæ non tàm Deum ipſum, quam proximum immediatè ſpectat. Ipſa autem vox ſecundùm quoſdam à Thracibus deducta: Θρηίκη enim Thraciam ſignificat: quia ibi Orpheus θρησκείαν primùm tradidiſſe, modum colendi Deum inveniſſe, fingitur, unde ἐθελοθρησκεία cultus ſc. ſuperſtitioſus, voluntaria Religio, quam ſibi quiſque promit ex proprio cerebro: ipſam θρησκείαν de Dæmonum cultu accepit *Gregorius Nazianzenus* teſte Juſtiniano. Addunt alii alia nomina; ita legitur εὐσέβεια. *1. Tim. 4. v. 7.* & *8.* τιμὴ τοῦ Θεοῦ. *Joh. 5. v. 23.* ἀλήθεια. *Joh. 17. v. 17.* λατρεία. εὐλάβεια, θεοσέβεια, θεοπρέπεια. Hebræis dicitur יִרְאָה à יָרֵא timuit, reveritus eſt. Videatur inſuper locus

Proverb.

Proverb. 1. verſ. 7. cap. 9. v. 10. Eſai. 33. v. 6. Hebr. 1. & 4. דת Lex, עבודה cultus ſive ſervitus, quia Deo ſervire libertas, אמונה Fides quæ creditur, videatur Maimonides More Nevochim lib. 1. cap. 29. *Syri* exprimunt religionem per ſervitium Dei. *Arabes* per viam perfectam.

IV. Dari autem Religionem, tàm certum eſt, quàm certum eſt dari Revelationem, quam ſupra argumentis ſtabilivimus; cum quippe in finem Deus ſe revelavit, ut religionem quandam inter homines excitaret, mentibus ingeneraret, & face præiret, quæ oſtenderet, quâ viâ & quò eundum. Nec ſufficit hîc lumen Naturæ, quod quidem Deum oſtendit & Cultum urget, modum autem non pandit, ſed revelationi relinquit; imò eo ipſo quaſi ad conquiſitionem alterius cujusdam ſubſidii manuducit. Unde Thomas: *ſequerentur tria incommoda, ſi veritas hujus generis ſolummodò rationi inquirenda relinquetur. Unum eſt, quòd paucis hominibus* Dei *cognitio ineſſet. Secundum, quòd illi, qui ad prædictæ veritatis cognitionem pervenirent, vix poſt longum tempus pertingerent. Tertium, quòd inveſtigationi rationis humanæ plerumque falſitas admiſcetur, propter debilitatem intellectus noſtri in judicando, & phantaſmatum permixtionem. Et ideò apud multos in dubitatione remanerent ea, quæ ſunt veriſſimè etiam demonſtrata, dum vim demonſtrationis ignorant, & præcipuè, quum videant à diverſis, qui ſapientes dicuntur, diverſa doceri. Inter multa entia vera, quæ demonſtrantur, immiſcetur aliquando aliquid falſum, quod non demonſtratur, ſed aliquâ probabili vel ſophiſticâ ratione aſſeritur: quæ interdum demonſtratio reputatur. Et ideò oportuit per viam fidei fixâ certitudine ipſam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi. Salubriter ergò divina providit clementia, ut ea etiam, quæ ratio inveſtigare poteſt, fide tenenda præciperet: ut ſic omnes de facili poſſent divinæ cognitionis participes eſſe, & abſque dubitatione & errore.* Accedit experientia univerſalis, nulla enim gens tam barbara, nulla tàm projecta, quæ non aliqua Religione imbuta, aliquo cultu Deum proſequatur, & exercitiis quibusdam pietatis à pecudum numero, quas natura finxit pronas & ventri obſequioſas, ſe diſtinguere velit, ut ex progreſſu patebit.

V. Dividitur ratione nominis in religionem veram & falſam, ut ex *Lactantio* conſtat, qui in libro ſuo primo agit de falſa reli-

 gione,

gione, in quarto autem & ſexto de vera ſapientia & cultu. Confundi autem ſolet nomen Sapientiæ cum Religione, ut videre eſt apud *Clementem Alexandrinum;* diſtinguit verò *Lactantius*, ſcribens: *Sapientia præcedit, Religio ſequitur, quia prius eſt* DEUM *ſcire, conſequens, colere.*

VI. Malè autem hanc diſtinctionem Religionis explicat Stephanus Curcellæus, ſcribens in Inſtit. pag. 11 §. 6. 7. 8. 9. *Eſt ea duplex, Naturalis nempe & Revelata. Religio Naturalis eſt, quæ ſolis naturæ principiis in* DEO *cognoſcendo & colendo nititur. Talemque habuerunt maximam partem primi incolæ mundi per annos 2450. aut circiter, usque ad legem per Moſem datam. Talem quoque habuerunt poſtea Ethnici, ſed corruptam & imperfectam. Revelata Religio eſt, quæ nititur patefactione divina, vel in omnibus, vel ſaltem aliqua ex parte. In omnibus, ut Moſaïca & Chriſtiana; aliqua ex parte, ut vetus illa, quæ à principio mundi usque ad Moſem viguit.* DEUS *enim humani generis miſertus, quod videbat palabundum in tenebris ſine ulla certa lege aut religione oberrare, ſe ipſum & ſui cultus rationem ex ſingulari gratia, certis quibusdam hominibus, diverſis modis & vicibus patefecit. Hinc ſit, ut Religio Revelata, pro tempore & modo patefactionis divinæ, iterum in duas ſpecies ſubdividatur, aliaque Vetus, alia Nova dicatur: quarum illa rudimenta tantùm pietatis continuit, hæc verò perfectionem. Ad Veterem Religionem referri* primò *debent Revelationes, quibus ſe* DEUS *antiquis, tàm ante quàm poſt diluvium, usque ad Abrahami tempora, manifeſtavit, & quædam eis præcepta dedit, additis inſuper promiſſis, ſi parerent, aut contra minis, ſi parere detrectarent. Licet fatendum ſit,* DEUM *non tàm hominibus perfectam Religionis formam præſcripſiſſe, quàm monita quædam particularia his vel illis ſuggeſſiſſe, ex quibus ratiocinando colligere poſſent, qualis & quantus* DEUS *eſſet, & quomodo in reliquis, ubi voluntatem ſuam non aperuerat, gerere ſe deberent; ita ut eorum Religio in plerisque fuerit Naturalis.* Secundò, *& magis proprie, huc pertinent ea, quæ* DEUS *Abrahamo ejusque poſteris usque ad Moſem patefecit: in quibus expreſſior quidem & plenior Religionis forma continetur, quàm in præcedentibus Revelationibus: ſed quæ tamen ex principiis naturæ & rectæ rationis erat ſupplenda & perficienda.*

ſicienda, in iis, de quibus D E U S *nihil præſcripſerat.* Tertiò *denique, & maximè propriè, huc pertinet Revelatio per Moſem facta populo Iſraëlitico, cui* D E U S *Legem dedit, pro illo tempore perfectam, magno Moralium, Ceremonialium, & Politicorum Præceptorum numero conſtantem, variiſque promiſſis & minis ſancitam: adeo ut ad eam aliquid addere, aut de ea quippiam detrahere nefas eſſet, prout legimus Deuter. 4. v. 2. & 12. v. 32. Nova Religio eſt ea, quam* D E U S *nobis, per Filium ſuum Unigenitum, Dominum noſtrum* J E S U M C H R I S T U M, *patefecit & præſcripſit, & ab eo Chriſtiana cognominatur. Ea reliquas omnes, adeoque Legem Moſaïcam, tum præceptorum perfectione, tum promiſſorum excellentiâ, longe antecellit: ita ut nulla nova aut perfectior Revelatio deinceps, uſque ad mundi finem, ſit expectanda. Et de ea præcipuè in ſequentibus tractare nobis eſt propoſitum: de reliquis autem obiter, eo ſolùm fine, ut collatio inter Veteres Religiones & Chriſtianam Novam tantò melius inſtitui poſſit, hujuſque præ illis præſtantia apparere. Et hæc de Religione in genere prælibaſſe ſufficiat.*

VII. Eſt autem Religio Chriſtiana Forma quædam in verbo tradita, D E U M verè cognoſcendi & colendi, atque per fidem ad æternam Beatitudinem perveniendi. Definitum hîc eſt Religio Chriſtiana, aliàs verò abſtractè conſiderata dicit conceptum communem Religioni Paradiſiacæ in ſtatu integritatis, & noſtræ in ſtatu lapſûs; nam & illa fuit aliqua ratio & forma D E U M cognoſcendi & colendi, nec non ad Beatitudinem perveniendi, & ut imagine primæva fundabatur, ita per verbum D E I exterius quoque firmabatur, D E O procul dubio ad clariorem Notitiæ menſuram exhibendam prono; hoc verò peculiare eſt noſtræ, quod per fidem in Jeſum Chriſtum, Medicum hominis lapſi, perducat ad æternam ſalutem.

VIII. Hæc Religio Chriſtiana dicitur nobis primò Forma quædam, ſive Typus doctrinæ, quod genericum, & in aliis quoque docendi rationibus obſervatur, non difformiter, ſecundum quosdam, Paulino loco 2. *Timoth.* 3. *v.* 5. tradita in verbo D E I, qui ſolus docet modum ſe colendi, & ut aliàs Herus ex ingenio ſervi non pendet, ſed ipſemet potius præſcribit modum, cui ſe ſubmittere debeat, qui ſeſe religavit Domino; ita Creatura rationalis, maximè poſt lapſum, nullam invenire poteſt rationem colendi D E U M, ſed pati

pat in tenebris ignara voluntatis Dominicæ, quæ non niſi media Revelatione per verbum innoteſcit; Secundò Forma DEUM cognoſcendi & colendi; hic enim eſt centrum, ſcopus & objectum, in quod tendere debet mens humana, cognoſcendo & colendo, cognoſcendo quidem, quia ritè coli nequit, quem non cognoſcimus, ex cujus Majeſtatis conſideratione Veneratio exſurgit; colendo, quia, quem cognoſcimus infinite ſuperiorem, à quo omnia, in illius cultum etiam & reverentiam eo ipſo invitamur. Tertiò Forma per fidem ad æternam Beatitudinem perveniendi; ſupponunt hæc verba hominem lapſum, miſerum, errabundum, qui opus habeat Chriſto Medico, Redemptore, Paſtore, ad quem confugiat, cui ſe per fidem totum immittat; deſignant talem fidem, quæ ratione Formæ dicit fiduciam, ratione objecti Chriſtum Mediatorem, à quo Chriſtiani denominati; cùm antea Galilæi, Nazaræi & Diſcipuli aut fratres nominabantur, cujus cauſam exponit *Athanaſius* in Apologia contra *Arium*. Per Beatitudinem denique æternam intelligimus finem illum præfixum Viatoribus, qui dicit verè ſummum illud bonum, in quo ſolo homo acquieſcit, viſionem & fruitionem DEI in altera vita, ad quam adſpiramus, ad quam anhelamus.

IX. Non ſubſcribimus itaque illis *primò*, qui Religionem accipiunt pro *ſtatu hominum ad perfectionem Chriſtianam per paupertatis, continentiæ, & obedientiæ viam tendentium*, cum Bellarmino & cæteris Pontificiis, qui Monachis & Pſeudo-Religioſis ſuperbiunt; tum quia ſignificatio & uſus hujus vocis eſt planè inſolens, novus & deſtitutus omni authoritate; tum quia, ex ipſorum Pontificiorum ſententiâ, *Religio virtutem deſignat, non ſtatum*, ut conſtat ex *Gregor. de Valentia, Franciſco Suarez, Leonardo Leſſio, & aliis*, qui diſputant, *num ſit virtus Theologica, an moralis*; tum quia longe aliud eſt cultus, aliud ſtatus colentium, nec non Religio Monaſtica hoc nomine planè indigna. *Secundò* illis, qui cum *Cloppenburgio* definiunt Religionem per *ſapientiam ſpiritualem, ſecundum DEI in fœdere revelati notitiam, ſtimulantem conſcientiam ad DEUM ſanctè colendum.* Sapientiæ nomine intelligentes eminentiorem habitum recenſitis quinque ab Ariſtotele, qui & intelligentiam & prudentiam in ſe contineat. *Tertiò* illis, qui cum *Marſilio Ficino Religionem intellectu & voluntate niti volunt, quibus ſolis cœlum repetamus, quæ duæ facultates maximè ve-*

me vegetæ fuerint in Philoſophis, tum quia potentiæ hæ poſt lapſum depreſſæ; tum quia Philoſophi hîc præ aliis cœcutiunt; tum quia ita Religio cum Philoſophia confunditur.

X. Inſufficienter Photiniani quoque, ſecuti Socinum libr. de Script. authorit. c. 2. pag 38. 39 *Religionem* volunt *comprehendi duabus in univerſum partibus, nempè præceptis & promiſſis:* unde etiam Schlichtingius de art fundam. pag 59 *hoc ſolum ad fidem in Chriſtum pertinet eamq; conſtituit, ut tum promiſſionibus Chriſti credamus, easq; ab ipſo exſpectemus, tum præceptis illius, promisſionum iſtarum ſpe ac deſiderio inflammati, pareamus.*

XI. Affectiones Chriſtianæ Religionis à nobis ſtatuuntur. I. *Unitas:* ut enim Deus unus, ita etiam unica Religio, unica via revelata perveniendi ad Deum, nec alia eſſe poteſt, quàm quæ ab ipſo fuit oſtenſa, quò reſpexit Paulus *Epheſ. 4. v. 5. & 6.* ſcribens: Unus *Dominus, una fides, unum Baptiſma, unus Deus & Pater omnium*, qui *ſuper omnes*, & *per omnia*, & *in omnibus vobis*. II. *Veritas*. Ut enim Religio nil aliud, quàm corpus quoddam articulorum fidei è Scriptura deductorum: ita eo ipſo, quo illa ſtructura convenit cum prototypo ſive Verbo revelato, Veritate gaudet divinà & eminente, ſermo enim Patris veritas. *Joh. 17. v. 17.* III. *Bonitas* ſive *Sanctitas;* ut enim Deus ſanctiſſimus, in quo ne umbra quidem ullius impuritatis; ita Religio, quæ ducit ſuos natales ab ipſo, quoque erit ſanctiſſima; quò quidem collimavit Paulus dicens: *Deus nos vocavit, vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum. 2. Tim. 1. v. 9.*

XII. Si autem *una* eſt Religio, una ad Cœlum via, non poterit unusquisque in ſua Religione ſalvari, cùm plures non ſint Religiones, ſed omnes extra unicam illam Veritatis viam diverticula & avia, quorum terminus interitus; unde graviter erraſſe cenſemus *Franciſcum Puccium*, Italum, qui *ſingulos homines pro fidelibus haberi voluit, fidem laudavit naturalem*, & unicam deteſtatus fuit, inſuper jactavit ſibi non tantum in hoc argumento favere *Hieronymum Savanarolam, Picum Mirandulanum, Ambroſium Catharinum, Auguſtinum Steuchum, Cardinalem Cajetanum, Georgium Siculum; Franciſcum Georgium, Albertum, Hieronymum, Oſorium, & alios: ſed & arridere hanc ſententiam multis in Anglia, Germania, Polonia, Gallia, Helvetia, & ubicunq; de illa contulerit,*

lerit, quem B. Proavus caſtigavit. II. Si vera Religio, non admittet μῖγμα ſive temperamentum ex diverſis Religionibus vel opinionibus, cum verum & falſum unà & ſimul conſiſtere nequeant; hinc removemus *Syncretiſmum*, cui tamen inſano affectu quidam ſtudent, elevantes vim articulorum fidei, veritatem, cui tenaciter inhærendum, luxantes, & tepidum animum ſatis luculenter oſtendentes: quales vidimus in *Pareo*, *Mortono*, *Davenantio*, *Joſepho Hallo*, *Gottofredo Hottone*, *Grotio*, *Milleterio*, *Bergiis*, *Crociis*, & maximè *Melleto* atque *Duræo*, qui ſcriptis alios noſtri ordinis & nos fatigarunt. Si denique III. ſancta eſt Religio, non erit hoc nomine digna illa Secta, quæ impuritati fibulam laxat, peccatum aut probat aut excuſat; fœditate etiam, quæ lumini naturæ adverſa, horret, unde non tantum Patroni multarum Sectarum tanquam Errones deprehendi poſſunt, ſed & maximè noſtris temporibus emergentes *Quackeri*, qui ſcortationes, Adulteria, inceſtus & conſimilia flagitia ſtabilire annituntur, *Wittackero*, in adulterio deprehenſo, reſpondente, *ſe Juditham non voluptatis cauſâ compreſſiſſe, ſed ut illam calefaceret & ſolaretur.*

XIII. Abſurdè itidem *Thomas Hobbes* modum Religionis *præſcribere* Regi tribuit, & unitatem illius intendendo, unitatem & veritatem convellit, ſcribens pag. 278. *Potuerunt transferre jus decernendi de modo, quo* D e u s *honorandus ſit. Ergò & transtulerunt. Quod autem id potuerint, ex eo manifeſtum eſt, quod modus honorandi* D e u m *ante conſtitutam civitatem ab unius cujusque ratione privatâ petendus erat. Unusquisq; autem rationem privatam rationi totius civitatis ſubmittere poteſt. Præterea, ſi ſinguli propriam rationem in colendo* D e o *ſequerentur, in tanta diverſitate colentium, alter alterius cultum indecorum, vel etiam impium judicaret; neque alter alteri* D e u m *honorare videretur. Non eſſet ergò cultus, ne is quidem, qui maximè cum ratione congrueret, propterea, quod natura cultus in eo conſiſtit, ut ſit ſignum honoris interni: ſignum autem non eſt, niſi quo aliquid innoteſcit aliis. Neque ergò ſignum honoris eſt, niſi quod aliis ſic videtur. Rurſus ſignum verum eſt, quod conſenſu hominum ſit ſignum, ergo, etiam honorificum eſt, quod conſenſu hominum, id eſt, juſſu civitatis, ſit ſignum honoris. Non eſt ergò contra voluntatem* D e i, *per ſolam rationem declaratam exhibere ipſi*

re ipſi ſigna honoris, quæ imperabit civitas. Poſſunt ergò cives jus decernendi, de modo colendi Deum*, in eum vel eos transferre, qui civitatis habent imperium ſummum. Imò debent; alioquin enim omnes abſurdæ opiniones de naturâ* Dei*, ceremoniæq; omnes ridiculæ, quæ apud ullas gentes extitere, in eadem ſimul civitate conſpicerentur; ex quo contingeret unicuiq; credere, cæteros omnes* Deum *contumeliâ afficere, itaq; de nemine rectè dici poſſet, quod* Deum *coleret: nemo enim* Deum *colit, id eſt, honorat externè, niſi is, qui ea facit, quibus aliis appareat honorare. Concludi itaq; poteſt, legum naturalium, tam ſacrarum, quam ſecularium, regnante* Deo *per ſolam naturam, interpretationem dependere ab authoritate civitatis, hoc eſt, ejus hominis, vel curiæ, cui conceſſum eſt ſummum civitatis imperium; &* Deum*, quicquid imperat, per ejus vocem imperare. Et, è converſo, quod ab iis imperatur, & circa modum honorandi* Deum*, & circa ſecularia, imperari à* Deo.

XIV. Impiè tandem *Libertini*, quorum Duces *Copinus Flander*, *Quintinus Picardus*, *Antonius Pecquius*, *Henricus Nicolai*, cui adhæſit *Familia Charitatis*, unitatem, veritatem & ſanctitatem Religionis labefactant, cothurnum faciendo ex illâ, & putantes, *licere alienam Religionem, etiam falſam, ſive verbis ſive factis ſimulare, quia omnia externa in hominis poteſtate ſint poſita*; imò primus Articulus fidei apud illos fuit, *artem ſimulandi & ſeſe transformandi noſſe oportere, atq; hoc artificio utendum eſſe, ut bilingues ſint, & in multiplices ſpecies ſe transforment*, planè contra primum Decalogi præceptum, quod tam ſeriò prohibet cultum Dei alienum, *Exod. 20. v. 3.* contra monitum de integritate conſcientiæ ſervanda & fugienda hypocryſi. *1. Timoth. 1. v. 5.* contra proximi charitatem, qui nunquam ſcandalizandus. *1. Corinth. 8. v. 10.*

XV. Malè quoque hîc determinant *Pontificii*, *unam non fuiſſe Religionem ſemper, ſed aliam in lege Naturæ, aliam in lege Moſis, aliam tandem in lege gratiæ*, quibusdam abſolutè negantibus *fidei in Meſſiam neceſſitatem in lege antiqua*, quam ſententiam tenuiſſe *Durandum*, *Richardum*, & *Bannezium* refert *Ægidius Conink*, quibusdam aliter cenſentibus. Malè *ſecundò Photiniani*, qui *Religionem per tempora variaſſe aſſerunt, & pro diverſitate temporum,* Deum *diverſas ſe colendi vias humano generi oſtendiſſe affirmant*, Moſaicam & Chriſtianam determinant, de quo videndi

dendi *Smalcius contra Franzium*, *Oſtorodus*, & maximè *Johann. Volckelius* lib. 2. de Vera Religione cap. 8. audiatur Crellius, qui autumat, *Moſen felicitatem & mercedem, ob quas pietas colenda eſſet, terrenæ Reip. otio & eorum tantum bonorum affluentia terminaſſe, quæ ad corporis paſtum ſpectant, quorumq; uſus hujus vitæ circumſcribatur cancellis, ita requirente iſtius populi infantia, neq; eum à* D E O *præſcriptum fuiſſe ſui cultum, qui à terrenis curis à voluptatum atque opum amore hominum mentes prorſus abduceret: Non animum exegiſſe ad cœleſtia ſemper erectum, precibus aſſiduè vacantem: non ſanctos, ut ille ait, mentis receſſus & pectus perpetua numinis reverentia plenum.* Quibus conſpirat Grotius ſcribens: *Moſen in Religionis Judaicæ inſtitutione, ſi diſertæ legis pacta reſpiciamus, nihil promiſiſſe ſupra hujus Vitæ bona, terram uberem, penum copioſam, Victoriam de hoſtibus, longam & valentem ſenectam, poſteros cum bona ſpe ſuperſtites.* Malè *tertiò Arminiani*, qui in Confeſſione & Apologia certum eſſe inquiunt, *præceptum fidei in Chriſtum nuſpiam in V. T. clarè traditum extare, uti neque in terminis promiſſionem vitæ æternæ.*

XVI. Attributorum ternario ſuprà à nobis poſito addunt aliqui alia quædam, nempè *Neceſſitatem;* quia impoſſibile ſine fide placere D E O. *Ebr. 11. v. 6.* & quia, qui ad metam contendere debet, neceſſariò etiam viam aliquam noſſe debeat, quæ ipſi oſtendatur. *Antiquitatem;* quia ſi revelatio poſt lapſum obtigerit homini, etiam Religio eidem reſponderit, utpote facta huic fini. *Gen. 3. v. 15.* & aliàs antiquiſſimum quodque veriſſimum. Cumque tot ſint ignes fatui Religionis in Orbe, qui Lucem mentiuntur, & ad devia ducunt, antiquior erit omnibus vera Religio, privatione ſemper præſupponente habitum, umbrâ ſequente ſolem. *Efficaciam* in tranquillanda conſcientia, conſolante D E O in omni tribulatione. *2. Corinth. 1. v. 3. & 4.* erigente in quavis calamitate, & qui Religione imbutus verâ & ſincerâ, ille luce inſigni gaudet in intellectu, novit, quanto affectu D E U S ſuos proſequatur, quàm gratioſè illis advigilet, quàm providè & ſapienter omnia Electis ſuis in bonum dirigere intendat. Denique *Invincibilitatem;* ut premi quidem, ſed non opprimi illa poſſit, non tantùm quia in ſe veriſſima, ſed etiam quia Confeſſores illius ita corroborantur à D E O, ut omnia

potius

potius ſuſtineant tormenta, quàm ab hac formâ recedant, fideles uſque ad mortem, & reportantes coronam vitæ. *Apoc. 2. v. 10.*

XVII. Quanquam autem *Religio* in Symbola fuerit relata, quorum quædam antiquiora, quædam recentiora, non tamen opinandum, in Symbolis adæquatè eſſe contenta omnia credenda, comprehenſos omnes Articulos fidei; tum quia hoc axioma ſoli Scripturæ proprium; tum quia ſymbola ex occaſione Hæreſeων invaleſcentium fuerunt concepta, & adornata contra illos errores, qui tum temporis graſſabantur, ut docent quatuor Symbola Oëcumenica, & ex illis maximè Epheſinum & Chalcedonenſe, Neſtorio & Eutychi oppoſita; tum quia Symbola collata ad ſeriem Articulorum fidei ſatis luculenter oſtendent, plus eſſe in hac, quàm in illis, & propter Diaboli Hæreticorumque vafritiem & varietatem, non uno aut altero corpore doctrinæ exhauſtum, quod piâ mente & affectu amplectendum; unde etiam *Zacharias Schilterus in Theoria & praxi Lutheri Catechiſmi minoris* Symbolum deſcribit per ἐπιτομὴν ſeu *compendium, in quo cùm trium perſonarum Deitatis propria beneficia, tum præcipua dogmata fidei Chriſtianæ in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis tradita, ordine diſtributa & breviter comprehenſa perſpicuè recitentur: partim ut in invocatione ſumma illa beneficia ſingularum perſonarum cogitatione mentis ſæpius complectendo repetamus; partim ut tàm docti quàm indocti integrum corpus doctrinæ mente circumferamus & aſſiduè intueamur, & hanc confeſſionem ore edamus, & confirmemus; partim ut diſcrimen illa faciat inter Eccleſiam & inter cœtus ab Eccleſia ejusq; doctrina alienos, teſtimonia vocis divinæ in peregrinam ſententiam detorquentes; partim ut ortis controverſiis dogmatum aut certaminibus Eccleſiæ ſit teſtificatio de perpetuo conſenſu in retinenda puritate doctrinæ; partim ut hac ipſa confeſſione teſtemur nos abhorrere ab omnibus doctrinæ cœleſtis corruptelis, audaciâ & petulantiâ ingenii humani excogitatis, & in Eccleſiam invectis, ejusdemq; judicio damnatis, & toto pectore nos averſari omnes impoſtores & præſtigiatores ſermoni prophetico & Apoſtolico interpretationes peregrinas affingentes, aut ſcripta prophetica & apoſtolica præſtigiis ſophiſmatum corrumpentes.*

XVIII. Repugnant Religioni umbræ Religionum, tum illorum qui ſunt extra Eccleſiam, tum illorum qui ſunt intra illam; qui

ſunt extra Eccleſiam, dividuntur *in Gentiles*, *Mahumedanos*, & *Judæos*, unde *Religio Pagana*, *Mahumetica*, & *Judaica*, quarum *prima* nil âliud, quam forma quædam ſenſus de DEO erronei, & cultus illorum, qui extra Eccleſiam, à vero longè diverſus. *Altera*, forma quædam ſenſus de DEO & cultus ad præſcriptum *Coranum*, qui liber partim ex veris furtim ſubtractis, partim ex fabulis conſarcinatus. *Tertia* denique eſt forma & typus ſenſus de DEO & cultus ad Thalmudica commenta maximè effigiatus.

XIX. Quæ intra Eccleſiam falſæ Religiones, ut de veteribus non dicamus planè monſtroſis & quibusdam aliis magis ſpecioſis, hodie ſunt *Papiſmus*; qui formam dicit talium dogmatum, quæ juſtificationem & ſalvationem hominis per ſolam fidem directè impetunt, & Pontificis Romani Authoritatem, Oëcumenicamque poteſtatem ſtabiliunt. *Calviniſmus*; qui complexus dogmatum illorum, quæ abſolutum decretum prædeſtinationis & reprobationis fulciunt, & media gratiæ enervant. *Sociniani[ſ]mus*; qui ſyſtema quoddam talium dogmatum exhibet, quæ ſatisfactionem Chriſti tollunt, in qua tamen ſolâ mens pia acquieſcere & gaudere debet. *Arminianiſmus*; qui refert dogmatum quorundam perpaucorum expreſſionem, ſacrorum mutilationem, ſcepticiſmum de rebus ad ſalutem creditu neceſſariis, & quanquam tam fœdus non fuerit, cùm in quinque articulis adhuc ſubſtitiſſet, paulatim tamen ex affluxu ſordium è lacunis aliarum hæreſeων, inprimis autem *Sociniani[ſ]mi*, ita contaminatus eſt, ut vix aliquid ſani in toto illo corpore, ut hodie proſtat, deprehendi poſſit. *Anabaptiſmus*; qui conſiſtit maximè in illis dogmatibus, quæ ordinem in Eccleſiâ turbant, & Miniſterio atque Politicæ Taxi directè adverſantur. *Weigelianiſmus*; qui dogmata ex Enthuſiaſmo abſurdè contra ſinceram doctrinam propugnat. *Quackeriſmus*; ab artuum tremore ita dictus, qui nil niſi dogmatum Scripturæ Authoritatem, Sacramentorum dignitatem, omnis boni ordinis in Eccleſia ſinceritatem impugnantium fœda doctrina & ſeries. *Labadianiſmus*, *Velthuſianiſmus*, & *Wolzogeniſmus*, de quibus σὺν Θεῷ in ſeqq.

XX. Unicum adhuc quærere lubet, nempè quale Animal ſit Daniel Zwickerus, & cujus Religionis? profitetur enim, *ſe nec Lutheranum, nec Calvinianum, nec Remonſtrantem, nec Socinianum, nec Mennonitam, nec ullum alium ex hodiernis ſectis eſſe hominem: ſed cum nulla prorſus communicare, omnes verò & ſingulas ſecundum*

dum divinam veritatem, cujus unius ſe profiteatur Alumnum, reformatas cupere tum in doctrina tum in vita. Reſpondetur: ut in Regno Naturæ dantur Monſtra, quæ à corporibus naturalibus abludunt, ita in Regno Gratiæ ſingularis erit irregularis, & mirabile Monſtrum.

XXI. Tranſitum paramus à Materia Theologiæ ad Formam illius, quæ conſiſtit in illa Conformitate cum Theologia ἀρχετύπῳ, ſive formâ illâ & Ideâ in mente divina de negotio ſalutis, in quantum illa gratioſè nobis revelata & ad certos libros, canonicos ſc. reſtricta; quemadmodum autem hæc Forma Theologiæ eſt intrinſeca, ita exterius accedit certa quædam diſpoſitio capitum, ſecundum methodum analyticam, vel etiam, ex ingenio quorundam, arbitrariam.

XXII. Obluctantur hîc formæ huic internæ omnes & ſinguli *primò*, qui Theologiam quandam cudunt, Menti divinæ, revelationi, & verbo adverſam, quales omnes *Hæretici*, omnes illi, qui à formâ ſanorum verborum recedunt, omnes & ſinguli, qui tàm graphicè proſtituuntur à *Paulo 1. Tim. c. 6. v. 3. 4. 5. Secundò*, qui Theologiam cum *Weigelio* & *Fanaticis* non ex illa convenientia æſtimant, ſed ex quadam reflexione in ſeipſum, & volunt, ut homo ſe tantùm fidei permittat ſine omni ſcrutatione, ſeipſum ingrediatur ad ſilentium cœleſte, & in Sabbatho DEUM expectet, id quod ſit, petere, quærere & pulſare, adeòque talem quærentem regnum DEI & inſtantem invenire in ſeipſo, nec eſſe cur aliò currat diſcendi cauſâ. *Tertiò*, qui diſpoſitioni & artificioſo Ordini in Theologia ſunt adverſi, infenſi, quales Fanatici *Quackeri, Mennoniſtæ*, qui in Confeſſione ſua proſcribunt Theologos, qui diſputare poſſunt, artificio pollent logico, & conſequenter attendentes methodum Diſciplinis convenientem, eligunt ordinem præ confuſione, lucem diſtinctionis præ tenebris ignorantiæ.

XXIII. Conſiſtit enim Forma externa Theologiæ in debito Ordine & Symmetria partium, Diſpoſitione locorum concinnâ, neque refugit Princeps diſciplinarum & Regina Facultatum manum logicam, quàm cæteræ admittunt. Nam *primò* ipſe DEUS Doctrinam ſacram compendio fuit complexus, proponendo protoplaſtis poſt lapſum illud de ſemine mulieris Serpentis calcaturo caput Evangelium *Geneſ. 3. v. 15.* Abrahamo illud de Semine illius manifeſtando, in quo benedicendæ gentes terræ *Geneſ. 12. v. 3. cap. 22. v. 18. c. 28. v. 14. c. 49. v. 10.* tandem Populo totum Legis Syſtema in

duabus tabulis admirandâ methodo exhibendo *Exod.* 20. & *Deut.* 5. *ſecundò* ipſa materia Theologiæ ita eſt comparata, ut Methodo aliquâ convenienti poſſit exhiberi: ſunt dogmata, quæ præcedunt, ſunt quæ conſtituunt, ſunt quæ ſequuntur, quædam remotius collimant ad unum corpus, ad unum finem, quî itaque, quod fieri poteſt in cæteris diſciplinarum ſubſtratis argumentis, non etiam poſſit obſervari in Theologia, ipſa materiæ aptitudine provocante quaſi diſpoſitionem partium? *Tertiò*, ſi Ordo excluditur à Doctrinâ, neceſſum eſt, ut regnet oppoſitum, Confuſio ſcil. Sanè vix majus ſubſidium Intellectus humani in toto artium & Scientiarum Choro, quàm Methodus, diſtinctio accurata conceptuum, & quanti illa, vel ſolius Legis & Evangelii diſcrimen tàm probè obſervandum docere poteſt; non refugit Theologia ad Grammaticam loqui, quî itaque repudiaret, quæ Logica in Diſputando, interpretando, diſponendo, ſubminiſtrat?

XXIV. Obſervarunt noſtri Theologi, conſuetum fuiſſe à temporibus N. T. usque ad hæc Noſtra in Eccleſia ordine progredi in Studio hoc ſacro, & notarunt non tantùm Symbolum Apoſtolicum certa ratione congeſtum in primitiva Eccleſia fuiſſe receptum, ſed & ſequentibus temporibus ſummam doctrinæ Chriſtianæ fuſius fuiſſe perſecutos quosdam, poſcentibus id novis, quæ de fide exoriebantur, controverſiis. Et quanquam plurima hujus argumenti ſcripta, temporum injuriâ interciderint: tamen vel titulos librorum de operis argumento ſatis teſtari poſſe oſtenderunt. *Hermas*, qui vixit circa annum Domini 44. & cujus meminit Paulus, *Roman.* 16. *v.* 14. opuſculum concinnavit, cujus inſcriptio fuit, Paſtor: ita nuncupatum, quòd hoc opere continerentur, quæ Paſtoribus cognoſcenda eſſent, ut alios feliciter de rebus divinis inſtituerent. Meminit hujus ſcripti Euſebius: & quanquam in Bibliotheca Veterum Patrum tom. 5. edit. 3. extent libri tres, Hermæ adſcripti, ſuppoſititios tamen eſſe, vel inde conſtat, quòd ſententias contineant non paucas, à veritate cœleſti alienas, & fabulis repleti ſint. Quare etiam rejiculi ſunt iſti libri non modò Tertulliano lib. de pudicitiâ; ſed etiam Pontificiis, Baronio, Poſſevino, Inquiſitoribus Hiſpanicis, & aliis. Hermam excepit *Dionyſius Corinthius*, qui circa annum Domini 180. vixit, quem κατήχησιν doctrinæ Chriſtianæ ſcripſiſſe, teſtis eſt Nicephorus lib. 4. cap. 8. Longo intervallo hunc ſequitur *Clemens Alexandrinus*, qui circa annum Domini 215. edidit libros 8. ὑπο-

τυπώ-

τυπώσεων, monente *Euſebio* lib. 6. hiſt. Eccl. imitatus inſcriptione ſua Paulum. *2. Timoth. 1. v. 13.* Complexus autem fuit iſtis libris ſummam univerſæ Scripturæ, compendioſis diſputationibus incluſam, ne quidem neglectis libris Apocryphis, annotante in Bibliothecâ ſuâ Photio. Succeſſit *Origenes*, qui florens circa annum Chriſti 230. κατηχήσεων opus aggreſſus eſt, decimo octavo ætatis ſuæ anno, annotante *Hieronymo* in Catalogo. Taceo *Theophilum*, non Epiſcopum illum Alexandrinum, ſed Antiochenum, qui tres libros edidit, qui Chriſtianæ Religionis elementa & quaſi ſeminaria complectebantur, docente *Euſebio.* Subjungimus *Lactantium*, anno Domini 320. viventem, qui 7. Inſtitutionum divinarum libros elegantiſſimâ dictione concinnavit. Addimus *Epiphanium*, anno Domini 390. florentem, qui *Panarium*, id eſt, elaboratiſſimum opus, adverſus 80. hæreſes adornavit. Venimus ad *Auguſtinum*, anno Domini 400. viventem, qui de doctrinâ Chriſtianâ 4. libros, & Enchiridii lib. 1. reliquit, quibus compendiaria ratio diſcendi & ſcripturas & articulos fidei traditur. Hos longo intervallo ſequitur *Damaſcenus:* quippe qui vivens circa annum Domini 730. ad poſteritatem transmiſit 4. libros de Orthodoxâ fide: in quibus, ſecundum quosdam, moventur quæſtiones non paucæ, parùm ſervientes ædificationi: & quod maximè improbandum eſt, dictorum ſcripturæ rarior citatio eſt, phraſisque à phraſi Prophetica & Apoſtolica planè abit. Interim in Articulo de Chriſto præclarè meritus eſt de Eccleſia Chriſti. Annis verò poſt Damaſcenum ducentis, videlicet circa annum Domini 930. Gratianus & Lombardus ſummam doctrinæ Chriſtianæ, non quidem è monumentis Propheticis & Apoſtolicis, ſed è Scriptis Patrum adornarunt: & ille ſuum opus *Canones*, hic autem *libros ſententiarum* inſcripſit. Succeſſêre *Doctores Scholaſtici:* quos tandẽ excepit politum Lutheri, Melanchthonis, & aliorum ævum. Syſtematica itaque Articulorum fidei tractatio res eſt minimè nova, quippe origine divina, & ab optimis Patribus, & ſubſequentibus Scriptoribus in hoc usque tempus laborioſè continuata.

XXV. Non poſſumus itaque ſimpliciter probare, primò, quæ ſcripſit Claudius Salmaſius, in præfatione libri de Primatu Papæ, nimius Antiquitatis Admirator, & ex illius prærogativa conciliare aniſus colorem illi Proceſſui, qui ex Patrum monumentis, qui omnes alios tranſcendat, ita declamitans: *In Eccleſiaſticis porro disquiſitionibus*

nibus alii hiſtorica malunt & antiquitates, alii Philoſophicam, id eſt ſophiſticam, de his agendi ac diſputandi rationem præferunt. Nonnulli utriusque rationis atque artis mixturam potentiſſimam ad id efficiendum, quod quis propoſuit evincere, exiſtimant. Hoc quidem etiam fateor, & illis accedo, qui ita putant, ſed video eos, qui his armis peritè utuntur, ſive ut defendant ſua, ſive ut aggrediantur aliena, cum intelligunt, hac ſe parte valere, plus in iſta argumentandi palæſtra firmitatis & fiduciæ reponere, quàm in hiſtoriæ antiquæ pondere ac veritate. Quin immò haud raro eadem arma expedire contra veritatem, quæ & pro ea advocarunt. Nullus præterea finis eſt in ea præliandi ratione, nec bona cauſa ſperare inde bonum exitum poteſt, nec mala malum timere, quia pendet eventus ab induſtria patroni, cujus tanta ſæpè vis eſt, ut falſum adſtruere poſſit & aliis adprobare, id quod verum eſt, convincere, ac refutare quaſi falſum. Nullum eſt tàm forte argumentum, quod alio argumento non poſſit deſtrui, ſaltem eludi, & cavillatione enervari, ut ars ſemper eluditur arte. Non idem ſolet evenire, cum res agitur teſtimoniis Scripturæ ſacræ, vel Patrum, & cum antiquitas pro teſte citatur, aut praxis veteris Eccleſiæ adducitur. Conſuevere quidem & Sophiſtæ de interpretatione Scripturæ & locorum ex patribus productorum, non artis cavillatoriæ immemores, diſputare, & in dubium vocare etiam, quæ luce meridiana clarius nitent. Sed facilius tandem vi veritatis fracti concidunt, aut ſi concedere nolint pertinacia & improbitate muniti, judicio tamen æquiorum exiſtimatorum, qui non deſunt ubique, cito condemnantur. In his autem allegationibus, ſi rectè exponantur, promptius, quod ſit verius, homines vel mediocriter intelligentes animadvertere queunt, quàm inextricabiles penetrare argumentationum offucias, & perplexabiles cavillationum nodos diſſolvere.

XXVI. Non laudamus ſecundò Genus docendi Scholaſticis familiare, qui præferunt barbariem puritati & nitori ſermonis, nec putant Theologiam gravitate eſſe conſpicuam, niſi terminis variegata confictis inhorreſcat, ſeligunt quæſtiones ſpinoſas, curioſas, ſubtiles, inutiles, & milium terebrant, imò Impietati viam parant per argumenta pro theſi & contra illam producta, citra Inſtitutionum præviam formam agunt, altercantur, & uno hircum mulgente, altero

cribrum

cribrum ſupponente, magnas nugas quandoque agunt. Quanquam enim, ut Picus Mirandulanus loquitur ad Hermolaum Barbarum, *poſſunt habere viri docti barbaros in Lingua, Mercurium in pectore,* nec omne, quod ſubtile, in Theologia explodendum, & contraria juxta ſe poſita Lumen majus affundant menti, nihilominus affectare terminorum inſolentium figmenta, quibus ut Sepia offuſo atramento te tegas, à candore Theologi alienum, ſubtilia ſectari neglectis ſolidis fundamentis præpoſterum in hoc ſtudio, & argumenta multiplicare pro utraque ſententia, pila minantia pilis opponere, ut in militia videaris inſtructus, Pyrhonianæ videtur levitati affine.

XXVII. Conqueſti ſunt de hac Methodo Viri eruditi in Papatu quamplures, inter quos imprimis Ludovicus Vives, ita graviter perorans. *Quia in qualibet materia Scholaſticis ſtatim eſt altercandum, quæſita ſunt ſpinoſa quædam apta diſputationibus, quæ materiam ſuppeditarent rixis, & diutiſſime proferrent altercationem, etiam in tradendis præceptis artis: nihil ſemel dicunt, ne adimant ſibi argumentandi & in contrarium dicendi occaſionem. Sed ſi quam definitionem aut formulam tradunt, primum confuſe & ruditer proponunt, poſtea paulatim, velut cogentibus ad id argumentatiunculis, expoliunt, & crebris tibicinibus fulciunt, ut deniq; per longiſſimos verborum circumactus ſit perfecta, & queruntur poſteà de prolixitate eorum, qui excultius ſcribunt, quum ipſi, dum undiq; anſas argumentorum venantur, id multis paginis vix explicant, quod pauciſſimis exponi verbis potuiſſet. Jam verò, ne deeſſet velut bello huic commeatus, de omnibus anxie inquiſiverunt, etiam reconditis, & alienis, & puerilibus, & abſurdis, & de iis, quæ capere humana mens non poteſt, cum tamen Ariſtotelis ſit in primo Topicorum ſententia, neminem ſanæ mentis propoſiturum, quod ab omnibus vel reprobatum ſit vel comprobatum, vel etiam plurimis, hæc enim dubitationem nullam habent, nam quæſtio dialectica eſt quæſtio probabilis, non paradoxa, nec contenti iis, quæ natura ingenii humani aſſequi & definire poterat, ad vivum voluerunt omnia reſecare, adducti dulcedine diſputandi. Et quemadmodum qui pruritus titillatione acti, nimiùm ſcabentes ſanguinem eliciunt, & dolor ſuccedit in locum ſuavitatis, & mali Chirurgi, dum morbidum nimis reſecant, ſanum quoque attingunt, ita iſti dum nimium ſcalpunt, veritatem amittunt, & in falſum incidunt, quod profert ſe*

majore aliqua veri ſimilitudine, quàm verum ipſum, ut interdum Orichalcum magis exprimit colorem auri, quam aurum ipſum, & qui ſimulat, quàm qui agit ſimpliciter, propius ad imaginem veri accedit, etſi longius à vero ipſo. Hinc eſt acutus ille Mimi verſiculus: nimium altercando veritas amittitur. Conſpiravit Conradus Sommerhard, Theologus Academiæ noſtræ, qui ſæpius dixit, *quis me miſerum tandem liberabit ab iſta rixoſa Theologia?* Quibus jungimus Cornelium Muſſum, ita declamantem. *Quemadmodum*, inquit, *Divinæ Scripturæ olim proh dolor! quanto omnium damno negligebantur! Vigebat ſpinoſa & moleſta neſcio quæ Theologia, de Inſtantibus, relationibus, quidditatibus, de formalitatibus, itemque hæc omnia Syllogiſmis arte contortis, & humanis duntaxat argutiis, quæ procul dubio, quâ authoritate recipiuntur, ea & refelli poſſunt, pertractabantur. Tota penè ætas hominum in decretis, quæ inter ſe pugnantia ſemper, nullo tempore concilianda, alunt perpetuam per ſecula litem, conterebatur. Is ſublimis Theologus habebatur, qui majora portenta pro ſuis traditiunculis affingere ſciret, pretiique pars erat, gloriola inanis, non intelligi grandia illa verba, quæ alto ſupercilio inter mulierculas de ſacris literis Philoſophantes trutinabant. Juraverant univerſi divini Verbi duces in Magiſtrorum verba. Hinc ſexcentæ ſectæ, Thomiſtæ, Scotiſtæ, Occamiſtæ, Bacconiſtæ. Albertiſtæ, Ægidiani, Alexandrei, ô ſcelus! Poſthabebantur Evangelia, Epiſtolæ, Chriſtiana Philoſophia deliteſcebat, à pauciſſimis tractabatur, ſed frigidè, non dicam inſincerè.* Hucusque Epiſcopus Bitontinus. Conſulantur hîc Nicolaus de Clemangis, Faber Stapulenſis, Eraſmus, Agrippa: ex noſtris verò maximè Chriſtophorus Binderus, integro de hâc materia Tractatu, Wilhelmus Holderus in Dubietatibus & cæteris ſcriptis, nec non B. Meiſnerus in Oratione, quam in hâc noſtrâ Academia habuit in Feſto Divi Auguſtini, Annexa Scholis Academicis.

XXVIII. Audiamus Baronem de Verulamio prudenter diſſerentem. *Quemadmodum complura corpora naturalia, dum valent, integra corrumpuntur ſæpiùs, & abeunt in vermes, eodem modo ſana & ſolida rerum cognitio ſæpenumero putreſcit, & ſolvitur in ſubtiles, vanas, inſalubres, & (ſi ita loqui licet) vermiculatas quæſtiones, quæ motu quodam & vivacitate nonnulla prædita*

ditæ videntur, ſed putidæ ſunt & nullius uſus. Hoc genus doctrinæ minus ſanæ, & ſe ipſam corrumpentis, invaluit apud multos præcipue ex Scholaſticis, qui ſummo otio abundantes, atque ingenio acres, lectione autem impares, (quippe quorum mentes concluſæ eſſent in paucorum Authorum præcipue Ariſtotelis Dictatoris ſui ſcriptis, non minus quam corpora ipſorum in Cœnobiorum Cellis.) hiſtoriam verò & naturæ & temporis maxima ex parte ignorantes, ex non magno Materiæ ſtamine, ſed maxima ſpiritus quaſi radii agitatione operoſiſſimas telas, quæ in libris eorum extant, confecerunt. Etenim mens humana ſi agat in materiam, naturam rerum & opera D E I *contemplando, pro modo materiæ operatur, atque ab eadem determinatur, ſin ipſa in ſe vertatur, (tanquam aranea texens telam) tum demum interminata eſt, & parit certè telas quasdam doctrinæ tenuitate fili operisque admirabiles, ſed quoad uſus frivolas & inanes.*

XXIX. Non tamen rejicimus ſimpliciter etiam illos Doctores, ſi enim 1. Rabbinis aliquid indulgemus, qui Chriſtianiſmi hoſtes, ſi libros Philoſophorum gentilium legimus, quidni quandoque etiam convertamus nos ad illos, qui intra Eccleſiæ gremium calamos, utut quandoque infeliciter, adverſus vel profanos, vel hæreticos, vel alios expediverunt? ſi multæ occurrunt gemmæ in illo fimeto, quæ ſeligi poſſunt, ſtricturæ veritatis, quæ à tenebris poſſunt ſeparari, quis ſimpliciter manus abſtineat ab illis, & non conſulat etiam eos? quemadmodum Daniel Chamier in Epiſtolis Jeſuiticis ad Cottonum ſcribit, ſe feciſſe, *ſcil. ut ſi quis aliquando palatium viſitans, poſt aularum, cubiculorum, cœnaculorum magnificentiam, etiam latrinas non dedignatur adſpicere, ſed paucis ob fœtorem.* Suggerit ſanè Scotus Argumenta contra Transſubſtantiationem. Occamus contra Pontifi is Tyrannidem, Durandus contra Merita, Nicolaus de Orbellis pro Scripturæ Majeſtate contra Novatores. Commendavit Auguſtana Confeſſio Scholaſticos, atque vocavit magnos & ingenioſos homines; obſervavit Picus Mirandulanus in Scoto vegetum quiddam & diſcuſſum, in Thomâ ſolidum & æquabile, in Ægidio terſum & exactum, in Franciſco acre & acutum, in Alberto priſcum amplum & grande, in Henrico ſublime & venerandum. Si denique neceſſum eſt, ut intelligamus, cum quibus diſputamus, terminis Scholaſticis & diſtinctionibus ſeſe involvant Jeſuitæ, & terricula-

riculamenta ponant ſimplicioribus, nec non ſuperbiant in hâc Theologiæ Methodo, cæteros, qui nauſeant ad talia, contemnant, velut Umbras, volantes ſub Aquilis ſublimia hujus Theologiæ tentantibus, ideòque eo etiam enitendum, ut intelligatur, quod obſcurius diſputatur, & eo felicius refutetur, quod inſidioſè dictum vel ſcriptum. Notum eſt, quid Gabriel Vasquez in noſtros per Calumniam ſcripſerit. *Lutherus in libro adverſus Jacobum Latomum dicit, Theologiam ſcholaſticam nihil aliud eſſe, quàm ignorantiam veritatis, & inanem fallaciam, quam præcavet Apoſtolus ad Coloſſenſes 2. Eandem etiam inſectatur in libro de abroganda miſſa privata. Et Philippus Melanchthon in Apologia contra Pariſienſes inquit, Lutetiæ natam eſſe Scholaſticam, eaque Evangelium obſcuratum, & fidem extinctam. Ex quo errore, tanquam ex fonte, reliquos horum hæreticorum manaſſe putavit Canus 8. lib. de loc. c. 1. Nam contempto ſcholæ judicio, neceſſe erat, Hieronymum alioſque Patres, & paulatim ſacra Concilia, atque Pontificum decreta negligere. Ex quo factum eſt, ut nullum firmum noſtræ fidei fundamentum penes eos manſerit, ſed in ipſorum arbitrio univerſæ fidei definitio, & doctrina fuerit collocata. Ego verò potius arbitror, ex depravatis ipſorum moribus eorum errores originem traxiſſe. Lutherus enim ambitionis & ſuperbiæ ſpiritu accenſus, contemnere cœpit Romanum Pontificem, ejus poteſtatem, & decreta: cumque nullus eſſet præter ſcholaſticos doctores, qui eo tempore ipſius temeritati reſiſteret, ut mordicus ſuos retineret errores, neceſſe illi fuit ſcholaſticam doctrinam contemnere, & exſibilare.* Quaſi verò illi fuerint pares Luthero, qui arundinibus agebant, non gladio verbi.

XXX. Egregia eſt Confeſſio Adami Tanneri, contra Eccleſiæ unitatem Pontificiæ, ex Diſſenſu Principum in hac Schola, & Hectorum in Theologia ſcholaſtica, ſcribentis: *Prima Claſſis eſt eorum, qui exactè quidem, ſed, pro uſu ſtudiorum, prolixius rem hanc pertractarunt: uti, præter Molinam, ſunt inprimis Suarez, & Vasquez, Societatis noſtræ magni Theologi, & hoc tempore quidam quaſi Theologorum Coryphæi, & Anteſignani; qui in ſingulas partes S. Thomæ plures, ac bene magnos Commentariorum tomos ita ſcripſere, ut tamen in plerisque Scholaſticis controverſiis, non abſque ſingulari, ut exiſtimo, Divinæ providentiæ*

nutu

nutu, veritatis magis illuſtrandæ cauſa, inter ſe perpetuo diſſentirent: nec tamen univerſam Theologiam abſolverent. Scilicet, modò quis Pontificem pro Capite agnoſcat, bonus erit Catholicus, modò Eccleſiæ Romanæ ſua ſubmittat, non degener erit filius, utut ruant in prælia fratres, & divinæ providentiæ nutu alter alterum probè dedolet, in Religionis Negotio vel hanc vel oppoſitam amplectatur Sententiam.

XXXI. Tandem tertiò non ad palatum eſt Orthodoxorum, quod quidam aſſerunt, *non tantum accuratiorem Theologiam non poſſe carere notitiâ ſcholaſticæ Theologiæ, & inveniri non pauciora præſidia Veritatis in eâ, ac in antiquiſſimorum Eccleſiæ Doctorum monumentis, ſtudioſo itidem Theologiæ non magis vel æquè neceſſariam eſſe ebrææ & græcæ linguæ notitiam, quàm Patrum Sudium aut Philoſophiæ, ac nominatim Logicæ, Metaphyſicæ, culturam eſſe opinantur:* non memores illius, quæ Wolfgangus Franzius, in Tractatu de Interpretatione Scripturæ, Paulus & Johannes Tarnovius, tum in præfatione ad librum de SS. Trinitate, tum in Exercitationibus, prodiderunt.

XXXII. *Finem* ſupra aſſignavimus Theologiæ, hominem peccatorem ſc. per fidem perducere ad ſalutem æternam; Theologia enim noſtra non hominem integrum format, ſed lapſum erigit, & circa peccatorem occupatur, qui à DEO receſſit, neſcius viæ ad metam æternæ beatitudinis: hunc illuſtrat, hunc dirigit, hunc à terrenis ad cœleſtia ducit, ducit autem per fidem, utpote unicum à DEO ordinatum medium, cum non in alio ſalus, aut aliud nomen, in quo oporteat nos ſalvari, quàm in nomine JESU *Actor. 4. v. 12.* nec in Syrtes aut avia vel pice torrentes atraque voragine ripas, ſed ad ſalutem æternam, DEUM αὐτοπροσώπως ſeſe exhibentem, beatitudinem illam, quæ in aggregatione omnium bonorum conſiſtit.

XXXIII. Non poſſumus itaque probare illorum ſententiam, qui Theologiæ ſuæ ſubſternunt *hominem non mortuum in peccatis, ſed tantùm ſauciatum, vulneratum & læſum, qui propterea levi opera redintegrandus, curandus, reſtituendus,* & ita viribus liberi arbitrii patrocinantur cum *Pelagianis & Maſſilienſibus:* quantum enim hoc in negotio tribuitur homini, tantum demitur DEO, quantum naturæ, tantum derogatur gratiæ, quæ hodiè longe aliter ſeſe habet, quàm in ſtatu integritatis, docente *Auguſtino*, & ex illo

Cornelio Janſenio Epiſcopo Yprenſi. Secundò, qui *Theologiæ munus eſſe* opinantur *præſcribere opera, dictare honeſtatis exercitia ſub ratione vel meriti, vel medii, vel conditionis ad ſalutem*, & vel cum *Pontificiis* ex Theologia Phariſaica prolixè declamitant de meritis, quibus reſpondeat merces vitæ æternæ; vel cum *Calvinianis* quibusdam illud Bernhardi in pravum ſenſum detortum ingeminant: *Bona opera eſſe viam regnandi*; vel cum aliis Majoriſmo affinibus. *bonorum operum exercitium* volunt *eſſe neceſſarium ad beatitudinem, & conditionem quandam, à qua ſuſpendatur vita æterna in adultis ſpatium operandi bene habentibus. Tertio*, qui Theologiæ finem quidem admittunt vitam æternam, ſed neſcio quam beatitudinem & cœlum ſibi ipſis fingunt, & rationi cœcæ inhærentes delicias conſimiles mundanis tranſitoriis & vanis in illo impiè & abſurdè comminiſcuntur.

DISPUTATIO QUINTA
De
VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ,

THESIS I.

Quum omnis vitæ bonæ ac beatæ via, ſecundùm Auguſtinum de vera Religione lib. 1. c. 1. in vera Religione ſit conſtituta, quâ unus DEUS colitur & purgatiſſima pietate cognoſcitur, principium naturarum omnium, à quo univerſitas & inchoatur, & perficitur, & continetur, quapropter de ea uberius erit agendum, atque demonſtrandum, illam, quæ Chriſtiana dicitur, eſſe veram, cæteras verò vanas omnes & falſas; eſſe divinæ originis, cæteras verò omnes ab alio aliquo ſpiritu, adeoque eminere ſupra omnes, illasque infra ſe deſpicere, tanquam umbras ſub cœlo volitantes, nec jubaris divini vim ſuſtinentes.

II. Suprà autem aſſignavimus *Religioni* quædam attributa, quæ ſi applicentur, in genuinam notitiam perducere poſſunt, inter quæ primum *Unitas*. Una verò eſt Religio Chriſtiana, quia indiviſa in ſe, diviſa à quavis alia; prius liquet ex Harmonia dogmatum,

quæ

quæ tam egregiè conſpirant, ut moduli in Muſica, ita cohærent, ut annuli in catena, ita concinnata ſunt, ut lapides in ædificio unico fundamento ſuperſtructi, neque ullus hactenus inventus, qui contradictionis arguere potuerit hanc ſtructuram, diſſonantiam oſtendere credendorum, Articulorum in corpore hujus doctrinæ compagem culpare, uniformitate hujus Religionis per omnes temporum periodos triumphante: neque enim alia fuit Ante-Diluvianis & tempora Moſis præcedentibus, quàm eorum, qui ſub lege vixerunt, neque Chriſtiani aliam ſectantur, quàm Patres Veteris Teſtamenti, ut, quamvis in circumſtantia una & altera acciderit mutatio, una tamen ſemper manſerit Religio quoad Eſſentiam; ductu illuſtri ad unicum DEUM incluta. Avocat enim ab omnibus Creaturis, docet nullum eſſe in caducis præſidium, mentes ſublimat & evehit ad unicum illud ſummum Bonum, DEUM ſcil. cordis humani centrum, in quo acquieſcit. Poſterius patet ex eo, quia Religio Chriſtiana diviſa ab *Ethniciſmo*, *Judaiſmo*, *Mahumediſmo*, *Hæreticiſmo*, quacunque ſcil. alia Religione in toto orbe.

III. Confirmat noſtram ſententiam ſatis luculenter antiquiſſimus Pater Juſtinus *in Dialogo cum Tryphone lib. 1. c. 3.* ſcribens: *Verùm virtus traditionis una & eadem eſt. Ne unum quidem eſt genus mortalium, ſive barbarorum, ſive Græcorum, ſive etiam aliorum omnium, quocunque appellentur nomine, inter quos per nomen crucifixi JESU ſupplicationes, & gratiarum actiones, Patri fabricatori rerum omnium non fiant.* Et Irenæus libro 1. cap. 3. ita loquitur. *Linguæ in mundo diſſimiles ſunt, verùm virtus traditionis una & eadem eſt. Et neque in Germaniis fundatæ Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque in Hiſpaniis, neque in Celtis, neque in Oriente, neq; in Ægypto, neq; in Lybiâ, neq; hæ, quæ in medio mundo conſtitutæ ſunt, ſed quemadmodum ſol creatura DEI in toto mundo unus & idem eſt: ſic etiam prædicatio veritatis ubiq; lucet, & illuminat omnes homines ad cognitionem veritatis venire volentes.*

IV. Ex oppoſito hoc indicium Joh Franciſcus Picus Mirandula elucidat, prolixè diſſerens hoc modo: *Ipſemet Porphyrius in lib. de Anima ad Birithrum ſcribit, nullum eſſe in Philoſophia locum non dubitabilem. Idem ad Anebonem Ægyptium inquit, de rebus Philoſophiæ multa dicta eſſe a Græcis Philoſophis, verùm ex*

conje-

conjectura, cùm ejus principia ex ſide traxerint; & ad eundem iterum: Apud noſtros quidem pugna verborum, & ſi quis adbuc veritati propior, examinandum: principium igitur non ſolùm, ſed & finis Philoſophiæ, eodem auctore, nutabundus & vacillans eſt, & forte non injuria: quis enim in Ariſt. lib. ut Philoſophos levioris notæ ſileam, firmum, & inconcuſſum extra controverſiam conſpicit? niſi dum aut veſtigia ſenſus non deſerit, quæ omnibus nota, aut à primis intellectus principiis non flectit, quia omnibus innata? Quis in Platone locum omni ex parte communitum adeò offendit, ut rationis armis expugnari non poſſit? præterquàm ubi de DEO aliqua ex veteri Hebraica diſciplina aut mutuatus aut ſuffuratus eſt. In ipſis autem rerum naturalium principiis quot diverſa? quot pugnantia? cùm Plato Ideas materiam & opificem variis nominibus arbitretur: Ariſtoteles privationem inveniat, formamq; & materiam exprimat, ipſumq; Platonem impugnet: Arabum quoq; philoſophorum, hoc eſt, Arabicâ linguâ ſcribentium, alius quidem (cum præfatione veniæ ſit dictum) corporeitatis formam ſubnectat, improbet hoc alius, & interminatas dimenſiones comminiſcatur, alii alia. At in cauſis, alter plures, alter pauciores introducit, contentus hic quatuor, pauperiem ille peroſus, & exemplarem & organicam concauſas immiſcet, veluti agendis rebus commodam ſupellectilem. Quod ſi primi, & qui ſapientiſſimi habiti & probatiſſimi, in ipſis principiis adverſi ſunt & pugnaces, quæ pax, quæ conventio minutorum Philoſophorum? Quæ concordia literatoriæ turbæ in concluſionibus? quarum tot diverſitates, quot ſcriptores; & quiſque nihilominus ſectatores habuit, & ſuo ſeculo floruit. Sanè eorum, qui alternè contradicunt, alter verus, falſus alter ſit, neceſſe eſt: afferunt autem probabiles pro ſua opinione rationes, & ex antro Heracliti, aut Democriti puteo extractas contendunt, nihilominus nil certi ex eis, nil ſolidi, quo poſſit humana mens quieſcere. In ſecta Platonis diverſæ Academiæ, tum Lycia ſub Proclo, tum Itala ſub Plotino, tum Ægyptia ſub Jamblicho; in ſecta verò Peripatetica, quæ nunc plurimùm & præ aliis viget, quot particulares inveniuntur ſectæ? in ipſius, dico Ariſtotelis interpretibus, alia Græcorum, Arabum alia, Latinorum alia: Græci inter ſe pugnant, ut notum eſt illis, qui vel mediocriter eos legerunt: Arabes eos ex parte ſequuntur, ex parte impugnant, inter ſe verò

conten-

contendunt, & alter alterum lacerat, quod vel in commentariis Averrois abundè viſitur. Latini & Græcos & Arabes partim refellunt, inter ſe verò pugnant accerrime, ſed & qui inter hos inſigniores habentur, ſectatores & ipſi habent, & diverſas conſtituunt ſcholas: quare aut fugit veritas, aut magis latet, quo enim quæritur magis, dubitatur de ea magis. Pauca enim nota ſunt, & hæc vel ſenſu ipſo vel fide nota, fide inquam, quia magis creditur Doctores ipſos, qui præeliguntur, vera dixiſſe, quod ſciatur, adeò ſemper, quæ per rationis diſcurſum confirmata ſunt, diſcurſu etiam rationis infirmantur. Multò melior noſtra conditio, quorum omnes fidei propoſitiones eis ipſis, quas philoſophi præfata & dignitates nuncupant, certiores ſunt, utpote divino lumine nixæ, ſed & in ipſis principiis firma & inconcuſſa concordia noſtrorum Theologorum, quamvis pleriqué in aliis diſcordent, quæ potiſſimùm de philoſophis ſumuntur.

V. *Veritatem* ex conformitate cum Revelatione divina æſtimavimus. Neque enim falſum eſſe poteſt, quod congruit menti divinæ, Revelationi ſe ſubmittit, imò vel ex unico hoc judicio deprehendi poteſt Religionis veritas. At Chriſtiana Religio conformat ſe menti divinæ, Revelationi innititur, Scripturam ſacram agnoſcit Principium, ex qua deducitur, in quam reſolvitur; quî itaque non vera, non divina, referens naturam ſui principii? cujus divinitatis notas abundè oſtenſuri σὺν Θεῷ in ſequentibus de Scriptura diſputationibus; & inde etiam eſt, quòd quamvis fuerint, qui divinitatem Scripturæ impugnarunt, nullus tamen vicerit, omnes in ruborem dati, quòd hactenus in Religione Chriſtiana nil falſi fuerit oſtenſum, vera DEI eſſentia nullibi niſi in Chriſtiana Religione potuerit deprehendi, cæteris omnibus hîc cœcutientibus; debitum hominis & modus ſolvendi illud ex hac unicè innoteſcat, cæteris in anxietate animi ſuos ſectatores relinquentibus.

VI. Illuſtrata fuit *Veritas* gloriâ miraculorum, de qua Origenes. *Ubicunque deterius aliquid præſtantioris generis refert aliquam ſimilitudinem, ibi è contrario præſtantius etiam eſt. Atque ita è præſtigiatorum miraculis colligimus, neceſſariò eſſe alia, quæ divina virtute patrentur in vitâ hominum, & conſequens eſt, aut utrumque negari, neutrum concedendo, aut ſi alterum concedatur, præſertim deterius, fateri etiam id, quod præſtantius.*

Quod ſi quis fateretur, prodigia a miracula fieri, negans ulla patrari divinitùs, perinde facere videretur, ac ſi falſus, ſophiſmata quædam eſſe, rationesque probabiles, quâdam veriſimilitudine, quùm tamen nihil veritatis habeant, negaret, extare apud homines alias veras & dialecticas, longeque diverſas à ſophiſmatibus. Quod ſi ſemel admittimus, manifeſtè exiſtente in rebus arte magica, quæ per maleficos homines genios malos curioſis carminibus delinitos eliciat ad patranda miracula, conſequens eſſe, ut etiam divinæ virtutis operationes inveniantur inter homines, quin certis indiciis examinamus promiſſores talium miraculorum? videlicet deſumptis ex eorum vita, moribusque, tum ex miraculorum ipſorum effectibus, diſpiciendo, afferantne damnum hominibus, an correctionem moribus, ut ſciamus, quænam vel ab incantatore fiant miniſterio dæmonum, vel ab anima pura, ſanctaque & afflata divino ſpiritu, cujus etiam corpus ex ejusdem ſpiritus commercio ad utilitatem, inſtitutionemque hominum ſit efficax, & ad confirmandam veram fidem in DEUM. *Quod ſi non ſunt probanda miracula, priusquam diſcernantur, à quo rectè patrentur aut ſecus, ne vel omnia damnemus, vel omnia miremur tanquam divina: annon perſpicuum eſt, è Moſis Jeſuque miraculis, quibus gentes integræ ad religionem pertractæ ſunt, non ſine divinâ virtute facta ab illis, quæ Scripturis prodita. Nunquam enim malis artibus & impoſturis conſtituta fuiſſet integræ gentis reſpublica, contemtricis ſimulacrorum omnium, & ſuperſcenſis creaturis omnibus, contendentis ad* DEUM, *principem & authorem hujus univerſitatis, carentem principio. Tertullianus,* qui ita: *nobis fides præſidium, ſi non & ipſa percutitur diffidentia, ſignandi ſtatim & adjurandi ac urgendi beſtiæ Calcem. Hoc denique modo etiam Ethnicis ſæpè ſubvenimus, donati à* DEO *ea poteſtate, quam Apoſtolis dedicavit.* Et mox: *At tu ſi fides vigilat, ibidem Scorpio pro ſolea anathema inlidito.* Et in Apologia: *edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem dæmone agi conſtet, Juſſus à quolibet Chriſtiano loqui ſpiritus ille tam ſe dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi* DEUM *de falſo.*

VII. Operoſus eſt in hoc capite, quoad miracula, Hugo Grotius, quem lubet audire perorantem: *cur homini ignominioſa morte affecto addixiſſent ſeſe,* inquit, *plurimi & judicio præditi & lite-*

& literarum non rudes, præſertim cum propè omnes in aliis regionibus educati eſſent, nec in Chriſtiana quicquam eſſet aut honoris, aut commodi, nulla poteſt cauſſa reddi, præter hanc unam, quòd diligenti inquiſitione, qualis viros prudentes in maximi momenti negotio decet, comperiſſent, veram & firmis teſtibus ſubnixam fuiſſe famam, quæ de miraculis ab eo editis percrebuerat, ut de ſanatis ſola voce, & quidem palàm, morbis gravibus atq; inveteratis, de viſu reddito ei, qui cœcus natus eſſet, de auctis non ſemel panibus in alimenta multorum millium, quæ id teſtari poterant, de mortuis in vitam revocatis, & quæ plura ſunt ejusmodi: quæ quidem fama tam certam atque indubitatam habuit originem, ut edita à CHRISTO *prodigia aliqua, neque Celſus, neque Julianus, cùm in Chriſtianos ſcriberent, negare auſi fuerint, Hebræi verò in Thalmudicis libris apertè fateantur. Naturali vi non patrata fuiſſe, quæ diximus, opera, ſatis hoc ipſo apparet, quòd prodigia ſive miracula appellantur: neque verò per naturæ vim fieri poteſt, ut ſola voce, aut contactu, morbi graves, & quidem ſubitò, tollantur. Quodſi ad naturalem efficaciam referri opera iſta aliquo modo potuiſſent, dictum jam pridem id fuiſſet ab iis, qui ſe aut* CHRISTI *in terris agentis, aut Evangelii ipſius hoſtes profeſſi ſunt. Simili argumento colligimus, nec præſtigias fuiſſe, quia pleraque opera palàm geſta ſunt, inſpectante populo, & in populo, multis eruditis* CHRISTO *malè volentibus, cuncta ipſius opera obſervantibus. Adde quod ſimilia opera ſæpè repetita: & ipſi effectus non momentanei, ſed permanentes. Quibus, ut oportet, expenſis, omnino ſequitur, quòd & Judæi fatentur, opera hæc proceſſiſſe à virtute aliqua plusquam humana, id eſt, à ſpiritu aliquo bono, vel malo: A malo autem ſpiritu non eſſe profecta hæc opera, inde probatur, quòd doctrina* CHRISTI, *cui probandæ iſta opera adhibebantur, malis ſpiritibus adverſatur. Vetat enim malos ſpiritus coli, abſtrahit homines ab omni immunditia morum, quâ tales ſpiritus delectantur: Rebus quoque ipſis apparet, ubicunq; ea doctrina recepta eſt, collabi dæmonum cultum, & artes magicas, & unum* DEUM *coli cum deteſtatione dæmonum; quorum vim ac poteſtatem* CHRISTI *adventu infractam Porphyrius ipſe agnovit. Credendum autem non eſt, quenquam malum ſpiritum adeò eſſe imprudentem, ut ea*

 faciat,

les noſtri eſſent, communem focum non habebamus, nunc poſt CHRISTI *apparitionem familiariter ſimul vivimus, & pro inimicis oramus.*

XI. Perſecutus eſt hoc argumentum Johannes Franciſcus Picus Mirandulanus: *Probandum nobis erat, ipſa opera Chriſtianæ vitæ, quæ ab hac fide profluunt, teſtari nobis* C H R I S T I *divinitatem, idque faciendum nobis eſt, ejus inprimis fine ante oculos poſito: Quippe cùm optimum Chriſtiana vita ſibi finem præſtituerit, & in eo adipiſcendo optima etiamnum inſtrumenta præparaverit, fructusq́; uberrimos & admirabiles mundo præclariſſimorum operum prompſerit apud eos omnes, qui à ratione non abhorrent, reliquit indubium, ſe divinitùs hominibus datam ad eos de terris ad cœlum transferendos. In primis ſiquidem Chriſtiana vita ſemper anhelans, & ſitibunda videndi fruendiq́;* D E I *eſt, nihilq́; in votis aliud eſt homini verè Chriſtiano, quàm ut ei ſe conjungat; quod cùm aſſequi nequeat, niſi priùs univerſas labes abſterſerit, terrenam affectionem omnem (quoad fieri poteſt ab eo qui carneus eſt) demittit, ſeque in divini amoris abyſſum ſuſtollit, quo veluti torrentiſſimo igne defæcatur animus, & abjecto ſordium pondere in ſuperna levis effertur; namq́; in cœleſtem aulam, quæ maximâ fulget puritate, nihil coinquinatum, nihil non purum admittitur: de qua quidem comparanda puritate traduntur varia ab excellentibus philoſophis, præcipuè Platonicis, qui quanquam per tranſennam ad felicitatem adſpicerent, eam tamen arbitrabantur haberi ab eo non poſſe, qui non ſolùm civili bene uteretur vitâ, ſed per purgatoriam ad eam, quæ purgati animi dicitur, ſe transtuliſſet. Ab exacta nihilominus Chriſtianæ vitæ puritate longiſſime defecerunt, non ſolùm enim opus homini, qui ad virtutum culmen adſpiret, ut affectum a fluxis temporariisq́; rebus avocet, ſed & ſeipſum exuere oportet, atq́; ab amore proprio tanquam ab animi veneno prorſus abſtinere; quod quidem Ethnici philoſophi nec plene cognoverunt quidem, ne dum aſſecuti ſunt, quùm, qui inter eos purgatiſſimi, proprii amoris cœno veluti ſus luto volutabantur, & ad faſtigium virtutis quanto magis propinquare ſe credebant, tanto magis elongabantur: ſiquidem ii, quos de ſenſibus obtinebant, triumphi, eorum mentem ſuperbiæ machinis debellabant. Nos e contrario, qui non in edomanda duntaxat parte ſenſili poſitam victoriam*

ſcimus, totis viribus contendimus, ut mentis arcem, noſmetipſos ſcilicet vincentes, expugnemus, & ad Deum *ipſum, quicquid boni molimur, quicquid noſtrum eſt, quod magis videtur, quam eſt, quicquid deniq́ue nos ipſi ſumus, qui, quod ſumus, ejus gratiâ ſumus, referamus. Hæc noſtræ Chriſtianæ legis devotio humanæ naturæ perfectio eſt. Sed quæ lex (rogo) vel proximare huic poteſt, aut eam vel de longinquo adſpicere, Minois forte, aut Zaleuci, aut Lycurgi? quanquam & ab antro Jovis ille, & iſti à Pallade, & ex Pythio oraculo, ut fabulantur Gentes, ſuas leges traxerint, quæ eis ipſis, quibus refertæ ſunt obſcœnitatibus, dæmones auctores vel invitè fatentur: faceſſat Charondas, Apis, Dæmonax, Pagondes, Archias, Eudoxus, Philolaus, Pittacus, Neſtor, faceſſat Draco, & Solon, & Clyſtenes; faceſſant, quicunq; celebrati Gentium legislatores, qui nec eam, quam natura promittit, rectè vivendi regulam aut invenire, aut inventam tenere potuerunt, nedum ad eam, quæ ſupra naturam eſt, quæ humanos hebetat cogitatus, pertingere: Optimum enim hoc vivendi genus nemo præter* Deum *potuit homines docuiſſe. Cum enim ab eo non modò philoſophorum, naturæ ipſius interpretum, decreta, ſed & ea, quæ divinitus tradita eſt, lex Moſi ſuperetur, perficiaturque, fateri oportet, non ab indigniore id auctore fluxiſſe, ab eodem ſiquidem provenit, qui vitiatæ naturæ morbis opem tulit, & nubila ac ſubobſcura Moſeos dogmata Sole ſuæ juſtitiæ ſerenavit, lucem ipſam adeò diffundens, ut orbis univerſus, nedum unus, vel pauci, aut ſola obſtinatorum Judæorum natio, in tenebris & umbra mortis ſedens, colluſtraretur. Rariſſimi namq́ue philoſophorum adhortamentis vel ad virtutis imaginem trahebantur, rariſſimiq́ue aut pœnis aut præmiis legislatorum vel capeſſebant virtutes, vel compeſcebantur à vitiis; ſed nec aliis populis, ut eiſdem viverent legibus, perſuadere potuerunt inclyti illi & famigerati legum poſitores: neq́ue enim Minos, qui Cretenſibus leges tulit, eaſdem Siculis, aut Carthaginienſibus, aut Græcis impoſuit; Charondas Italos & Siculos primus legum freno compeſcuit, Tyrrhenos autem, Celtas, Iberos, Celtiberosq́ue non flexit. Qui autem ſuſcepère, Cretenſes, Itali, Siculi, non multò pòſt Romanorum legum jugum, excuſſo Minois, & Charondæ jugo, ſubiere; Zaleucus leges Locrenſibus poſuit, ſed neq́ue Acarnanes, neque Phocen-*

ſes,

ſes, ſed neque alios Locrenſes, atque eos quidem non longè poſitos, ſed vicinam urbem incolentes, ut eaſdem amplecterentur, induxit; Lacedæmoniis Lycurgus leges dedit; nec ejus tamen gloria, nec Spartæ ſuperbia, (ut ille inquit) nec Pythii Apollinis authoritas, aut Argivos, aut Tegeates, aut Mantinos, aut Corinthios propinquius multò habitantes coëgit Lacedæmoniorum leges ſuſcipere, certè nec ipſos Phliaſios fœdere junctos, & eorumq; auſpiciis militantes: quas equidem leges ubi emendarunt Lacedæmonii, tantus ſuo auctori dolor injunctus eſt, ut in ſeceſſu inediâ tabeſieret, quod Florens affirmat. Prætereo legislatores alios: Apim Argivorum, Philolaum Thebanorum, Pittacum Mytilenenſium, Neſtorem Pyliorum, Solonem, & Draconem, & Clyſthenem Athenienſium, qui paucos homines ſinguli ſuarum legum habenis moderati ſunt, qui eis etiam ſpretis Romanam poſtea R. P. ſecuti ſunt. Senatus autem ipſe populusque Rom. quibus ſervitutis frenum impoſuere, eosdem nihilominus omnes ſuis legibus non frenaverunt: Æthiopes enim, qui Thebis Ægyptiis vicini ſunt, Laci, Sauni, Abages, multæque Iſmaëlitarum nationes, Theodoreti ætate, ut ipſe commeminit, Romano Imperio ea tempeſtate ſubditæ erant, Romanis nihilominus legibus non vivebant.

XII. Ad alia ſi progrediamur attributa, & quidem ad *Antiquitatem*, ſanè illa Religio, cui Chriſtiani addicti, cum ipſo homine cœpit, antiquiſſimis gaudet libris, ex quibus hauſta, *Moſen* veneratur, de quo *Euſebius in Chronico* docet, antiquiorem fuiſſe omnibus priſcæ Græcorum memoriæ, *Homero*, *Heſiodo*, ipſisque Trojanis temporibus, *Caſtoribus*, *Æſculapio*, *Libero patre*, omnibus Heroibus, *Mercurio* & *Apolline*, reliquisque Græcorum Diis, myſteriis, & initiis, atque adeò ipſis *Jovis* geſtis, quæ à Græcis memorantur, quorum omnium hiſtoriam infra ætatem *Cecropis* fuiſſe, Græci tradiderunt; Nec *ſecundò* derogari poteſt *Efficacia* in ſerenanda conſcientia, ſtabilienda mente per aſpera contendente ad aſtra, leniendis calamitatibus, tormentis, perſecutionibus, quod maximè reluxit in teſtibus veritatis, qui prunis inambularunt ut roſis, ferrum prætulerunt auro, catenas libertati, *dulcia quibus, juxta Marullum, tormenta erant, per quæ ad Chriſtum aſcendere, cum illo jungi properabant*; nil illis formidini, nil terrori eſſe poterat, quoniam perfecta Charitas foràs mittit timorem, vehementiores pœnas expetierunt,

runt, ut majoris amoris teſtimonium redderent. Tandem *Invincibilitas* in Solis menſa videtur eſſe poſita: non poterant ſuperari filii DEI in prima Mundi ætate, quantumvis invaleſceret impietas, diluvio tandem abſorpta; non potuit diſſipari cultus per tot itinera & peregrinationes Patriarcharum, non mergi in Ægypto cum infantibus à matre rubentibus, devictâ ferociâ, & per fluctus maris triumphato tumore; non potuit Eccleſia, Religionis divinæ ſeminarium, Judaica, inter potentiſſima Regna media, exigua portio ad ampliſſima Imperia, vel vi vel fraude ſubverti, etiam Antiocho ad ſummum poſtremò furente, & non niſi excidium veræ Religioni omni niſu & arte intendente, non potuerunt obices poni Apoſtolis, Eccleſiâ ultra pomæria Judææ ſe diffundente, verbo illorum in toto Orbe reſonante, per Tyrannidem Imperatorum, molimina Philoſophorum, dolos & technas Hæreticorum; *Plures*, inquit *Tertullianus* capite ultimo *Apologetici*, *efficimur*, *quoties metimur à vobis; ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum.*

XIII. Huc referimus *modum propagationis*, qui plane fuit ſingularis index providentiæ divinæ gratioſiſſimæ in hanc Religionem, ſive ſpectemus amplitudinem, ſive organa & media, ſive ſucceſſum & eventum. Diffuſa quippe fuit per univerſum orbem brevi temporis ſpatio, fremente Satanâ, & frendentibus hoſtibus veritatis, nihilque ad impediendum progreſſum intentatum relinquentibus, Eccleſia, *lætata eſt deſerta & invia, exultavit ſolitudo & floruit, quaſi lilium germinans, germinavit & exultavit lætabunda & jubilans, gloria Libani data eſt ei, decor Carmelis & Saron, viderunt gentes gloriam Domini & decorem DEI noſtri*, juxta Vaticinium *Eſai. c. 35. v. 1. &* 2. emerſit vis veritatis, & totum orbem pervaſit, ut *Tertullianus* ſcribat *contra Judæos 7. c. Cui enim dexteram tenet Pater DEUS, niſi Chriſto Filio ſuo? quem exaudierunt omnes gentes, id eſt, cui omnes crediderunt: cujus & prædicatores Apoſtoli in Pſalmis David oſtenduntur: In univerſa, inquit, terra exiit ſonus eorum, & usque ad terminos terræ verba eorum. In quem enim alium univerſæ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui jam venit? Cui enim & aliæ gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum, & Aſiam, & Pamphyliam: immorantes Ægyptum, & regionem Africæ,*

quæ

quæ eſt trans Cyrenen, inhabitantes: Romani & incolæ: tunc & in Jeruſalem Judæi, & cæteræ gentes, ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca CHRISTO *vero ſubdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & provinciarum, & inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minùs poſſumus? In quibus omnibus locis* CHRISTI *nomen, qui jam venit, regnat: utpote ante quem omnium civitatum portæ ſunt apertæ, & cui nullæ ſunt clauſæ: ante quem ſeræ ferreæ ſunt comminutæ, & valvæ æreæ ſunt apertæ. Quamquam & iſta ſpiritualiter ſunt intelligenda, quod præcordia ſingulorum variis modis à diabolo obſeſſa fide* CHRISTI *ſint reſerata: attamen perſpicuè ſunt adimpleta, utpote in quibus omnibus locis populus nominis* CHRISTI *inhabitet. Quis enim omnibus regnare potuiſſet, niſi* CHRISTUS DEI *Filius, qui omnibus in æternum gentibus regnaturus nuntiabatur? Nam ſi Salomon regnavit, ſed in finibus Judææ tantùm, à Berſabeæ uſque Dan termini ejus regni ſignantur. Si verò Babyloniis & Parthis regnavit Darius, non habuit poteſtatem ulterius, ultra fines regni ſui, non habuit in omnibus gentibus poteſtatem. Si Ægyptiis Pharao, vel quisquis ei in hæreditate regni ſucceſſit; illic tantùm poſitum eſt regni ſui dominium. Si Nabuchodonoſor cum ſuis Regulis, ab India Æthiopiam habuit regni ſui terminos. Si Alexander Macedo, nunquam Aſiam univerſam & cæteras regiones, poſtquam devicerat, detinuit. Si Germani, adhuc uſque limites transgredi non ſinuntur. Britanniæ intra Oceani ambitum concluſæ ſunt. Maurorum gens, & Getulorum Barbaries à Romanis obſidetur, ne regionum ſuarum fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui de legionum ſuarum præſidiis Imperium ſuum muniunt, nec trans iſtas gentes porrigere vires regni ſui poſſunt?* CHRISTI *autem regnum & nomen ubique porrigitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur æqualiter.* Et quidem intra ſeculi ſpatium tantos progreſſus fecerunt Apoſtoli, & Apoſtolici viri, teſte *Juſtino Philoſopho & Martyre*, ut ſcribere auſus fuerit: *Ne unum quidem eſt genus mortalium, ſive Barbarorum, ſive Græcorum, ſive etiam aliorum omnium, quocunque appellentur nomine, vel Hamaxobio-*

 rum,

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE

rum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viventium (Scenitarum) & pecoribus vitam tolerantium: inter quos per nomen crucifixi J e s u *ſupplicationes & gratiarum actiones Patri & Fabricatori rerum omnium non fiant. Bardeſane Syro*, ut dixerit apud Euſebium. *Quid autem dicemus de Chriſtianorum ſecta, qui in omni parte orbis, imò verò in omni civitate, inveniuntur? Nec multas Parthi Chriſtiani ducunt uxores, nec canibus mortuos objiciunt Medi, nec Perſæ filias ducunt, nec Bactriani & Galli matrimonia corrumpunt, nec Ægyptii Apin, aut canem, aut hircum, aut felem colunt: ſed ubicunque ſunt, alienis legibus, & moribus vivere nec cogi poſſunt, nec genethliaca ratione, aut ſua, aut principiis alicujus, impelluntur unquam, ut, quæ nefanda Magiſter eorum duxerit, facienda putent: ſed paupertatem, labores, ignominiam, cruciatus intolerabiles referunt. Irenæo Epiſcopo Lugdunenſi, lib. 1. adverſus Hæreſes cap. 2. Eccleſia per univerſum orbem usque ad fines terræ ſeminata. Et cap. 3. Hanc prædicationem cùm acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Eccleſia, & quidem in univerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans; & ſimiliter credit iis, videlicet quaſi unam animam habens, & unum cor, & conſonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quaſi unum poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis una & eadem eſt. Et neq; hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ, quæ in Iberis ſunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Lybiâ, neque quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ: ſed ſicut ſol creatura* D e i *in univerſo mundo unus & idem eſt, ſic & lumen, prædicatio veritatis, ubique lucet, & illum nat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.* Reliquos verò populos per ſequentia ſecula Doctores variis chariſmaſi inſtructi erudierunt, & quod reliquum fuit orbis, ſceptro Regis Meſſiæ ſubjecerunt, nec obſtiterunt primis temporibus duriſſimis potentia Imperatorum, hoſtium multitudo, Inſtrumenta Torturæ, aſſatio, Bos æneus, Beſtiæ, Catabolum, Cataſta, circus Leonum, compedes, crurifragium, culeus, typhoniſmus, decalvatio, decimatio, dentifragium, Diaſphendon, equuleus, fidiculæ, fames, flagellationes, forcipes,

pes, frigidaria, fumus, furca, fuſtuarium, graphii, inſcriptio, laceratio, lapidatio, laqueus, Leones, linguæ abſciſſio, laceratio mammarum, mare, metallifodinæ, muſcæ, novaculæ, obeliſci, oculifodium, olla fervens, oris diverberatio, pix ardens, plumbatum flagellum, plumbum liquens, præcipitatio, proſcriptio, puteus, raptatio per vias publicas, ſagittæ, ſcaphiſmus, ſecuris, ſectio, ſerpentes, ſtimuli, tunica moleſta, Tympaniſmus, Vivicomburium, uncus, ungulæ. *Ligabantur*, inquit *Auguſtinus lib. 22. de Civit.* D E I, *cap. 6. Chriſtiani, includebantur, cædebantur, torquebantur, cremabantur, laniabantur, trucidabantur, & multiplicabantur. Non erat eis pro ſalute pugnare, niſi ſalutem pro ſalute contemnere*; & iterum *Pſalm. 58. effuſo ſanguine Martyrum ſeminata ſeges Eccleſiæ fertilius pullulavit, & totum mundum, ſicut nunc conſpicimus, occupavit.* Quid? quod honori duxerint Chriſtiani tormenta, & inſtrumenta inſcribi curarint tumulis, inſculpi voluerint cœnetexialibus, ſarcophagis, lebetes, ollas, ignes, flammas, pectines, globos ardentes & ſimilia. Propugnata eſt *ſecundò* Religio Chriſtiana non per ſingularis ſapientiæ, quam Philoſophi oſtentarunt, aut Eloquentiæ, qua Oratores pollebant, ſubſidia, non per arma & vires carnis, non per illuſtres & famâ inclutos, ſed ſimplicitate ſermonis, baculo verbi, per inermes abjectæque conditionis piſcatores & opifices, quod argumentum egregiè pertractat *Chryſoſtomus*, ſcribens: *Conſidera & cogita tecum, quid ſit in tam brevi tempore omnem ſub ſole terram tantis Eccleſiis implere, tantas gentes ad fidem transferri, populis perſuaderi, ut patrias leges abrogent, conſuetudinem ſtabilitam & radicatam revellant, imperium voluptatis, nequitiæ vim tanquam pulverem abjiciant, altaria, & templa, & ſtatuas, & ſacrificia, & profana feſta, & immundum odorem, ſicut fimum aliquem, aboleant: & excitent altaria ubique gentium, in regione Romanorum, Perſarum, Scytharum, Maurorum, Indorum, & ultra orbem noſtrum. Nam & Britannicæ Inſulæ extra hoc mare ſitæ, & quæ in ipſo Oceano ſunt, virtutem verbi ſenſerunt (ſunt enim etiam illic fundatæ Eccleſiæ, & erecta altaria) illius, inquam, verbi, quod tunc dictum; quod & in omnibus animabus, inque omnium labiis plantatum. Unde & omnis ferme terra ſpinis plena repurgata, & purus ager effecta, ſemina pietatis ſuſcepit*: & paulo pòſt: *per*

quos D*eus perſuaſit? per Viros undecim illiteratos, privatos, ineloquentes, obſcuros, pauperes, patria, facultatibus, robore corporis, præcellentia gloriæ, dignitate progenitorum, vehementia rhetorices, eminentia ſcientiæ carentes: per piſcatores, per tabernaculorum opifices, per Barbaros. Nonne hîc adimpletum, quod prædictum quondam Pſalm. 45. v. 17. Pſalm. 68. v. 28. 29. 30. nec non Pſalm. 87. v. 5. 6. 7.* Denique ita dilatata eſt Religio Chriſtiana, ut ſuccubuerint, quotquot ei tela obverterunt reſiſtere auſi; dejecti ſunt Imperatores, confuſi Sophiſtæ, debellati Hæretici, caput efferente veritate: finierunt tragicè Imperatores Romani, obtriti ſunt ex Philoſophorum turmâ *Celſus Epicureus*, *Lucianus Samoſatenus*, *Porphyrius*, *Batanæotes*, *Ecebolius*, *Libanius*, *Maximus*, & alii Chriſtianæ veritatis hoſtes, inter quos referunt Modeſtinum, & Ulpianum, par Jurisconſultorum Chriſtianis infenſisſimum; divinitùs puniti, *Simon Magus* ignominioſè occumbens, *Manichæus* excoriatus ob infelicem curam, *Montanus* deſperans cum Prophetiſſis, & ad laqueum cum Juda recurrens, *Arrius* cum excrementis inteſtina effundens, *Neſtorius* linguam vermibus corroſam evomens. conſule hic *Grotium de Veritate Religionis Chriſtianæ.*

XIV. Loquatur pro nobis de Imperatoribus *Theodoretus* lib. 9. Θεραπευτικῆς, cujus ſunt ſequentia: *Piſcatorum, & Publicanorum, tentoriorumque opificis leges, non Cajus, non Claudius diſſolvere potuerunt, nec illorum ſucceſſor Nero. Hic enim, tametſi duos optimos legislatores ſuſtulerit, (Petrum namque & Paulum interfici juſſit) at leges cum legislatoribus non ſuſtulit. Non Veſpaſianus, non Titus, non Domitianus, quamquam multis & variis machinationibus eas oppugnarit. Multos enim, qui ſe legibus illis addixerant, de medio ſuſtulit, omne tormentorum genus in eos intendens. Trajanus inſuper atque Hadrianus vehementer contra has leges inſurrexerunt. Trajanus Perſarum quidem imperium ſubvertit, Armeniosque Romanorum fræno ſubjecit, & Scyticas nationes ſceptris ſuis parére compulit. Piſcatorum tamen ſutorisque leges abolere non potuit, & Hadrianus urbem eorum, qui Jeſum crucifixerunt, funditus evertit: ſed eos, qui in illum crediderunt, abducere ab ejus ſervitute non potuit.* Adde ibi reliqua: confirmat noſtram ſententiam de vi vorticordiâ *Ruffinus* lib. 1. Hiſtoriæ c. 3. Exemplo Idiotæ Philoſophum quatuor verbis conver-

convertentis. Tandem *Hæreticos infeliciter occubuiſſe, nec vel Judæos vel Gentiles convertiſſe*, confirmant *Arnobius, Epiphanius, Euſebius, Athanaſius, Evagrius*, nec malè *Tertullianus: de verbi adminiſtratione quid dicam? cùm hoc ſit negotium illis, non Ethnicos convertendi, ſed noſtros evertendi, noſtra effodiunt, ut ſua ædificent*, &c. lib. de præſcript.

XV. Non malè Mirandulæ Dominus & Concordiæ Comes: *duodecim inprimis duces habuimus inermes, illos quidem inopes & omni prorſus auxilio, præterquam divino, deſtitutos, in quos non ſolum Senatus, populusque & Imperatores Rom. qui tum rerum potiebantur, potentiæ ſuæ machinas exercuerunt, ſed & ipſi Philoſophi, Oratoresque, & Rhetores, vires omnes ſcientiæ ſuæ & eloquentiæ exacuerunt. Nam & Porphyrius, & Celſus, & Libanius, & Lucianus, Syrus, & alii, quos antè diximus, adverſus Chriſtum, & ſectatores acerrime invecti ſunt, qui tot annorum ſeculis omnifariam oppugnati, tantum abfuit, ut expugnarentur, ut & in obſidionibus, quas pertulerunt, munitiores, & in perturbationibus ſecuriores, & in cædibus numeroſiores, atque vivaciores perſeverarint. Sed quid dicam de internis & plusquam civilibus bellis, quibus noſtra fidei Chriſtianæ Reſpublica atrociter quaſſata eſt, ab ipſis primordiis ad noſtra tempora? de Simonis inquam, de Nic. de aliorum hæreſi, qui ſub Apoſtolorum tempore virus ſparſerunt: de Menandri, de Baſilidis, de Hebionis, de Cerinthi peſte, de Arrio poſtea, de Sabellio, de Macedonio, de aliis innumeris? Quid de tepidis illis dicam, qui ſub ovina pelle rapaciſſimum lupum gerunt, quos aut mitigat illa manſuetosque reddit, aut capit, detegit, ſuisq; ovibus vitandos indicat? Quo enim unquam tempore ab hæreſibus, aut veteribus extirpandis, aut novis allidendis, aut ſubnaſcentibus veluti abortivis enecandis, aut ab oſtendendis occultis hoſtibus amicitiam ſimulantibus quieta Eccleſia perſeveravit? ut illud maximum ejus fidei veritatis argumentum haberi poſſit, & cum externis eam hoſtibus, & cum internis ſimul bellaſſe & viciſſe: Si enim externa pace vel ocio interno uſa fuiſſet, non mirum quiſpiam fortaſſe putaret, ſi adverſarios domuiſſet: ſed cum & externis armis, & inteſtinis incendiis una petita ſit, nec ſuccubuerit, imò victrix triumphaverit, triumphetq;, Dei opus eſſe negari etiam ab inimicis.*

inicis non poteſt. Verùm enimverò ſi ad egregia facinora conſideranda mentem appulerimus, nullam ſectam religionemvè Chriſtianæ religioni comparari potuiſſe unquam deprehendemus: conferenda ei fortaſſe erit Phœnicum illa Theologia, à Sanchoniatune Berithio collecta, quam Philon ille, non Hebræus, ſed Biblius, in Græcam linguam tranſtulit, aut Ægyptiorum, quæ à Manete explicata, aut Græcorum, quam Cornutus philoſophis edidit, Athlantiorumvè, aut Phrygum, quas quidem plenas monſtroſis fabulis, & meraciſſimis nugis, tum Euſebius, tum Theodoretus, tum alii, luce clarius monſtravère, aut mores demum ulli vel nationum vel philoſophorum conferendi? quorum opiniones & Aëtius & Plutarchus, idem quoq; Porphyrius, addita eorum, vita conſcripſere.

XVI. De Perſecutoribus verò ita diſſerit. *Pilatus, qui iniquam in Chriſtum ſententententiam tulit, quem vitæ finem meruit? ſeipſum propria interfeciſſe manu apud Græcorum Romanorumq; hiſtorias Euſebius inveniſſe retulit. Herodes primus pari ſe nece damnaverat. Secundus Herodes divinitùs percuſſus interiit. Aurelianus fulmine perterrefactus, mox occiſus. Diocletianus ſibi ipſi manus intulit, vel, ut alii ſcribunt, Senatus decreto perfracta gula miſerrimam animam effudit: Maximianus ſupiter & infeliciter occiſus. Maxentius & victus ſimul & gurgite abſorptus eſt. Mordaciſſimus Lucianus & Chriſti legis irriſor, canum morſibus laceratus interiit. Julianus ille impius apoſtata, cùm in Perſas proficiſceretur, & Chriſtianorum ſanguinem dæmonibus devoviſſet, deſolato exercitu vulneratus occubuit.*

XVII. Non deſtituitur Religio Chriſtiana etiam *Hoſtium Teſtimonio*, qui honorificè de Chriſto Apoſtolis & Chriſtianis loquuntur; Judæi quamvis infenſiſſimi Chriſtiani nominis Adverſarii, non tamen, ſi Joſepho velimus fidem habere, negare poſſunt, & Chriſtum, & Johannem, nec non Jacobum, integræ fuiſſe viæ, de quorum primo laudatus ſcriptor lib. 12. Antiquitat. cap. 12. Mahumedani, utut impoſtorem ſequantur, non tamen Chriſto derogare poſſunt dignitatem Prophetæ, cùm in Corano dicatur *Verbum* D E I, *Apoſtolus Patris, illuſtris in hac vita & in altera; in hac vita Prophetia & excellentiâ inter homines; in altera, interceſſione & ſublimitate gradûs in Paradiſo inſignis*, aſſeratur, *Evangelium cœlitus ad eundem demiſſum, & in illius confirmationem virtute mira-*

miracula patrandi fuiſſe inſtructum, unde ipſe in Corano introducitur loquens ita: *ego utiq; ad vos veni cum ſigno à Domino veſtro.* Gentiles, utut cœci, radiis tamen Majeſtatis, infucatæ ſimplicitatis, & ſingularis ſanctitatis, quæ refulſit ex miraculis, ex modo docendi, ex ipſis denique Chriſtianis, ita fuerunt præſtricti & convicti, ut Celſus agnoverit, *credidiſſe Chriſtianos*, JESUM *eſſe filium* DEI, ideò *quod cœcos & claudos ſanaverit*; apud *Origenem* lib. 2. Julianus conceſſerit, *etiam Dæmonio correptos adjuviſſe*, apud *Cyrillum* lib. 6. Dionyſius Longinus Homero Moſen prætulerit, eundem *virum non Vulgarem* appellarit, *quia Numinis potentiam pro dignitate notam fecerit, declaraveritque ſtatim initio proœmii legum ſuarum, ſcribens*: DEUS *dixit: fiat lux, & facta eſt. Ammianus Marcellinus* diſertè profeſſus fuerit, *in Chriſtiana Religione doceri nihil, niſi juſtum & lene.* Vulgi denique verbum fuerit, Teſte *Tertulliano, bonus Vir Cajus Sejus, tantùm quod Chriſtianus*, & Zoſimus Gentilis ipſe tribuat Chriſtianiſmo *libertatem ab omni crimine & impietate*; adde epiſtolam Plinii & *Tertullianum*.

XVIII. Audiamus hic Marſilium Ficinum de Religione Criſtiana perorantem: *Profectò*, inquit, *gentiles omnes conſenſerunt,* JESUM *aut* DEUM *ipſum fuiſſe, aut certè divinum. Mileſius Apollo conſultus ita commendavit Chriſtum: Mortalis erat corpore, ſapiens, prodigiorum effector: ſed ſub judicibus Chaldæis armis comprehenſus clavis fuſtibusque amaram mortem paſſus eſt. Porphyrius in libro de reſponſis inquit: Chriſtum Dii maximè pium pronunciaverunt, immortalemque evaſiſſe aſſeruerunt, benigne admodum de illo teſtificantes. Adjungit Hecaten Deam interrogantibus de Chriſti anima reſpondiſſe. Viri pietate præſtantiſſimi eſt illa anima. Hanc colunt à rigiditate alienam. Et poſt multa ſubjunxit Hecate.* CHRISTUS *ipſe pius in cœlum ſicut pii conſcendit. Huic ergò ne derogaveris. Concedit ipſe Porphyrius,* CHRISTUM *& ſapientem & pium fuiſſe, quamvis Chriſtianos partim indoctos, partim magos nominet, tùm veritati tum ſibi ipſi manifeſtè repugnans. Tertullianus in Apologetico ſcribit, quod, quum Pilatus ad Tiberium imperatorem de Chriſtianorum dogmate referret, Tiberius retulerit ad ſenatum, ut Chriſtianorum ſacra inter cætera ſacra reciperentur. Verùm, quum ex conſulto patrum Chriſtianos eliminari urbe placuiſſet, ex eò quod non ſenatui*

prius hujus rei judicium fuiſſet delatum, (vetus enim erat decretum, ne quis DEUS *absq; ſenatus auctoritate conſecraretur.) Tiberius per edictum accuſatoribus Chriſtianorum minatus eſt mortem: multi ſenatorum ac equitum Romanorum interfecti. Confirmat eadem Euſebius. Veſpaſianus ac Titus auditis Chriſti operibus, ejus potentiam timuerunt. Adrianus (ſicut Julius Capitolinus narrat) ſtatuit* CHRISTO *templa facere, eumq; inter* DEOS *recipere. Ideòque templa absq; ſimulacris in omnibus civitatibus fieri juſſit, quæ hodie idcirco, quia non habent Numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur, ſed prohibitus eſt ab his, qui conſulentes ſacra, repererant, omnes Chriſtianos futuros, ſi id optatè eveniſſet, & templa reliqua deſerenda. Alexander Severus templa fieri Chriſto ſtatuit, ſed non ſucceſſit. Orabat in matutinis, in ſacrario ſuo, coram ſtatua Chriſti. Hæc Capitolinus. Sed audi, quid de Adriano referat Euſebius. Quadratus diſcipulus Apoſtolorum & Ariſtides Athenienſis Philoſophi libros pro Chriſtiana religione Adriano dedere compoſitos, & Serenus Gravius legatus, vir apprimè nobilis, literas ad imperatorem miſit, iniquum eſſe dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum ſanguinem concedi, & ſine ullo crimine nominis tantùm & ſectæ reos fieri: quibus commotus Adrianus Minutio Fundano proconſuli ſcribit, ſine objectu criminis Chriſtianos non condemnandos. Cujus epiſtolæ usq; ad noſtram ætatem durat exemplum. Hæc Euſebius. Antoninus Pius, quum audiſſet Chriſtianos hoc frequenter uti proverbio: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: Perſcrutatus eſt* CHRISTI *vitam, eiq; ſtatuam tanquam* DEO *ſacravit. Reor equidem ad hoc maximè inductum fuiſſe à Juſtino Philoſopho, qui ei librum pro noſtra religione conſcriptum dicavit. Philippus ex Imperatoribus primus Chriſtianus fuiſſe ab Euſebio traditur. Superiores enim* JESUM *non ſolum, ſed cum cæteris Diis colebant: Sed hi omnes populum ſuum magis, quàm* DEUM, *veriti fuiſſe videntur. Conſtantinus deniq;, quum* CHRISTI *miracula in rebus ſuis manifeſtius fuiſſet expertus,* DEUM *magis, quam populum, timuit, ſolumq;* CHRISTUM *& palam adoravit, idolorum templa ſubvertit,* CHRISTO *paſſim templa precioſa ædificavit. Hæc de illo ſcribit Euſebius, qui illius tempore floruit.*

XIX. Nul-

XIX. Nullus itaque, qui prudens, qui ſalutis ſuæ cupidus, qui ad metam aliquam Beatitudinis contendere animo præfixit, Religionem Chriſtianam averſabitur, ſi expendet hæc γνωρίσματα, has ſtricturas, hæc divinitatis indicia, & quanquam non pari paſſu ambulent argumenta adducta, quibusdam ad apodixin usque culminantibus, quibusdam inter probabilitatis ſphæram ſubſiſtentibus, colliget, quibusdam præparari mentem, quibusdam convinci, quædam primam ferire cœcitatis ſuperficiem, quædam profundius influere, ut καλύμματι remoto renideat nobile verum.

DISPUTATIO SEXTA
De
ARGUMENTIS VERITATI RELIGIONIS CHRISTIANÆ OPPOSITIS,

THESIS I.

VEre & ex Spiritus Divini perſpicaciâ quondam grandævus Simeon Chriſtum vocavit σημεῖον ἀντιλεγόμενον *Luc. 2. v. 34.* Paſſus quippe contradictionem eſt Meſſias noſter, Doctor Veritatis, non tantùm tempore miniſterii ſui in his terris, nunc Phariſæis arma moventibus, nunc Sadducæis ſpicula vibrantibus, ſed etiam poſt lætam reſurrectionem & triumphum Aſcenſionis in cœlum, miſſis apoſtolis Judæorum ad contribules passim in hac vel illâ orbis parte agentes, ut doctrinam CHRISTI traducerent, calumniarentur, oppugnarent, quibus in manus data ἐγκύκλια γράμματα, nec tantùm ab hisce, ſed & Gentilibus, quorum renitentiam ſenſit maximè Paulus Athenis, eidem inſultantibus Philoſophis ſectæ tum Stoicæ tum Epicureæ, & σπερμολόγον vocantibus, de quo *Actor. 17. v. 17. 19.* Quos ſecuti quamplurimi, quorum argumenta & rationes, ne cui ſcrupulus hæreat, σὺν Θεῷ ſubmovebimus.

II. Vellicârunt autem primò Chriſtianæ Religionis Unitatem, & in diverſas abiiſſe ſectas opponebant. *Nam & Chriſtiani Samaritæ, & quibus præſentia ſemper tempora cum enormi liber-*

tate diſpliceant, inquit Flavius Vopiſcus in Saturnino. Conſimilia deprehendas apud Celſum. Secundò Veritatem, *Deum introduci ab illis ut æmulatorem, qui indignetur, quem pœniteat, cujus Miniſter Moſes juſto concitatior, truculentus, nec Socrati mitis Ingenii Philoſopho comparandus, quod Deo & illius Interprete indignum; dogmata abſurda proponi, quæ omnem rationem tranſcendant, de Deo nato, paſſo, crucifixo, mortuo, de reſurrectione poſt Obitum, & cineres, & favillas, & alia: credulitatem exigere intellectui adverſam*; undè vel maximè hoc culpat in Chriſtianis Celſus, *quod aſſentiantur temerè, ſine ratione ſint creduli, & rogati tantum reſpondeant*, μὴ ἐξέταζε, ἀλλὰ πίστευσον, *ne inquire ſed crede*. Miracula verò CHRISTI elidere tentavit Celſus, referendo *ad Magiam*. Apoſtolos & CHRISTI Servos *Circumforaneos* appellârunt illius complices, Julianus Paulum *Virum, qui omnes Præſtigiatores ſuperet*, Ulpianus *Exorciſtas, Impoſtores*. Undè cùm Tiburtius prunis inambulans ad Fabianum Judicem ſe converteret & diceret: *Tu ſi potes mitte manum in aquam calidam in nomine Jovis tui, & ſi poteſt Jupiter Deus tuus, faciat te non ſentire ardorem. Nam mihi quidem in nomine Domini mei JESU CHRISTI videtur, quod ſuper flores roſeos gradiar, quia creatura ipſa creatoris ſui famulatur imperio*. Fabianus dixit: *Quis ignorat, artem magicam vos docuiſſe CHRISTUM veſtrum*. Tertiò Sanctitatem maximè, dicti enim ſunt Chriſtiani *Athei*, quod DEUM & Templa non curent, *Onolatræ*, quod caput quoddam aſininum venerentur, & ut DEUM colant, *Heliolatræ*, qui ad Solem ſe convertant, & eundem adorent, *ædeolatræ*, quod Sacerdotis colerent genitalia, & quaſi parentis ſui adorarent naturam: *Crucicolæ*, qui infami trabi divinum deferant honorem, *Nephelolatræ*, quod cœlum & nubes ſuſpiciant, *Serapidolatræ*, quod non tantùm Chriſtum ſed & Serapin colant, Deaſtrum Ægypti. *Martyrum cultores*, quod ad monumenta illorum ſe conferant. Non tantùm autem in cultu ipſis objecta fuit impietas; ſed & talia vitia, quæ charitati in proximum repugnant, quòd ſc. *vilipendant Imperatoriam Majeſtatem, ad res novas moliendas eſſent prompti & ſeditiones concitandas, infantes necarent, & Thyeſteas epulas amarent, inceſtibus ſeſe contaminarent, non temperantes ſibi à propriis ſororibus, ſed & has libidine & temerario auſu violarent*. Antiquitatem ob-

jectâ

jectâ novitate refellere aggreſſus eſt Celſus, ſcribens, *Jesum* πρὸ πάνυ ὀλίγων ἐτῶν *antè valdè paucos annos fuiſſe hujus Doctrinæ Inſtitutorem:* Efficaciam imputabant ſtoliditati. *quia Chriſtiani obtuſi & bruti, nullo artium ornamento ſplendidi: nec tantùm vulgus illorum laborare ſtupore, ſed & Doctores eſſe rudes laniones, ſutores, fullones, quorum Symbolum nemo doctus accedat, nemo ſapiens, nemo prudens*, cauſabantur: *Invincibiles fuiſſe ex pertinaciâ, tormentis verò ſubjectos propter flagitia, inde Sarmentitii & ſemaxii, deſperati, pallidi: Serpſiſſe quidem Chriſtianiſmum, ſed ejusdem incremento imputanda decrementa felicitatis, Deos quippe importâſſe peſtilentias, ſiccitates, bella, frugum inopiam, locuſtas, nives & grandines, resque alias noxias, quibus negotià incurſantur humana, injuriis Chriſtianorum atque offenſionibus exaſperatos.*

III. Verùm ipſa Innocentia quandoque accuſatur, nec Suſannæ caſtitas potuit evitare omnem malevolorum calumniam: ferocit ratio adverſus fidem, & luſco lumine nævos & tubera ſibi fingit in integro corpore. Nullum argumentum, quod Unitati obvertitur. Nam 1. Religionem ipſam cum hominibus confundit. Sit ita, diverſas fuiſſe opiniones illorum, qui Chriſti nomen præ ſe ferebant, num ipſa religio in diverſas diſtracta partes hiavit, & articulorum ſeries fuit funiculus ex arenâ? num, quia Philoſophi in diverſa abeunt, ipſa Philoſophia chaos erit infinitarum opinionum? imò ſi Religionem accipiamus, ut in cœtu quodam Eccleſiæ Chriſti ſpectatur, num Sectæ & errorum partiarii unitati aliquid derogabunt? num, quia Capernaitæ non conſenſerunt Ordini Apoſtolorum de ſpirituali manducatione carnis Chriſti, Unitas Religionis rupta fuit in ipſo Collegio Sacro? Num, quia Judaizantes & Cerinthiani, ut quidam volunt, diſſenſerunt ab orthodoxis, unitas Eclipſin fuit paſſa orthodoxorum? Num quia Phygellus, Hermogenes, Ebion, Valentinus, Baſilides, Menander, diverſa cuderunt dogmata, ſtructura ſanorum in cœtu ſano fuit collapſa? hærent quandoque ſordes rotis, quas agitatæ excutiunt: *exierunt è nobis*, inquit Johannes de ſectariis, *quia non fuerunt ex nobis. 1. Epiſt. 2. v. 19.* Secundò totum hoc argumentum profectum eſt è Regione tenebrarum, profundo ignorantiæ; Gentiles enim non rimabantur Sacra Chriſtianorum, quicquid diverſum erat à gentiliſmo, in unum compingebant corpus, Judæos & Hæreticos Chri-

 ſtianis

ſtianis miſcebant, nomine communi appellabant, unde facilius fuit diſſenſiones corpori heterogeneo exprobrare. Liquet id ex eo, tum quia, cùm Claudius expuliſſet Judæos Româ, anno, ut volunt, imperii ſui nono, Chriſti quinquageſimo primo, Suetonius tempore Adriani, adeòque 70. circiter annis poſt hæc tempora, ſcripſit, *Judæos impulſore Chriſto aſſiduè tumultuantes Cajum Româ expuliſſe*, tum quia Vopiſcus *Chriſtianos* & Samaritas copulat, tum quia Arrianus denique apertè teſtatur, *Chriſtianos etiam Judæos fuiſſe dictos*, inprimis autem totam hæreticorum colluviem ſub Chriſtianiſmi nomine fuiſſe comprehenſam vel ex objectione de Thyeſteis epulis & libidinibus nefandis, ut cætera prætereamus, liquere poteſt. Tertiò hoc argumentum Telum eſt, quod in ipſos gentiles retorqueri poteſt: quanta opinionum monſtroſarum ſeges apud Paganos, quibus non ſatis fuit multiplicare religiones, ſed & ipſos Deos, luxuriare in cultu, ſed & ipſo objecto illius, contra dictamen rectæ rationis? Attendamus tantùm triplicem Theologiam, Mythicam, Phyſicam, & civilem, de quibus *Auguſtinus 6. de Civitate* DEI *cap. 5.* patebit, oppoſitorum dogmatum fuiſſe genera, & aliud ſenſiſſe Poëtas, aliud Philoſophos, aliud Sacerdotes cum reliquâ hominum turbâ, primam fuiſſe accommodatam ad Theatrum, ſecundam ad mundum, tertiam ad urbem. Audiant Clementem in Protreptico vel de ſolis Ægyptiis: *diſperſi*, inquit, *ſunt in varios cultus ac Religiones. Ex his Syenitæ quidem colunt piſcem Phagrum. Mæotem autem (eſt verò hic quoq; alius piſcis) colunt, qui habitant Elephantinam. Oxyrinchitæ autem piſcem ſimiliter, qui ab eorum dictus eſt religione. Præterea Ichneumonem Heracleopolitæ: Saitæ autem Thebani ovem: Lupum autem Lycopolitani. Canem verò Cynopolitani: Apim Memphitani: Hircum Mendeſii.* Minutium Felicem in Octavio ex Perſonâ Cæcilii ita declamitantem: *Per univerſa imperia, provincias, oppida, videmus ſingulos ſacrorum ritus gentiles habere, & DEOS colere municipes, ut Eleuſinios Cererem, Phrygas Matrem, Epidaurios Æſculapium, Chaldæos Belum, Aſtarten Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium, univerſa Romanos. Sic eorum poteſtas & auctoritas totius orbis ambitus occupavit. ſic imperium ſuum ultra ſolis vias, & ipſius Oceani limites propagavit, dum exercent in armis virtutem religioſam, dum urbem muniunt ſacrorum religionibus, caſtis virginibus, multis*

tis

tis honoribus ac nominibus ſacerdotum: dum obſeſſi, & citra ſolum Capitolium capti, colunt D E O S, *quos alius jam ſpreviſſet iratos; & per Gallorum acies mirantium ſuperſtitionis audaciam pergunt telis inermes, ſed cultu religionis armati: dum captis hoſtilibus mœnibus adhuc ferociente victoriâ numina victa venerantur: dum undique hoſpites* D E O S *quærunt, & ſuos faciunt: dum aras extruunt etiam ignotis Numinibus, & Manibus. Sic dum univerſarum gentium ſacra ſuſcipiunt, etiam regna meruerunt.*

IV. Veritati ſecundò non officit, quod gentiles eidem offundunt: primò enim non indignum D E O æmulari, indignari, iraſci; ſi laudi datur viro probo & gravi, ſi iraſcatur vitiis, Zelo ferveat adverſus adulterium, indignetur moribus perverſis; & vel ſtupiditatis vel nimiæ lenitatis aut etiam levitatis eſt, peccatis non moveri, omnia diſſimulare, virtutem & vitium eodem habere loco, adeòque nullâ curâ honeſtatis vel promovendæ vel conſervandæ tangi; quantò magis D E O, mente ſanctiſſimâ, indignum erit, non iraſci peccatis, ferre corrivalem, ſceleribus & flagitiis non indignari, ſed omnia connivente transmittere oculo, ſecuritati indulgere. Pœnitere etiam non repugnat D E O, eo ſcilicet modo acceptum, quo quidem Scriptura illud explicat, & ex illâ Chriſtiani Theologi; nec Moſes turbulenti fuit ingenii homo, aut iracundi affectus Mancipium, cùm Teſtimonium illuſtre habeat *vel ab aliquo Hagiographo*, qui diaria ejus digeſſit, ut vult Cornelius à Lapide, *vel ab Esdra*, quod præfert Hugo, *vel à ſeipſo* inſtinctu Spiritus, quò collimat Rikelius, quod fuerit עָנָו *Anâv, vir mitiſſimus, manſuetus, modeſtiſſimus*, qui oblocutiones Aaronis & Mirjam ſilentio & patientiâ involvit, populi duriſſimæ cervicis mores aſperos longanimitate vicit, &, ut Clemens loquitur, *ab omni typho ſuperbiæ alieniſſimus, ſummâ erga omnes homines charitate præditus*, adverſa æquanimiter toleravit. Dogmata quamvis videantur abſurda, non tamen confeſtim aut incuſanda falſitatis, aut rejicienda; nec, quia tranſcendunt captum noſtrum, improbanda. Quot quæſo in Regno Naturæ ſunt, ad quæ mens humana pertingere nequit, quæque videntur nobis abſona, num tamen erunt calcanda, & non potius agnoſcenda mentis noſtræ imbecillitas? *quòd*, ut Ariſtoteles loquitur, *Intellectus hominis ſit veluti Nycticoracis oculus ad Solem intuendum.* Abſurdumne, D E U M, qui cognoſcitur ex lumine naturæ præſens omnibus creaturis, pe-

culiariter & modo quodam ſingulari ſeſe jungere intimius Creaturæ, aſſumere illam in conſortium ſuæ Majeſtatis, & cùm ſit impaſſibilis in ſe, in illâ pati, mori, & crucifigi, ut genus humanum liberetur, cedant illa omnia in bonum nobiliſſimæ creaturæ? Num credulitatis probroſæ aut fatuitatis argumentum aſſentiri etiam absque ratione? Annon omnis aſſenſus fidei etiam humanæ rationes non exigit, ſed in veritatem & authoritatem dicentis ſeſe reſolvit? num Magiæ, impoſturæ, aut Diabolo adſcribenda opera ſtupendæ virtutis, quia aliam neſcias viam, quâ elabaris, fulgore illorum & Majeſtate preſſus & convictus? Secundò, cùm in Scripturis DEUS deſcribitur ut Zelotes, introducitur iratus ſceleratis, pœnitere eidem tribuitur, non propriè hæc DEO convenire credendum: quid enim Ira, Zelus, & pœnitentia, quàm affectus & cum dolore conjuncti appetitus? non itaque DEO competunt propriè ſed metaphoricè, non affectivè ſed effectivè; zelatur, cum improbat idololatriam, iraſcitur, cùm punit, pœnitet ipſum, quando res ab ipſo productæ mutantur & cadunt è meliori ſuo ſtatu, & ſicubi Scriptura ita loquitur vel DEUS in illâ, condeſcendit nobis, ut nos conſurgamus. Quid? quòd adhuc diſputari poſſit, annon ira propriè DEO tribuenda, ſed rejectis ſordibus, quæ illi ex imperfectione creaturæ adhærent, prout præciſè dicit rationem ulciſcendi, & vices rependendi, nec omnis etiam ira in Homine vitioſa, ſed cos quandoque fortitudinis, ſtimulus virtutis, indicium mentis à vitiis averſæ, qualem ſi largiamur Moſi, id largimur, quo maximè armatum eſſe decet Rectorem Populi. Socratem verò novimus, ex ipſo Porphyrio, *poſtquam Irâ inflammatus, ita conturbari ſolitum, ut à nullo abſtinuerit: In rebus verò venereis fuiſſe planè immodicum, nec non adulationi deditum*, ut obſervat Picus Mirandulæ Comes pag. 234. Adde quæ ibi habet & de Platone & Ariſtotele, Dogmata verò Chriſtianæ Religionis impugnari nequeunt ex abſurditatis ſpecie, quia ab ipſis Chriſtianis non rationi ſed revelationi vindicantur: ipſi verò gentiles largientur, quòd ſi ultra rationis ſphæram DEUS progrediatur, revelet aliqua homini, quæ ex Theatro naturæ non refulgent, nec ex mentis humanæ profundo erui poſſunt, tranſcenſura eſſe illa omnem captum ingenii humani, & acceptanda non ad menſuram noſtri ingenii, ſed divinæ revelationis, quæ fidem exigit, non ſcrupuloſitatem. Ipſe Cæcilius in Octavio conqueritur de profunditate rerum, imbecillitate hominis, & dicit, *indignandum omnibus*,

bus, indoleſcendumque eſt, audere quosdam, & hoc ſtudiorum rudes, literarum profanos, expertes artium etiam ſordidarum, certum aliquid de ſummâ rerum ac majeſtate decernere, de quâ tot omnibus ſeculis ſectarum plurimarum usque adhuc ipſa Philoſophia deliberat. Nec immeritò; cùm tantum abſit ab exploratione divinâ humana mediocritas, ut neq; quæ infra terram profunda demerſa ſunt, aut ſcire ſit datum, aut ſcrutari permiſſum, aut ſtuprare religioſum: & beati ſatis, ſatisque prudentes jure videamur, ſi ſecundum illud vetus Sapientis oraculum, nosmetipſos familiariùs noverimus. Sed quatenus indulgentes inſano atq; inepto labori, ultra humilitatis noſtræ terminos evagamur, & in terram projecti, cœlum ipſum, & ipſa ſidera audaci cupiditate tranſcendimus, vel hunc errorem ſaltem non vanis & formidoloſis opinionibus implicemus. Legatur Origenes contra Cellum, hanc Exceptionem excutiens & enervans. Miracula tot & tanta non in angulo patrata ſed publicè, non tranſitorio ſed conſtante effectu, non in Dæmoniaci regni Incrementum, ſed ruinam, ipſo Diabolo deplorante ſortem ſuam per Oracula, contemni non poſſunt à gentilibus, nec accuſari ex origine, cùm Diabolus nunquam robora ſua ſoleat minuere ſed firmare, ut rectè ſcripſerit Arnobius: *derideatis licet ex more, atq; in laſciviam diſſolvamini cachinnorum: DEUS ille ſublimis fuit DEUS radice ab intimâ, DEUS ab incognitis Regnis, & ab omnium Principe, DEUS ſoſpitator miſſus eſt, quem neque Sol ipſe, neque ulla, ſi ſentiunt, ſidera, non Rectores, non Principes Mundi, non denique DII magni, aut qui fingentes ſe DEOS genus omne mortalium territant, unde aut qui fuerit, potuerunt noſcere vel ſuſpicari.* Ulpiani Impietatem caſtigavit Lactantius qui libro 5. Inſtit. Divinar. cap. 6. ita ſcribit: *Sceleratiſſimi homicidæ contra pios jura impia condiderunt. Nam & conſtitutiones ſacrilegæ, & diſputationes Juriſperitorum leguntur injuſtæ. Domitius de officio Proconſulis libris ſeptem reſcripta Principum nefaria collegit, ut doceret, quòd pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores DEI confitentur.* Tertiò omne id, quod noſtris opponitur, Gentilibus non modio ſed trimordio poſſumus remetiri. Quid enim non de affectibus Deorum in libris gentilium narratur? quid non de diſſenſionibus & iracundiæ documentis de illis legitur, ita enim *Diodorus Siculus* libri initio de *Origine*

Deo-

Deorum. Cælus primus orbis univerſi imperio præfuit, qui ductâ uxore Tellure, priores ex eâ filios ſuſtulit, Centimanos appellarunt, Briareum, Gyan, ac Cœum: qui, quòd ſinguli centum manus, & capita quinquaginta haberent, corporis cùm magnitudine, tum robore, cæteris mortalibus antecelluerunt. Poſt hoſce autem è Cœlo Tellus Cyclopas, Harpen Steropen & Bronten, ſingulos ſingulis, & his quidem in mediâ fronte locatis, oculis peperit. Sed hos Cœlus vinctos dejecit in tartarum, is locus eſt ad inferos tenebroſiſſimus, qui tantùm à terrâ diſtat, quantum à cœlo terram abeſſe ferunt. Cœlus item ex eadem conjuge procreavit Oceanum, Cœum, Hyperionem, Crium, Japetumque cognomento Titanas, & noviſſimum omnium Saturnum ſuſcepit. Præterea filias Tethyn, Rheam, Themin, Mnemoſynen, Phœben, Dionenque, ac Thiam, quas Titanidas nominarunt. Mox verò Terra, indigniſſimè ferens filiorum in tartara dejectorum internecionem, Titanas, ut patrem dolo aggrederentur, inducit, Saturnoque adamantinam falcem ſuggerit. Tum ii omnes præter unum Oceanum in patrem impetum faciunt, & Saturnus præſecta Cœli genitalia dejecit in pelagus, deque virilium ſanguinis profluentibus guttis, Erinnyes, Alecto, Tiſiphone, ac Megæra enatæ ſunt. Cœlo demum è regno expulſo, & revocatis ab imâ tartari profunditate germanis fratribus, Saturnum imperio ſuffecerunt. At hic rurſus Titanas fratres compeditos demiſit in tartarum, Rheam inde ſororem ſibi in matrimonium copulavit. Poſt ubi Cœlus ac Terra illum filii ſui viribus imperio deturbatum iri prædixerunt, ſingulos, ut quiſque in lucem prodibat & naſcebatur, ita devorabat. Et Veſtam prius, Cererem deinde, & Junonem: poſt has Plutonem & Neptunum deglutivit. Quamobrem irata conjux Rhea in Cretam, quo tempore Jovem in utero ferebat, proficiſcitur, ubi in antro Dibæo illum parit, & Curetibus, Adraneæque, ac Idæ nymphis Meliſſarum filiis alendum dedit: hæ verò Amaltheæ lacte puerum educant. At Curetes in antro armati infantem aſſervantes haſtilibus ſcuta, ne vagientis pueri vocem Saturnus audiret, concutiebant. Rhea verò involutum faſciis lapidem pro nato filio patri devorandum dedit. Mox ubi Jupiter juſtæ atque integræ fuit ætatis, Thetin Oceani filiam ſociam capit, quæ Saturno pharmacum bibendum propinat: cujus ille vi coactus lapidem priùs, deinde,

de, quos antea filios devorarat, evomit: quorum adjumento Jupiter adverſus patrem Saturnum, ac Titanas bellum geſſit. Verùm decimo poſt hujusce inter eos belli anno, Tellus victoriam Jovi, ſi in tartarum dejectos ſibi in ſocietatem adſciverit, vaticinata eſt. Tum is, Campe cuſtode interfectâ, illos è vinculis liberavit. Jam tum etiam Cyclopes Jovem tonitru, fulgure, & fulmine, Plutonem autem galeâ, & Neptunum tridente condonarunt. His illi telis armati Titanas ſubigunt, & conjectos in vincula, atq; in tartarum detruſos, centimanis cuſtodiendos dederunt. Quo facto iidem rerum imperium ſorte inter ſe partiuntur: ac Jovi quidem cœli regnum, Neptuno maris, & Plutoni inferorum loca obtigerunt. Quàm abſurda dogmata, quæ gentiles propoſuerunt? ut non ſine veritatis conſenſu ſcripſerit Hugo Grotius, *Religionem Gentilium repugnare notitiæ naturali, honori divino derogare, malos Spiritus ſectari, Aſtra & Elementa Numini ſubſtituiſſe.* Quod ſi abſurdum DEUM incarnari, naſci, pati, mori innocentem, quantò magis ob ſcelera & alia paſſos DEOS Gentilium abſurdum erit: undè egregiè *Julius Firmicus Maternus pagina mihi 39. In iſtâ criminum lege, in iſtâ confeſſione ſcelerum gratias agamus illis, qui etiam exitia & mortes Deorum iſtorum nobis neſcientibus prodiderunt: ut diſceremus omnia per tot obſtantes. Fuit enim & apud veteres, licet nondum terram illuminaſſet Domini noſtri JESU CHRISTI veneranda dignatio, in ſpernendis ſuperſtitionibus religioſa conſtantia. Diomedes pudicus ac ſobrius Venerem vulnerat, Martem vincit & percutit. Oti & Ephialtæ edicto Mars bellipotens temporali exilio damnatus, ferrea catenarum vincla ſuſtinuit. Sarpedonem filium mortuum in Troja Jupiter plangit. Et mercedem fabricatorum murorum Neptunus à ſuperbo rege non recepit. Alterius regis Apollo greges paſcit. Et Soli omnia videnti alius occiſarum boum nunciat mortes. Caſtores ſepelit Sparta, ardet apud Oëtam Hercules, & Æſculapius alibi fulminatur, Vulcanus à patre præcipitatus pedem frangit. Lycurgum fugiens Liber moritur. Venus in adulterio deprehenſa detegitur, & poſt DEI nuptias Anchiſæ hominis cubile ſectatur. Saturnus regno timens devorat filios. Hic ex Creta fugiens in Italia à Spartanis abſconditur. Ob amorem catamiti Juno ſpernitur, & ad Endymionem Luna deſcendit, & contra voluntatem*

uxoris & filiæ Trojanis auxilium ferens deceptus Jupiter dormit. O flagitioſa confeſſio, ô miſerabiles, deflendiq; cultus, ô duræ ſervitutis miſeranda conditio! Ad iſtorum cultum Deorum ſanctos homines, & DEUM devota mente colentes, ſacrilegum tyrannorum traxit imperium, & ut huic facinori aliud facinus adderetur, mors eſt decreta nolentibus. Adde illud Arnobii: *Natum hominem colimus. Quid enim? Vos hominem nullum colitis? non unum & alium? non innumeros alios? quinimo non omnes, quos jam templis habetis veſtris, mortalium ſuſtuliſtis ex numero, & cœlo ſideribusque donaſtis? Si enim fortè vos fugit, ſortis eos humanæ & conditionis fuiſſe communis, replicate antiquiſſimas literas, & eorum ſcripta percurrite, qui vetuſtati vicini, ſine ullis aſſentationibus, cuncta veritate in liquida prodiderunt. Jam profectò diſcetis, quibus ſinguli patribus, quibus matribus fuerint procreati, qua in nati regione, qua gente, quæ fecerint, egerint, pertulerint, actitarint, quas in rebus obeundis adverſorum ſenſerint ſecundantiumq; fortunas. Sin autem, ſcientes uteris eſſe geſtatos, & frugibus eos victitaſſe terrenis, nihilominus tamen nobis nati hominis objectatis cultum, res agitis ſatis injuſtas, ut id in nobis conſtituatis eſſe damnabile, quod & ipſi vos factitatis, aut, quæ vobis licere permittitis, conſimiliter aliis licita eſſe nolitis.* Reſurrectionis Myſterium rationi quidem videtur eſſe adverſum, *cum fiducia Chriſtianorum Reſurrectio mortuorum.* At, nè planè ill[illegible]d exſibiles, ipſa Natura quaſi cavit. Rectè Chryſologus in Symbolo Apoſtolico: *Crede homo de morte reſurgere te poſſe, quia, antequam viveres, nil fuiſti, aut quare dubitas, quod reſurgas, cùm tibi totum, quod in rebus eſt, quotidie ſic reſurgat? Sol occidit, & reſurgit: dies ſepelitur, & redit. Menſes, anni, tempora, fructus, ſemina, cum tranſeunt ipſa, moriuntur, cum redeunt, ſua ipſa morte reviviſcunt, & ut reſurrecturum te jugi & vernaculo inſtruaris exemplo, quoties dormis & vigilas, toties moreris & reſurgis.* Impoſtores verò fuerunt illorum Thaumaturgi, Anaxilaus, *qui ſulphure candente in calice, luſu & repercuſſu illius, pallorem dirum veluti defunctorum offudit convivis*, teſte Plinio lib. 35. cap. 15. Apollonius Thyanæus, qui ludibriis populum circumduxit, quem confudit Euſebius; Veſpaſianus, qui cœco lumen, claudo greſſum reddidit, de quo Tacitus lib. 4. *Medici*, inquit, *varie diſſeruerunt, huic*

huic non exeſam vim Luminis, & redituram, ſi pellantur obſtantia, illi elapſos in pravum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari. Legatur Lactant. lib. 1. cap. 15. 16. & omninò de Veſpaſiani Miraculo Hugo Grotius. Adde illud Minutii: *Majoribus,* inquit, *noſtris tàm facilis in mendaciis fides fuit, ut temerè crediderint etiam alia monſtroſa mira miracula: Scyllam multiplicem, Chimæram multiformem, & Hydram felicibus vulneribus renaſcentem, & Centauros equos ſuis hominibus implexos, & quicquid famæ licet fingere, illis erat libenter audire. Quid illas aniles fabulas, de hominibus aves, & feras homines, & de hominibus arbores atq; flores? quæ ſi eſſent facta, fierent; quia fieri non poſſunt, ideò nec facta ſunt. Similiter, ac verò erga* D E O S *quoq; majores noſtri improvidi, creduli, rudi ſimplicitate crediderunt: dum reges ſuos colunt religioſè, dum defunctos eos deſiderant in imaginibus videre, dum geſtiunt eorum memorias in ſtatuis detinere, ſacra facta ſunt, quæ fuerant adſumpta ſolatia. Deniq; & antequam gentes ritus ſuos moresque miſcerent, unaquæque natio conditorem ſuum, aut ducem inclytum, aut reginam pudicam ſexu ſuo fortiorem, aut alicujus muneris vel artis repertorem venerabatur, ut civem bonæ memoriæ. Sic & defunctis præmium, & futuris dabatur exemplum. Lege Stoicorum ſcripta, vel ſcripta ſapientium, eadem mecum recognoſces: Ob merita virtutis aut muneris* D E O S *habitos.*

V. Sanctitatem non conſpurcant calumniæ, nec puritas conſcientiæ Famâ, quæ lutum & paleas convehit, poteſt contaminari. Accuſati quidem ſunt Atheiſmi Chriſtiani, non quod D E U M negarent, ſed quod Deaſtris gentilium nuncium miſiſſent, teſte Juſtino, qui in Apologetico ad Antonium Pium docet: *Chriſtianos conditorem hujus mundi colere;* Tertulliano, qui apertè: *D E O S veſtros colere deſinimus, ex quo illos non eſſe cognoſcimus cap. 10.* Apologiæ; Arnobio, qui cauſam aperit objectæ impietatis, libro ſexto, *quod Chriſtiani neque ædes ſacras venerationis ad officia conſtruant, nec Deorum alicujus ſimulacrum conſtituant aut formam, non altaria fabricent, non aras, non cæſorum innocentium ſanguinem dent, non thura neque fruges ſalſas, non denique vinum & liquores paterarum effuſionibus inferant.* Objectus illis cultus Aſini, quia cum Judæis & hæreticis confuſi, quem errorem ſuprà notavimus;

N 2

mus; quanquam in hac exprobratione omnia ſint conficta: Judæi enim nunquam Aſini caput coluerunt, ut mendaciorum loquaciſſimus Tacitus confinxit, ſuo ſe gladio jugulans, cùm fatetur, *Pompejum Templum Hieroſolymitanum adeuntem nullum reperiſſe ſimulacrum, Judæos mente ſolâ unumque Numen intelligere, nulla ſimulacra urbibus ſuis, ne dum templis, eſſe*; & ſi poneretur, ad hanc prodigioſam Religionem delapſos fuiſſe Judæos, ut Beſtiæ conſimilis frontem oſtendentis ſuperficiem conſecrâſſent, nunquam tamen Chriſtiani communicârunt cum Judæis in iſtiusmodi cultus genere; imò ſi etiam quidam, qui Chriſtianum jactabant nomen, in libro, qui ἡ γέννα μαρίας ſive *ſtirps Mariæ* inſcribitur, prodiderunt, *Zachariam vidiſſe in horâ ſuffitus hominem quendam ſtantem Aſini formam habentem, qui obturârit eidem os*, quod de Gnoſticis refert Epiphanius, hæres. 26. quanquam non probabile ſit ex hoc arreptam occaſionem calumniandi, quid id tamen ad Chriſtianos, qui tàm longè diſtabant à fœdâ illâ colluvie Barboritarum, quantum cœlum à Terrâ? Legantur hîc quæ Dn. Dilherr in Electis habet lib. 2. c. 13. p. 244. Subjungantur, quæ cordatè ſcripſit Tertullianus, hanc calumniam abſtergens *in Apologetico c.16. & ad nationes* lib. 1. cap. 13. nec non Minutius Felix *in Octavio*. Reprehenſi ſunt, quod Solem colerent, qui tamen ad omnium ſyderum Conditorem mentem animumque elevârunt, non aliâ de cauſâ, quàm quod inter orandum ad Orientem ſeſe converterint, vel quod præſtantior mundi pars illa fuerit habita, quæ ſolis faciem primùm oſtentat, vel quod paradiſus, ex quo expulſi protoplaſtæ, fuerit quondam ad orientem ſitus, vel quod Chriſtus dicatur Oriens ex alto, & curſu conſummato ad orientem ſeſe converterit aſcendens in cœlum, quorum primum placuit Auguſtino, ſcribenti lib. 2. de ſermone Domini in monte: *cum ad Orationes ſtamus, ad Orientem convertimur, unde cœlum ſurgit: non tanquam ibi* D e u s, *& quaſi cœteras mundi partes deſeruerit, qui ubique præſens eſt, non locorum ſpatiis, ſed majeſtate potentiæ; ſed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem ſe convertere, id eſt, ad Dominum, cum ipſum corpus ejus, quod eſt terrenum, ad corpus cœleſte convertitur*; alterum Baſilio, de Spiritu Sancto cap. 27. ſcribenti, *Omnes ſpectamus ad Orientem, cum precamur: pauci tamen novimus, quòd id facientes antiquam requirimus patriam, videlicet Paradiſum, quem conſeruit* D e u s

in

in Eden ad Orientem; tertium Damaſceno, exiſtimanti, *Moſen ita ſcribere potuiſſe ratione loci, in quo ipſe degebat.* Commentum de cultu genitalium Antiſtitis & Sacerdotis, tàm putidum eſt, ut refutatione non egeat; *obſervabant advolvi pœnitentes presbyteris, & Charis Dei adgeniculari*, ut obſervat Deſiderius Heraldus, inde in illam, prout mens ſuffuſa livore quæque ſibi pingit, devenêre opinionem, genitalia & naturam, ſive partem corporis ſecretiorem adorari, & quod contritæ mentis documentum, verſum fuit à profanis in Religionis opprobrium; inde Tertullianus lib. de pœnitentiâ: *Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis Diſciplina eſt; de ipſo quoque habitu atque victu mandat, jejuniis preces alere, lacbrymari, presbyteris advolvi, & Charis Dei adgeniculari.* Cultum Nubium & cœli diſſipat Sol veritatis: *Deus primus ille rerum*, inquit Arnobius ab initio lib. 3. *ac Dominus, conſtitutor moderatorque civitatum, ad cultum divinitatis ſubeundum ſatis eſt nobis. In hoc omnes quod colendum colimus, quod obſequium venerationis expoſcit, venerationibus promeremur.* Judæis verò id fuiſſe imputatum quidem aliqui conjiciunt, forſan quia שמים non tantùm ſecundum Scripturæ phraſin notat illis Deum, ſed etiam Rabbinicam: quanquam probabile ſit peculiarem Sectam fuiſſe, quæ cœlum coluerit, à Chriſtianis tamen diverſam, ut colligere licet ex Auguſtino epiſt. 163. ſcribente: *Miſeramus ad Majorem cœlicolarum, quem audiveramus novi apud eos Baptiſmi Inſtitutorem, inſtituiſſe, & multos illo ſacrilegio ſeduxiſſe, ut cum illo, quantum ipſius temporis patiebantur anguſtiæ, aliquid loqueremur.* Serapis veneratio mera eſt fabula: novimus Iſraëlitas quondam Bovis figuram proſecutos fuiſſe deteſtabili cultu in Deſerto, nihil verò de Chriſtianis conſimile dici poteſt; potuerunt etiam Samaritæ, & alii cujuſcunque furfuris homines, quos malè Vopiſcus jungit Chriſtianis, hac in parte peccare, quid verò hoc ad ſemen electum, ad Chriſtianos totâ mente diviſos? imò fac quoſdam in Ægypto etiam Chriſtianos metu dejectos in ſpeciem Serapi ſe ſubmiſiſſe, num, quod hominum infirmitati imputandum, religioni erit adſcribendum? quantùm à Sacris Ægyptiorum Chriſtiani abfuerint, docere poteſt Julius Firmicus Maternus, circa initium, paginâ mihi quartâ, ſic diſſerens: *Ægypti incolæ aquarum beneficia percipientes, aquam colunt, aquis ſupplicant, aquas ſuperſtitioſa votorum continuatione*

venerantur. Sed in ſacris ſuis (quæ myſteria vocant) addunt tragica funera & funeſta calamitatis metuendæ certamina. Inceſtum cum ſorore adulteriumque ajunt commiſſum, & hoc facinus ſeveris mariti animadverſionibus vindicatum. Iſis ſoror eſt, Oſiris frater, Typhon maritus; is cum comperiſſet Iſidem uxorem inceſtis fratris cupiditatibus eſſe corruptam, occidit Oſirim, artuatimque laceravit, & per omnes Nili fluminis ripas miſeri corporis palpitantia membra projecit. Iſis repudiato Typhone, ut & fratrem ſepeliret & conjugem, adhibuit ſibi Nephthen ſororem ſociam, & Anubin venatorem. Cui ideò caninum caput impoſitum eſt, quia lacerati corporis partes artificio canis veſtigantis invenit. Sic inventum Oſirim Iſis tradidit ſepulturæ. Fuerant ſanè hi apud Ægyptum reges pariter ac tyranni, ſed Oſiris juſtus, præter illud, quod cum ſorore commiſit. Typhon furioſus impotens ac ſuperbus. Ideò ille colitur, iſte vitatur. Hæc eſt Iſiaci ſacri ſumma. In adytis habent idolum Oſiridis ſepultum: hoc annuis luctibus plangunt, radunt capita, ut miſerandum caſum regis ſui turpitudine dehoneſtati defleant capitis, tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum reſecant cicatrices, ut annuis luctibus in animis eorum funeſtæ ac miſerandæ necis exitium renaſcatur. Et cum hæc certis diebus fecerint, tunc fingunt ſe lacerati corporis reliquias reperire, & cum invenerint, quaſi ſopitis luctibus, gaudent. O miſera & caduca mortalitas, ut regibus tuis per annos ſingulos funeſtas mittas inferias, neglecto Deo *ſummo, qui omnia divini artificii moderatione compoſuit, & ſpem tuam perdis & vitam! Nec oſtenſi tibi luminis ſplendore corrigeris, nec recuperatæ libertatis quæris inſignia, nec ſpem redditæ tibi ſalutis agnoſcis, nec ex pœnitentia præteritorum criminum indulgentiam poſtulas. Fruſtra tibi hanc aquam, quam colis, putas aliquando prodeſſe. Alia eſt aqua, qua renovati homines renaſcuntur.* Martyres relicto Crucifixo coluiſſe alios, & defunctorum corpora in DEOS transformâſſe Calumnia eſt, orta ex conventibus Chriſtianorum ad Sepulchra Martyrum, quam diſcuſſerunt Doctores Eccleſiæ. *Nos non vinum*, inquit Theodoretus lib. 8. contra Græcos, *nec hoſtias martyribus nec libamina deferimus, ſed ut Sanctos* D*E*I *homines* D*E*I*q; amantes honoramus.* Addantur, quæ habent Cyrillus, Hieronymus, & alii: Crucis cultum amolitus eſt Minutius

nutius Felix in Octavio reſpondens, *cruces nec colimus nec optamus*, (Elmenhorſtius legit oramus,) *vos planè, qui ligneos* DEOS *conſecratis, cruces ligneas, ut Deorum veſtrorum partes, forſitan adoratis.*

VI. Sed & reliqua diſcutienda, &, ut cum Minutio loquamur, *conviciorum amariſſima labes verborum veracium flumine erit diluenda*; Fruſtra fuerunt, qui Chriſtianis irreverentiam, moroſitatem, & ſeditiones in Imperatoriam Majeſtatem objecerunt, vaniſſimâ conjecturâ multiplicationis, nocturnorum conventuum, ſacrificiorum averſationis: quantâ verò animi inclinatione fuerint in Imperatores, docet Juſtinus ſcribens: *precamur hoc, ut Reges & Principes ſimul cum regali poteſtate etiam* σώφρονα λογισμὸν *ſanam mentem conſequantur.* Tertullianus: *ſemper pro omnibus Imperatoribus precantes ſumus illis vitam prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, Exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunque hominis & Cæſaris vota ſunt*, Apol. c. 30. Euſebius teſtatur, *Licinium excludendo Chriſtianos ſe precibus illorum privâſſe.* Thyeſteæ epulæ, & concubitus nefandi, non Chriſtianorum fuerunt exercitia, ſed Carpocratianorum flagitia. Ita enim de illis Irenæus lib. 1. adverſus Hæreſes cap. 24. *Ipſi*, inquit, *ad detrectationem divini nominis & Eccleſiæ, quemadmodum & gentes, à Satana præmiſſi ſunt, uti ſecundum alium modum, quæ ſunt illorum, audientes homines, & putantes omnes nos tales eſſe, avertant aures ſuas à præconio veritatis: aut, ut videntes quæ ſunt illorum, omnes nos blaſphement, in nullo eis communicantes, neque in doctrinâ, neque in moribus, neque quotidiana converſatione.* Adde Menandri, Saturnini, Baſilidis & aliorum diſcipulos infames, quanquam aliqui hoc Objectum Chriſtianis merum figmentum eſſe cenſeant.

VII. Antiquitatem non vellicat Celſi procacitas: cùm Chriſtus non fuerit alius Meſſias, quàm qui ab exordio Mundi poſt lapſum promiſſus, à patriarchis expectatus, à Prophetis delineatus, à totâ Eccleſiâ conſtanti fide receptus, & profeſſione laudatus, per tot ſeculorum decurſus; & quamvis pro magno teſte vetuſtas credatur, non tamen illud Auguſtini negari poteſt de Civitate DEI lib. 21. cap. 6. *Antiquitatem recipere fabulas etiam fictas inconditè*, nec, ut Minutius loquitur, *ad errorem mutui debet rapi conſenſûs*, nec, ut

Lactan-

Lactantius obſervat, *conſiderarunt Gentiles, quales ſint religiones, quas ſibi à Majoribus ſuis traditas pertinaciſſimè tueri & defendere perſeverarunt, ſed ex hoc probatas, atque veras eſſe confiſi ſunt, quòd eas veteres tradiderint, tantaque fuit auctoritas vetuſtatis, ut inquirere in eam ſcelus eſſe creditum ſit.* Num, quia glandibus olim veſcebantur priſci, ſpernendum frumentum, quia novum? num aliquid tam antiquum, quod non aliquando novum? videatur Arnob. libi 2. qui, *Quod nobis objectare conſueſtis*, ſcribit, *novellam eſſe religionem noſtram, & ante dies natam propemodum paucos, neq; vos potuiſſe antiquam & patriam linquere, & in barbaros ritus peregrinosque traduci, ratione iſtud intenditur nulla. Quid enim, ſi hoc modo culpam velimus infligere prioribus illis atque antiquiſſimis ſeculis, quod inventis frugibus glandes ſpreverint, & repudiaverint arbuta? Quod corticibus contegi, & amiciri deſierint pellibus, poſtquam veſtis excogitata eſt textilis, uſu & commoditate ſuccinctior? aut quod ſtructis domibus, & lautioribus ſucceſſibus inſtitutis, non antiquas adamaverint caſulas, nec ſub rupibus & cavernis præoptaverint ut beluæ permanere? Commune eſt omnibus, & ab ipſis penè incunabulis traditum, bona malis anteferre, inutilibus utilia præponere, & quod eſſe conſtiterit pretioſius, lætius, id conſectari & petere; in eoq; defigere ſpem ſalutis, & ſalutarium commodorum.*

VIII. Efficaciam non minuit Cavillus de ſtoliditate & ſtupore; quis enim hoc de tantâ multitudine præſumat? Quis neſcit, quàm cordatè & generoſè ſæpius reſponderint rogati de fide, ducti ad tormenta? Quis Patrum Lumina & eruditionem non veneratur? num, quia Sophiſtarum non affectârunt minutias, aut Oratorum in foro colores, minoris ſunt cenſendi, quàm iſtiusmodi vanitatis Cymbala? nunquam veritas ſectata eſt fucum, nec, quod exploratum eſt, circumduci ſe patitur Orationis per ambitum longiorem. Optimè Origenes: *Imò*, inquit, *accedat vel doctus, vel ſapiens, vel prudens, quicunque vult. Sed nihilominus accedat etiam indoctus, & inſipiens, & rudis, & infans. Nam talibus, ſi acceſſerint, medicinam pollicetur verbum* Dei, *omnes reddens* Deo *idoneos. Falſum autem eſt & illud, ſolos fatuos, ignaros, inſenſatos, mancipia, mulierculas, pueros, captari à verbi divini prædicatoribus. Vocat quidem etiam hos prædicatio, ut meliores reddat; ſed vo-*

cat etiam multo his præſtantiores: quoniam Salvator eſt omnium hominum C*HRISTUS.* Τὸ μὲν οὖν ἀληθῶς πεπαιδεῦσθαι οὐ κακὸν, ὁδὸς γὰρ ἐπ' ἀρετήν ἐστιν ἡ παίδευσις, *eſt igitur res non mala eruditio vera, quippe quæ ad virtutem via.*

IX. Invincibilitatem non expugnat Pertinaciæ telum laudabili Conſtantiæ intortum. Quis credat, absque Spiritus impulſu *fideles ad martyria accurriſſe?* ut loquitur Cyprianus lib. 1. ep. 1. *excepiſſe tormenta quaſi in alienis corporibus* absque Numinis præſentiâ? ut teſtatur Euſebius lib. 7. cap. 9. per tot mortes creviſſe ſine ſingulari providentiâ? *Nullis,* inquit Sulpitius Severus, *unquam magis bellis mundus exhauſtus eſt, neq; majore triumpho vicimus, quam cùm decem annorum ſtragibus vinci non potuimus; viciſſent Tyranni, ſi quod quæſiverunt impetrâſſent:* dicti ſint *Sarmentitii* & *ſemaxii,* qui ad ſtipitem dimidii axis revincti Sarmentorum ambitu exurebantur; laudi duxerunt hæc flammæ pabula, honori illa viliſſimi generis nomina, *hic,* inquit Tertullianus in capite ultimo Apologetici, *eſt habitus victoriæ noſtræ, hæc palmata veſtis, tali curru triumphamus.*

X. Tandem propagationem admirandam, non per arma, & potentiæ humanæ robora, ſed per patientiam, quis non cum ſtupore veneretur? Calamitatum autem cauſæ non fuêre Chriſtiani, qui ita patiebantur, ſed qui inferebant. Optimè Tertullianus. *Oro vos, ante Tiberium i. e.* C*HRISTI adventum, quantæ clades orbem, & urbem ceciderunt? Legimus Hieropolin, Delon, & Rhodon, & Coon, inſulas multis cum millibus hominum peſſum abiiſſe. Memorat & Plato majorem Aſiæ & Africæ terram Atlanticô mari ereptam, ſed & mare Corinthium terræ motus bibiſſe, & vis undarum Lucaniam Italiæ abſciſſam in Siciliæ nomen religavit —— ubi verò tunc, non dicam* D*EORUM veſtrorum contemptores Chriſtiani? Sed ipſi* D*II veſtri, cum totum orbem cataclyſmus abolevit?——Nondum Judæum ab Ægyptô examen Palæſtina ſuſceperat, nec jam illic Chriſtianæ Sectæ origo conſederat, cum regiones ad fines ejus Sodoma & Gomorrha igneus imber exuſſit —— Semper & humana gens malè de* D*EÔ meruit, primò quidem ut inofficioſa ejus, quem, cum intelligeret ex parte, non requiſivit, ſed & alios inſuper ſibi commentata eſt, quos coleret; dehinc quod non inquirendo innocentiæ Magiſtrum, & nocentiæ judicem, & exactorem, omnibus vitiis, & criminibus inolevit —— Eundem ergò nunc quoq;*

ſcire debet iratum, quem & retrò ſemper, priusquam Chriſtiani nominarentur —— Et tamen, ſi priſtinas clades comparemus, leviora nunc accidunt, ex quô Chriſtianos à Deo *orbis accepit. Ex eô enim & innocentia ſeculi iniquitates temperavit, & deprecatores* Dei *eſſe cœperunt.* Graviter conſpirans Arnobius lib. 1. *Poſtquam eſſe nomen in terris Chriſtianæ religionis òccœpit, quidnam inuſitatum, quid incognitum, quid contra leges principaliter inſtitutas, aut ſenſit, aut paſſa eſt rerum ipſa, quæ dicitur appellaturq́; natura, numquid in contrarias qualitates prima illa elementa mutata ſunt, ex quibus res omnes conſenſum eſt eſſe concretas? Numquid machinæ hujus & molis, qua univerſi tegimur & continemur incluſi, parte eſt in aliqua relaxata aut diſſoluta conſtructio? Numquid vertigo hæc mundi, primigenii motus moderamen excedens, aut tardius repere, aut præcipiti cœpit volubilitate raptari? Numquid ab occiduis partibus attollere ſe aſtra, atq́ue in ortus fieri ſignorum cœpta eſt inclinatio? Numquid ipſe ſiderum Sol Princeps, cujus omnia luce veſtiuntur, atq́ue animantur calore, exarſit, intepuit, atq́ue in contrarios habitus moderaminis ſoliti temperamenta corrupit? Numquid Luna deſivit redintegrare ſe ipſam, atq́ue in veteres formas novellarum ſemper reſtitutione traducere? Numquid frigora, numquid calores, numquid tepores medii, inæqualium temporum confuſionibus occiderunt? Numquid longos habere dies bruma, & revocare tardiſſimas luces nox cœpit æſtatis? Numquid ſuas animas expiraverunt venti, emortuisq́ue flaminibus neq́; cœlum coarctatur in nubila, nec madori ex imbribus arva ſuccedunt? Commendata ſemina tellus recuſat accipere, aut frondeſcere arbores nolunt? Sapor frugibus eſculentis, & viteis liquoribus mutatus eſt? Olearum ex bacculis cruor teter exprimitur, nec lumini ſubminiſtratur extincto? Animalia terris ſueta, atq́ue in aquis degentia non eſuriunt, nec concipiunt? Fœtus non in uteris ſumptos ſuis moribus, & ſua lege cuſtodiunt? Ipſi homines deniq́ue, quos per inhabitabiles oras terræ ſparſit prima incipiensque nativitas, non matrimonia copulant nuptiarum ſolemnibus juſtis? Non dulciſſimas procreant liberorum ſtirpes? Non negocia publica, non privata, & familiares res agunt? Non, ut cuiſque libitum eſt, per diverſas artium diſciplinarumq́; rationes ingenia dirigunt, & ſtudioſæ referunt gnavitatis uſuras? Non regnant?*

Non

Non imperant, quibus ſors rerum attributa eſt talium? Non auctiores quotidiè dignitatibus, & poteſtatibus ſiunt? Judiciorum diſceptationibus præſunt? Leges interpretantur & jura? Nonne omnia cætera, quibus vita ſuccingitur & continetur humana, ſuis omnes in gentibus patriorum celebrant inſtitutionibus morum? Cum igitur hæc ita ſint, neque ulla irruperit novitas, quæ tenorem perpetuum rerum diſſociata continuatione diduxerit: quid eſt iſtud, quod dicitur, invectam eſſe labem terris, poſtquam religio Chriſtiana intulit ſe mundo, & veritatis abſconditæ ſacramenta patefecit? Sed peſtilentias, inquiunt, & ſiccitates, bella, frugum inopiam, locuſtas, mures, & grandines, resque alias noxias, quibus negocia incurſantur humana, D ii nobis important, injuriis veſtris atque offenſionibus exaſperati. Si in rebus perſpicuis, & nullam deſiderantibus defenſionem, non ſtoliditatis eſſet diutius immorari, oſtenderem profectò replicatis prioribus ſæculis, mala iſta, quæ dicitis, non eſſe incognita, non repentina: nec poſtquam gens noſtra felicitate donari hujus vocaminis meruit, irrupiſſe has labes, & infeſtari cœpiſſe diſcriminum varietate mortalia. Si enim nos ſumus in cauſa, & in noſtri criminis meritum excogitatæ ſunt hæ peſtes, unde novit antiquitas miſeriarum hæc nomina? Unde bellis ſignificatum dedit? Peſtilentiam, grandines, qua potuit ratione ſignare? aut inter ſuas voces, quibus oratio explicabatur, aſſumere? Nam ſi novella ſunt hæc mala, & ab recentibus ducunt offenſionibus cauſas, qui potuit fieri, ut eis rebus verba formaret, quas nec ipſa ſciebat expertam ſe eſſe, neque ullis comperiſſet majorum in temporibus factitatas? Penuria, inquiunt, frugum, & anguſtiæ frumentariæ arctius nos habent. Antiqua enim & vetuſtiſſima ſæcula neceſſitatis iſtius aliquando fuerunt expertia? Nonne ipſa nomina, quibus cenſentur hæc mala, teſtificantur & clamant, nullum ab his unquam immunem abiſſe mortalium? Quod ſi ad credendum difficilis res eſſet, teſtimoniis agere poſſemus auctorum, quantæ, quoties, & quæ gentes famem ſenſerint horridam, & aggerata interierint vaſtitate. Caſus frequentiſſimi grandinis accidunt, atque adierunt cuncta. In literis enim priſcis comprehenſum & compoſitum non videmus, etiam imbres ſaxeos totas ſæpè communiſſe regiones? Difficiles pluviæ ſata faciunt emori, & ſterilitatem inducunt terris.

XI. Supereſt, ut quicquid noſtris oppoſuerunt i. feliciter diſputantes, in ſinum illorum regeramus. Dicti ſunt Chriſtiani Athei, at qui magis ſine Deo, quam Gentiles, ἄθεοι dicti Paulo *Eph. 2. v. 12.* quis Diagoras Melius, Capaneus, Mezentius, Phlegias? Objecta illis veneratio aſini, at quæ non colunt animantia Ægyptii, quæ non alii populi? *Non negabitis,* inquit Tertullianus, *& jumenta omnia & totos Cantherios cum ſuâ Hipponâ coli a vobis, hoc forſitan improbandum, quod inter cultores omnium pecudum beſtiarumq́ tantùm Aſinarii ſumus* Apol. c. 16 adde illud ex libro 2 ad Nationes cap. 11. *Credatur* Deus *noſter aſinina perſona, certè negabitis vos eadem habere nobiſcum; ſanè vos totos aſinos colitis, & cum ſuâ Hipponâ, & omnia jumenta & pecora & beſtias, quæ perinde cum ſuis præſepibus conſecratis.* Solis cultus exprobratus fuit: At quis neſcit Perſarum Mithram? Unde Septimius Florens: *Ad Perſas ſi forte deputabimur, licet Solem non in Linteo depictum adoremus, habentes ipſum ubique in ſuo clypeo, plerique veſtrum affectatione aliquando cœleſtia adorandi ad Solis Ortum labia vibratis. Perſæ & Magi omnes*, ſcribit Julius Firmicus Maternus pag. 15 16. *qui Perſiæ regionis incolunt fines, ignem præferunt, & omnibus elementis putant debere præponi. Hi itaque Jovem in duas dividunt poteſtates, naturam ejus ad utriusque ſexus transferentes, & viri, & fœminæ, ſimulacra, ignis ſubſtantiam deputantes, & mulierem quidem triformi vultu conſtituunt, monſtroſis eam ſerpentibus illigantes. Quod ideò faciunt, ne ab autore ſuo Diabolo aliqua ratione diſſentiant: ſed ut* Dea *ſua ſerpentibus polluta, maculoſis Diaboli inſignibus adornetur. Virum vero abactorem boum colentes, ſacra ejus ad ignis transferunt poteſtatem. Sicut Propheta ejus nobis tradidit, dicens:* Μικταβο μυςάκυ ὁ κλοπῖνς σιύδετε πατρὸσ ἀγάυς. *Hunc Mithram dicunt. Sacra verò ejus in ſpeluncis abditis tradunt, ut ſemper obſcuro tenebrarum ſqualore demerſi, gratiam ſplendidi ac ſereni luminis non videant. O cœca numinis conſecratio! O nefariæ legis fugienda commenta!* Deum *eſſe credis, cujus de ſceleribus confiteris. Vos itaque, qui dicitis in his templis ritè ſacrificari non magorum ritu Perſico, cur hæc Perſarum ſacra laudatis.* Accuſati ſunt, adorare genitalia; ſed quibus Deus Mutunus, Prona & Pertunda Numina, niſi gentilibus? de quibus *Auguſtinus*, lib. 6. *de Civitate* Dei

cap.

cap. 9. qui quæſo φαλλικὸν ᾆσμα cantabant, Phallum oſtentabant, φαλλαγωγία ſeſe proſtituebant? Num non alieni à Chriſtianâ Religione? Unde Minutius Felix in Octavio paginâ mihi 32. *Iſta impudicitiæ eorum forſitan ſacra ſint, apud quos ſexus omnis membris omnibus proſtat, apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas: qui Scortorum licentiæ invident: qui medios viros lambunt &c. quos prius tædeſcit impudicitiæ ſuæ, quàm pudeſcit. Proh nefas! id in ſe peſſimi facinoris admittunt, quod nec ætas poteſt pati mollior, nec cogi ſervitus durior. Hæc & hujusmodi propudia nobis non licet nec audire, etiam pluribus turpe defendere eſt. Ea enim de caſtis fingitis & pudicis, quæ fieri non crederemus, niſi de vobis probaretis.* Cœli & Nubium Religio adſcripta fuit Chriſtianis; annon verò Cœlus Romanis Numen, Græcis Uranus? Unde Saturnus οὐρανίων quaſi Cœli filius: annon Ennius in Thyeſte? *Aſpice hoc ſublime candens, quem vocant omnes Jovem.* Themiſtius in Paraphraſi aſſerit, *Græcos cum Barbaris in eam exiſtimationem & animi Notionem perveniſſe, ut ſupremum eum locum, qui mundum ambit, corpusque quod in eo loco conſiſtit, glorioſo* D E O *attribuerint: quamobrem etiam inveniri eos verſus eum locum manus extollere, eo potiſſimum tempore, in quo preces effundunt, fateri etiam & æquum arbitrari, immortale eſſe Corpus ingenitumque, dignitatem enim, perfectionem, continuatamq; perpetuationem ad immortalitatem conſequi.* Serapis cultus non Chriſtianis ſed Ægyptiis convenit: Illi ſunt, qui veritatem mutarunt in mendacium, & creatum à vero D E O ad principalem dignitatem evexerunt, & in Deaſtrum transformârunt. Aperiat Arcanum Julius Firmicus, retorqueat commentum in ſuperſtitioſam Ægyptum, ita loquens paginâ mihi 41. 42. *Cum ingrueret areſcentibus frugibus malitioſa fames, Jacobi religioſi Patriarchæ ſemine procreatus juvenis Joſeph, interpretatusque ſomnium regis, totum, quicquid innuebat, oſtendit. Joſeph (eſt Jacobi filius) qui ob pudicitiam in carcerem miſſus, ereptus poſt interpretationem ſomnii, fuit particeps regni. Nam ſeptem annorum collectis & ſervatis frugibus, alterius ſeptennii egeſtatem divinæ manus providentiâ mitigavit. Huic poſt mortem Ægyptii patrio gentis ſuæ inſtituto templa fecerunt: &, ut juſtam diſpenſationis gratiam poſteritas diſceret, quo modio eſurientibus & ementibus frumenta diviſerat,*

capiti is ſuperpoſitus eſt. Nomen etiam, ut ſanctius coleretur, ex primo autore generis accepit. Nam quia Saræ pronepos fuerat, ex qua nonagenaria Abraham indulgentia D e i *ſuſceperat filium, Serapis dictus eſt græco ſermone, hoc eſt,* Σάῤῥας ἀπό. *Sed hoc invito Joſeph accidit, imò mortuo. Neq; enim ad hoc facinus religioſus animus, & D e o ſummo dicatus, adduci potuiſſet, ut erroris illecebras ex nomine ſuo ſuperſtitioſis hominibus ipſe præberet, præſertim cùm ſciret, hæc eſſe in D e i ſacroſanctis legibus, ne quis hominum tale aliquid aut veneraretur aut coleret. Hic in Ægypto colitur, hic adoratur, hujus ſimulachrum Neocororum turba cuſtodit, & ad memoriam vetuſtatis errans populus ordinem ſacrorum in honorem integerrimi ac prudentiſſimi hominis conſtitutum, contentioſa hodie animoſitate cuſtodit. Sed & in ipſo ſimulacro, ſicut in cæteris, ex aſſiduis ſacrificiis immundi dæmonum ſpiritus colliguntur. Nihil enim operantur animæ, & cruor ex aſſidua pecudum cæde profuſus, niſi ut dæmonum ſubſtantia, qui diaboli procreatione generantur, ex iſto ſanguine nutriatur.* Crucis Latria fuit impoſita Chriſtianis; verùm illa fuit potius paganorum ſcabies: *Vos*, inquit Minutius pagina mihi 33. *planè ligneos D e o s conſecratis, cruces ligneas ut Deorum veſtrorum partes forſitan adoratis. Nam & ſigna ipſa, & cantabra, & vexilla caſtrorum, quid aliud quàm inauratæ cruces ſunt & ornatæ? Trophæa veſtra victricia non tantùm ſimplicis crucis faciem, verùm & affixi hominis imitantur. Signum ſanè crucis naturaliter viſimus in navi, cùm velis tumentibus vehitur, cùm expanſis palmulis labitur, & cùm erigitur jugum, crucis ſignum eſt. Et cum homo porrectis manibus D e u m purâ mente veneratur. Ita ſigno crucis aut ratio naturalis innititur, aut veſtra religio formatur.* Adde illa Firmici. *In ſacris Phrygiis, quæ Matris D e û m dicunt, per annos ſingulos arbor pinea cæditur, & in media arbore ſimulachrum juvenis ſubligatur. In Iſiacis ſacris de pinea arbore cæditur truncus, hujus trunci media pars ſubtiliter excavatur, illis de ſegminibus factum idolum Oſiridis ſepelitur. In Proſerpinæ ſacris cæſa arbor in effigiem virginis formamque componitur, & cum intra civitatem fuerit illata, quadraginta noctibus plangitur, quadrageſima verò nocte comburitur. Sed & illa alia ligna, quæ dixi, ſimilis flamma conſumit; nam etiam poſt*

annum ipſorum lignorum rogum flamma depaſcitur. Erraſti miſer, & vehementer erraſti, nil tibi poterit ignis iſte prodeſſe, fruſtra tibi ex iſta flamma blandiris, hunc ignem commentis tuis ſemper renovans. Ignis, qui de facinoribus tuis exigit pœnas, perpetua tormentorum continuatione graſſatur. Divini ac liberantis ligni ordinem diſce, ut ſcias, nulla tibi poſſe ratione ſuccurri. De cataclyſmo humanum genus arca lignea liberavit. Deinde Abraham ligna unici filii humeris imponit. De Ægypto recedentem populum D E I *plebem lignea virga protexit. Lignum dulcem ſaporem amaræ myrrhæ fontibus reddit. Lignea virgâ ex ſpirituali petra ſalutaris unda profertur. Et, ut Amalech vinceretur, circa virgam Moyſes expanſis manibus extenditur. Scalæ ligneæ patriarcha incumbentem angelum ſomniat, & per eandem alios aſcendere, alios cernit deſcendere. Et lex* D E I *arcæ ligneæ creditur, ut his omnibus, quaſi per gradus quosdam, ad lignum crucis ſalus hominum perveniret.* Martyrum Cultores vocati ſunt Chriſtiani? Verùm quot hominum pagani, qui non ſuſtinuerunt ex Reverentiâ Numinis tormenta, ſed paſſi digna ſceleribus, divinis honoribus mactant. Dextre hîc Julius Firmicus: *Lugete mortuos veſtros & ipſi ſimili morte morituri.* Addatur Minutius ſcribens: *Homerus præcipuos bello Troico* D E O S *veſtros etſi ludos facit, tamen in hominum rebus & actibus miſcuit. Hic eorum paria compoſuit, ſauciavit Venerem, Martem vinxit, vulneravit, fugavit: Jovem narrat à Briareo liberatum, ne à diis ceteris ligaretur; & Sarpedonem filium, quoniam morti non poterat eripere, cruentis imbribus fleviſſe, & loro Veneris illectum, flagrantiùs, quàm in adulteras ſoleat, cùm Junone uxore concumbere. Alibi Hercules ſtercora egerit, & Apollo Admeto pecus paſcit. Laomedonti verò muros Neptunus inſtituit, nec mercedem operis infelix ſtructor accepit. Illic Jovis fulmen cum Æneæ armis in incude fabricatur: cùm cœlum & flammas veri fulminis nec Cyclops potuerit imitari, nec ipſe Jupiter non vereri. Quid loquar Martis & Veneris adulterium deprehenſum? & in Ganymedem Jovis ſtuprum cœlo conſecratum? Quæ omnia in hoc prodita, ut judiciis hominum quædam auctoritas pararetur. His atque hujusmodi figmentis & mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum; & hisdem fabulis inhærentes ad usque ſummæ ætatis robur adoleſcunt, & in iisdem opi-*

nionibus

nionibus miſeri conſeneſcunt: cùm ſit veritas obvia, ſed requirentibus. Saturnum enim principem hujus generis & examinis omnes ſcriptores vetuſtatis, Græci Romaniq́ue, hominem prodiderunt. Scit hoc Nepos & Caſſius in hiſtoria: & Thallus, ac Diodorus hoc loquuntur. Is itaq́ue Saturnus Cretâ profugus, Italiam metu filii ſævientis acceſſerat, & Jani ſuſceptus hoſpitio rudes illos homines & agreſtes multa docuit, ut Græculus & politus, litteras imprimere, nummos ſignare, inſtrumenta conficere. Itaq́ue latebram ſuam, quòd tutò latuiſſet, vocari maluit Latium; & urbem Saturniam de ſuo nomine, & Janiculum Janus, ad memoriam uterq́ue poſteritatis reliquerunt. Homo igitur utique, qui fugit, homo utiq́ue, qui latuit, & pater hominis, & natus ex homine: terræ enim & cœli filius, quòd apud Italos eſſet ignotis parentibus proditus: ut in hodiernum inopinato viſos, cœlo miſſos; ignobiles & ignotos, terræ filios nominamus. Ejus filius Jupiter Cretæ, excluſo parente, regnavit, illic obiit, illic filios habuit, adhuc antrum Jovis viſitur, & ſepulchrum ejus oſtenditur, & ipſis ſacris ſuis Humanitatis arguitur.

XII. Improbitas vitæ ſi ullibi regnavit, in gentiliſmo maximè, cùm nil niſi ſentina vitiorum fuerit, in quâ quicquid ſordidum, quicquid impurum, exundavit, & quidem ex ipſâ religionis indole, Deorum proluſione. Optimè Maternus, *Hic jam Evangelicæ Traditionis ſecreta tractemus. Ejecto dæmonio Dominus porcorum gregem donat. Nec immeritò, ut cum libidinoſis animalibus per dura præcipitia fluctusq́ue jactatus, per mortes porcorum varias, digna nece immundus ſpiritus carperetur. Audio Cinyram Cyprium templum amicæ meretrici donaſſe, ei erat Venus nomen. Initiaſſe etiam Cypriæ Veneri plurimos, & vanis conſecrationibus deputaſſe. Statuiſſe etiam, ut quicunq́ue initiari vellet, ſecreto Veneris ſibi tradito, aſſem in manum mercedis nomine Deæ daret. Quod ſecretum quale ſit, omnes taciti intelligere debemus, quia hoc ipſum propter turpitudinem manifeſtius non poſſumus. Bene amator Cinyras meretriciis legibus ſeruit, conſecratæ Veneri a ſacerdotibus ſuis ſtipem dari juſſit, ut ſcorto. Sebazium colentes Jovem anguem, cum initiantur, per ſinum ducunt. Adhuc primi erroris vitia graſſantur, & quicquid hominem perdidit, colitur, & funeſti anguis callida & malitioſa crudelitas adoratur.*

ratur. In ſacris Corybantum parricidium colitur. Nam unus frater à duobus interemptus eſt, & ne quod indicium necem fraternæ mortis aperiret, ſub radicibus Olympi montis à parricidis fratribus conſecratur. Hunc eundem Macedonum colit ſtulta perſuaſio. Hic eſt Cabirus, cui Theſſalonicenſes quondam cruento, cruentis manibus ſupplicabant. Conſiderandum itaque eſt, quale ſit numen, quod parricidalis amentia, ut parricidium coleret, invenit. Quapropter quicunq; hæc ſacra devota mente veneratur, cuicunq; placet ſuperſtitionis iſtius metuenda contagio, aut malis ſuis ſolatium quærit, aut facinora eorum tacita collaudat cogitatione, hoc optans, hoc quærens, hoc utique magnopere deſiderans, ut & ſibi liceat, quod Diis ſuis licuit, ut & ſe ad conſortium talis vitæ morum ſimilitudo perducat. Adulterio delectatur aliquis, Jovem reſpicit, & inde cupiditatis ſuæ fomenta conquirit, probat, imitatur, & laudat, quod Deus *ſuus in cygno fallit, in tauro rapit, ludit in ſatyro, &, ut liberalis in flagitiis eſſe conſueſcat, quod incluſam regiam virginem auro largiter fluente corruperit. Puerorum aliquis delectatur amplexibus, Ganymedem in ſinu Jovis quærat, Herculem videat Hylam impatienti amori quærentem, Hyacinthi deſiderio captum Apollinem diſcat. Chryſippum alius, alius Pelopen videat, ut per* Deos *ſuos ſibi licere ducat, quicquid hodie ſeveriſſimè Romanis legibus vindicatur. Adulteria omnia eorum enumerare difficile eſt. Quis Amymonem? quis Alopen? quis Chionem, Hippothoenque corrupit? Nempe* Deus *veſter hæc feciſſe memoratur. Ille, quem volunt ſeveris oraculis errantium hominum peccata corrigere, Steropen amat, Æthuſam rapit, Zeuxippen ſtuprat, quærit Prothoën, & Arſinoæ adultera cupiditate blanditur. Sed ex iſto corruptarum mulierum grege una puella amatorem* Deum *& vitavit & vicit. Daphnem enim divinans* Deus*, & futura prædicens, nec invenire potuit, nec ſtuprare. Muliebria patitur aliquis, & effœminato corpori ſolatium quærit? Videat Liberum amatori ſuo poſt mortem etiam promiſſæ libidinis præmia imitatione flagitioſi coitus repræſentantem. Si quis monſtroſo cupiditatis ardore in paternæ necis armatur exitium, à Jove ſumat exemplum. Qui fraternum deſiderat ſanguinem, Corybantum ſequatur inſtitutum, & inceſtum deſiderantibus à Jove ſumantur exempla; cum matre concubuit;*

buit; ſororem duxit uxorem; & ut integrum facinus impleret inceſti, filiam quoq; animo corruptoris aggreſſus eſt. Inferiores aliquis æmulo ſtridore perſequitur, & adverſarium cupit crudeli feritate torquere, ab Apolline ex Marſiæ caſibus crudelium tormentorum caſus diſcat. Alienum aliquis deſiderat, & hoc cum morte domini conatur implere, videat, ut Hercules occiſo Gerione Iberas abegerit boves. Si quis promiſcua hominum cæde gaudet, præpoſteras Martis cupiditates diligenter inſpiciat. Semina penè omnium ſcelerum à Diis ſuis peccantium turba collegit. Et ut perditus animus impune facinus poſſet admittere, ex præcedentibus facinorum exemplis majore ſe authoritate defendit. Si ſtupri præmia corruptor inquirit, ſi viam optat ſollicitationis addiſcere, in ſinu corruptæ mulieris aurum videat Jovis. Si publicus parricida commiſſam ſibi regni cuſtodiam nefaria prodere cupiditate deſiderat, reſpiciat ad eos, qui Saturnum filio prodiderunt. Quatenus jus lædatur hoſpitii, vel quatenus amicitiæ jura turbentur, vel quatenus menſæ conciliatio ſancta violetur. Si quis ad injuriam pronus quærit eſſe, ordinem ſcelerum de Tantali caſibus diſcat. O facinoroſæ cupiditatis triſte ſolatium! O hominum deflenda perſuaſio! O infelicis imitationis cruenta meditatio! Scenam de cœlo feciſtis, & errantes animos per abrupta præcipitia crudeli calamitate duxiſtis, cum hominibus peccare cupientibus facinorum via Deorum monſtratur exemplis. Qui quæſo contra στοργὴν naturalem exponere infantes à matre rubentes ſolebant? annon gentes? probante Ariſtotele libr. 7. polit. cap. 16. imò occidere auſi qui? niſi qui extra Eccleſiam? *Vos video*, inquit Minutius, *pronatos filios nunc feris & avibus exponere, nunc adſtrangulatos miſero mortis genere elidere; ſunt quæ in ipſis viſceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguunt, & parricidium faciunt, antequam pariant, & hæc utiq; de Deorum veſtrorum diſciplinâ deſcendunt, nam Saturnus filios ſuos non expoſuit, ſed voravit.* Rectè itaque Tatianus. *Apud nos non invenitur hominum voratio; falſi teſtes hoc crimine contra nos deprehenſi eſtis; apud vos autem Pelope Deorum epulis apponitur, & amatus Neptuno Puer: & Saturnus filios, & Jupiter Metin devorat.* Qui inceſtus, adulteria & quaſcunque commixtiones fœdas probârunt? num non gentiles,

In quibus & nato genitrix & nata parenti
Jungitur, & pietas geminato creſcit amore?

Jus, ait Minutius, *eſt apud Perſas, miſceri cum matribus. Ægyptiis, & Athenis cum ſororibus legitima connubia. Memoriæ & Tragœdiæ veſtræ inceſtis gloriantur, quas vos libenter & legitis & auditis: ſic & Deos colitis inceſtos, cum matre, cum filia, cum ſorore conjunctos. Meritò igitur inceſtum penes vos ſæpè deprehenditur, ſemper admittitur, etiam neſcientes miſeri poteſtis in illicita proruere, dum Venerem promiſcuè carpitis, dum paſſim liberos ſeritis, dum etiam domi natos alienæ miſericordiæ frequenter exponitis, neceſſe eſt in veſtros recurrere, in filios inerrare. Sic inceſti fabulam nectitis, etiam cùm conſcientiam non habetis.* Ubi paſſim recepta Polygamia? annon in Gentiliſmo? ubi contra jura matrimonii promiſcuus concubitus? annon apud Spartanos? ubi mollities & Sodomæi fructus, annon in Corintho?

XIII. Antiquitati Religionis paganicæ meritò opponimus novitatem ipſorum Deaſtrorum, de quâ Arnobius lib. 2. *Certo ergo à tempore* Deus *eſſe Jupiter cœpit, certo cultus & ſacrificia commereri, certo fratribus in poteſtatibus anteponi. Rurſus verò ſi Liber, Venus, Diana, Mercurius, Apollo, Hercules, Muſæ, Tyndaridæ Caſtores, ignipotensq; Vulcanus, Jove patre ſunt proditi, & genitore Saturnio procreati, ante quam Memoria, quàm Alcmena, Maja, Juno, Latona, Leda, Dione, tum & Semele Dieſpitri factæ ſunt compreſſionibus fœtæ, nuſquam & hi gentium, nec in antiqua parte rerum fuere naturæ, ſed ex conventu Jovis inſeminati & nati ſunt, & aliquem ſenſum ſui habere cœperunt. Et hi quoq; à tempore eſſe cœperunt certo, & in numero Numinum, ſacrorum ad cæremonias invocari.* Imò novitatem cultus & immutationem priſcorum rituum idem Afer illis reponit, graviter perorans. *In Albano antiquitus monte nullos alios licebat, quam nivei tauros immolare candoris. Nonne illum morem religionemq; mutaſtis, atq; ut rufulos liceret dari, Senatus conſtitutum ſanctione? Cum, Romulo Pompilioque regnantibus, percocta planè ac madida concremarentur Diis exta, nonne rege ſub Tullio ſemicruda cœpiſtis, & leviter animata porricere, priſca obſervatione contempta? Ante adventum in Italiam Herculis, cum ex Apollinis monitu patri Diti ac Saturno humanis capitibus ſupplicaretur, & hunc*

ſimiliter morem, non fraude callidula, & nominum ambiguitate mutaſtis? Cum igitur & vos ipſi modo illas leges fueritis ſequuti, multaque vel erroribus cognitis, vel animadverſione meliorum ſint à vobis repudiata, contemta; quid eſt à nobis factum contra ſenſum judiciumque commune, ſi majora & certiora delegimus, nec ſumus nos paſſi falſorum religionibus attineri? Sed novellum nomen eſt noſtrum, & ante dies paucos religio eſt nata, quam ſequimur.

XIV. Efficacia ab ipſis fuit affectata, ſed quæ retuſa Evangelii Luce: Etenim

Ex quo hominis DEUS induit artus,
Delphica damnatis tacuerunt ſortibus antra,
Non tripodes cortina tegit, non ſpumat anhelus
Fata Sibyllinis phanaticus edita Libris.
Perdidit inſanos mendax Dodona vapores,
Nec reſponſa refert Lybicis in ſyrtibus Ammon.

Clemens Alexandrinus in Parenæſi ad Gentes, cap. 3. *Silentio certè mandatus eſt fons Caſtalius, & alius fons Colophonius, & alia ſimiliter perierunt fluenta divinatoria.* Athanaſius de Incarnatione poſt medium: *Olim quidem ubique Delphica, Dodonæa, Bœotia, Lycia, Ægyptiaca, Cabyrorum, oracula impoſturis vaticiniorum ſcatebant, Pythica apud homines in admiratione erant; nunc, ex quo CHRISTUS ubiq; prædicatur, ejusmodi veſaniæ conquierunt, nec ſupereſt ullus fatidicus*; conſentanea apud eundem in vita S. Antonii Abbatis, cap. 17. Hieronymus lib. 12. in illud cap. 41. Iſaiæ; Probate, facite, &c. *Hoc autem ſignificat, quòd poſt adventum CHRISTI omnia idola conticuerint; ubi Apollo Delphicus, & Loxias, Deliusque, & Clarius, & cætera idola futurorum ſcientiam pollicentia, quæ Reges potentiſſimos deceperunt?* Theodoretus lib. 10. contra Græcorum affectiones, circa medium. *Poſtquam lux divinæ veritatis Orbi terrarum exorta eſt, cunctis ſpecubus, latibulisq; ſuis relictis, fugam arripuerunt. Nullæ itaque divinationes ad Caſtalias aquas, nullæ ad Colophonium fontem, nihil prædicit lebes ille Theſprotius, nihil tripus ille Cyrrhæus, Dodonæum Tintinnabulum nihil nugatur, nihil loquitur vulgatiſſima illa quercus, ſed tacet Jupiter Dodonæus, Colophonius Apollo, Delius, Pythius, Clarius, Dydimæus; ſilentium eſt in Lebadia, & in*

Trophonii antro, obmutuit & Ammonis oraculum; ceſſavit etiam illa Chaldæorum ac Tyrrhenorum per mortuos divinatio.

XV. Invincibilitas non nixa fuit ſtoliditate, ruditate, aut etiam pertinaciâ, nec calamitas compenſata fuit numeroſæ Sobolis Chriſtianæ ſegete. Optimè Minutius. *Nec de ultimâ ſtatim plebe conſiſtimus, ſi honores veſtros & purpuras recuſamus: nec factioſi ſumus, ſi omnes unum (bonum) ſapimus eâdem congregati quiete, quâ ſinguli. Nec in angulis garruli, ſi audire nos publicè aut erubeſcitis, aut timetis. Et quòd in dies noſtri numerus augetur, non eſt crimen erroris, ſed teſtimonium laudis. Nam in pulchro genere vivendi & perſtat & perſeverat ſuus, & accreſcit alienus. Sic nos deniquе non notaculo corporis, ut putatis, ſed innocentiæ ac modeſtiæ ſigno facilè dignoſcimus.* Rectè Tertullianus cap. 4. Apolog. *Vos igitur importuni rebus humanis, vos rei publicorum incommodorum, vos malorum illices ſemper, apud quos* DEUS *ſpernitur, ſtatuæ adorantur. Etenim credibilius haberi debet, eum iraſci, qui negligatur, quàm qui colatur.* Finimus in Verbis Firmici ad Imperatores: *Virtus evanuit, & per ſingulos dies ſubſtantia profanæ cupiditatis exſpirat.*

DISPUTATIO SEPTIMA

De

GENTILISMO,

THESIS I.

GEntiliſmus à gentibus dictus varia habet nomina in Scripturis; eminet vocabulum גוי quod quamvis notet quandoque populum DEI, electum ſemen, cœtum ſacrum Pſal. 33. ℣ſ. 12. Eſa. 26. ℣ſ. 2. & cap. 58 ℣ſ. 2. nec non Zephan. 2. ℣ſ. 9 q ia tamen non omnes gentes ſunt populus DEI, ideòque גוים ſæpius in ſacris paginis ſignificant gentes contradiſtinctas Eccleſiæ, Numer. 23. ℣ſ. 13. Eſa. 49. ℣ſ 6. græcum ἔθνος, Matth. 4. ℣ſ. 15. cap. 6. ℣ſ. 32. cap. 10. ℣ſ. 5. & derivatum ἐθνικός, Matth. 6. ℣ſ. 7. & cap. 18. ℣ſ. 17. Gens autem Latinis notat, obſervante Spie-

gelio, familiam, poſteritatem, ſucceſſionem univerſam, cùm ſit collectivum, & de brutis interdum dicitur: Maro de apibus:

—— Cùm gentis adultos
Educunt fœtus. —— ——

Inde gentile dicitur, quod eſt ex eâdem familia, & gentilitium, quod pertinet ad jus familiæ. Gentilitas autem propriè eſt multitudo ipſa, vel familiæ vel nationis alicujus, Authore Feſto: Gentiliſmus verò nobis hîc quidem deſignat Religionem inter Gentiles diffuſam.

II. Malunt alii vocem Paganiſmus, de quâ diſputant Eruditi, quibusdam illam deducentibus à Pagano Deucalionis & Pyrrhæ Filio, quem poſteri uti DEUM coluerint, & inde ſint denominati: quibusdam à fontibus, quos Græci πηγὰς, Dorici παγὰς vocant, ad quos maximè frequentata Gentilium Idololatria fuerit: quibusdam à pagis & rure ita, quòd arma Chriſtianæ militiæ non induerint, vel quòd, quia, cum emergente Chriſtianiſmo & devoluta Religione verâ etiam ad Imperatores, Templa Idolorum clauderentur, priſca Gentilitas ex urbibus pelleretur, & nihilominus in pagis adhuc hæſerint Gentiles, inde per contemptum pagani dicti; vel quod, cùm Chriſtiani Imperatores Terrarum Orbi præſiderent, & Eccleſiæ Chriſto ubique conderentur, ſimul cum appellationis cauſa appellatio quoque mutata fuerit, & pro nationibus, gentibus, Ethnicis, Pagani appellari cœperint, quippe non amplius terrarum orbem occupantes, ſed in anguſtum coarctati. & quaſi pagis tantùm quibusdam concluſi. Conſulantur *Baronius*, *Alciatus*, *Marquardus de Suſannis*, *Perottus*, *Georgius Fabricius*, *Adamus Theodorus Siberus*, *Deſiderius Heraldus*, *& alii*; & ſanè poſterior ſententia palmam præferre videtur; unde etiam *in Hiſtoriâ Prochori de vitâ Johannis Apoſtoli cap. 26. mulier ad templum Apollinis pergens, interrogata ab Apoſtolo, quæ, qualis eſſet, & quâ oriunda civitate, reſpondit de nullâ, ſed pagana mulier ego ſum, nunquam civitatem ingreſſa, niſi nunc.*

III. Mathias Bergius Vir doctiſſimus de origine & ratione hujus appellationis ita diſſerit: *Paganos Latini Patres vocant, quos Græci Chriſtiani usque à temporibus Apoſtolorum* ἀπίστους *appellarant. Quæri ergo poteſt de duob. I. Cur vocabulum & Apoſtolis & horum ſucceſſorib. placitum repudiarint? II. Cur ei prætulerint iſtud, Eccleſiæ inſuetum? Reſp. In relinquendo priore id*

viden-

videntur ſecuti, quod atrocioris eſt in Lat. Lingua ſignificationis nomen infidelis. Quocirca poterant ab illius uſu Chriſtiani apud Imperatores traduci, ceu maledici criminatores magiſtratuum & aliorum omnium, qui non eſſent ex ipſorum cœtu, cum illos vocarent infideles, velut injuria civili eos afficientes. Sic mihi de priore Zetemate videtur. Quod autem Paganos eosdem dixerunt, ideò factum puto, quia illud vocabulum mitius erat Romanis auribus, certè ſcelere carebat civili: neque proinde magnopere offendi poterant viri politici non Chriſtiani, cum ſic à Chriſtianis vocabantur, quaſi à militia Chriſtiana alieni, & eam defugientes. Interea apud Eccleſiæ filios ac cives nihil poterat dici atrocius, quam paganum eſſe, h. e. ἔξω τῆς θεοῦ πολιτείας, τῆς τοῦ Ἰσραήλ, καὶ τῆς ἐπουρανίου Ἱεροσολύμης, *quæ eſt Civitas* D E I, *extra quam non eſt ſalus.* Hactenus Bergius. Aliis tamen aliæ magis arriſerunt etymologiæ. Deſiderius Heraldus Vir doctiſs. Animadverſ. ad Arnob. Lib. 1. pag. 3 & 4. ſic cenſet, *Infideles omnes in Libb. Vet. Teſtament. appellari populos, Gojim. indeque in Apoſtolicis libris & Evangeliſtarum monumentis* ἔθνη: *nempe, quia præter populum* D E o *peculiarem Judææ terminis incluſum, & poſtea præter paucos fideles, gentes omnes aliæ & nationes, vero* D E o *ignorato, Idolis ſerviebant. Hinc igitur vet. Eccleſia appellationes illas retinuit; donec ruente idololatria, & Chriſtiana pietate longè lateque diffundente ſe, facies rerum mutari cœpta eſt. Tunc enim, cum Chriſtiani Impp. terrarum orbi præſiderent, & Eccleſiæ Chriſto ubique conderentur, contrà Idolorum templa clauderentur & everterentur; ſimul cum appellationis cauſa appellatio quoq; ipſa mutata eſt, & pro Nationibus, Gentibus, Ethnicis, Pagani appellari cœperunt, quippe non amplius terrarum orbem occupantes, ſed in auguſtum coarctati, & quaſi pagis tantùm quibusdam concluſi.* Ita Deſiderius: qui non dubitat, quin hæc vera appellationis ratio fuerit, repudians Card. Baronii aliorumque ſententiam, ut quæ à rei veritate paulò longius abſit, ſuam verò confirmat etiam eo, quod incognita fuerit appellatio iſta, (Paganorum,) antequam ad Chriſtianos Impp. imperium eſſet devolutum. Deinde & auctoritatem adducit Prudentii l. 1. contra Symmachum. *Sunt hæc barbaricis gentilia numina pagis. &c.* q. d. Dii illi veſtri, niſi in pagis quibusdam, non coluntur amplius, neque etiam apud gentes poli-

tas,

tas, & in imperio Rom. ſed tantùm apud Barbaras nationes, & quidem à paucis, & in pagis. Paulus Oroſius Paganos inde dictos vult, *quod à Civitate* D E I *alieni locorum agreſtium compitis & pagis oberrent*, quod etymon refert ac probat Cujacius in paratitl. C. de paganis. Hìc, Lector amice, Elige cui dicas, Tu mihi ſola places.

IV. Perplacet illud Viri amœnioris literaturæ amantiſſimi, Joh. Weitzii, ſcribentis: *Baronius in notis ad Martyrologium ſub. 31. Januarii pagina 89. Pagani à pagis dicti, pagique à fontibus: quòd eâdem aquâ uterentur. Aquas enim Doricâ linguâ* παγὰς *dictas eſſe, ſcribit Feſtus. Unde Perottus: Fons Græcè* παγὴ *dicitur: unde ſimul plures domus ruſticæ, hoc eſt, plures villæ, pagus vocatur; quòd circa fontes condi hujusmodi villæ conſueverint, Hinc Pagani dicti, quaſi eodem fonte potantes. Hæc ille. At verò poſtea uſu receptum eſt, ut non tantum in pago degentes à Gentilibus dicerentur Pagani; ſed & omnes, qui non eſſent adſcripti militiæ: atque in Paganico eſſe dicerentur, qui nondum inter milites cenſiti eſſent; ut conſtat ex l. 1. C. de militari teſtamento, & aliis. Ita Tertullian. lib. de coronâ Militis ait; Chriſtianum hominem militiæ adſcriptum eadem pro* C H R I S T I *nomine præſtare debere, quæ fides pagana condixit. q. d. Eadem eſt lex Chriſtiani hominis militantis cum illâ, quæ fuerat illi præſcripta, cum adhuc paganus. Quod autem Pagani poſtea appellati ſunt & ii, qui non ſunt Chriſtiani, ſed Gentiles: non antiqua, ſed recens fuit ea vocis ſignificatio. Auguſtin. lib. 2. retract. c. 43. Deorum falſorum cultores, uſitato nomine Paganos vocamus. Unde autem Pagani appellati ſint cultores idolorum, varii varia tradunt: Philaſtrius lib. de hæreſib. c. 3. Iſidor. orig. 8. Beda in Cantic. lib. 6. c. 30. & in Marcum c. 15. in Luc. l. 6. c. 23. & homil. in feriam tertiam Palmarum. Opinor autem, à temporibus Chriſtianorum Impp. eam vocem in eam tranſiiſſe ſignificationem, ut Pagani dicerentur Gentiles, ea nimirum ex cauſâ, quòd legibus Imperatorum, clauſis idolorum delubris, ſacriſq; vetitis, Gentiles ſic ſuâ ipſorum ſuperſtitione excluſi, Pagos adirent, illicque ſuos* D E O S *colerent, ac clandeſtina ſacra peragerent. In pagis enim & villis illorum ſuperſtitionis cultum fuiſſe frequentem, docet Cicero 2. de LL. Erant enim illic celebria feſta, Paganalia dicta, feriæque Paganicæ, quorum meminit Varro lib. 5. de Lat. linguâ. Unumquemq;*

quemq́; Gentilium in ſuo agro habuiſſe partem aliquem Diis ſacratam, in quâ eos colerent, auctor eſt Cenſor. n. lib. de natali die c. 1. In hanc ſententiam Romanus Martyr ita h. l. ait: Non erubeſcis, &c. Idemq́; adverſus Symmach. lib. 1. in fine hæc habet:

Nec pago implicitos per debita culmina mundi
Ire viros prohibet.

Sicq́; pago deditos, pagoq́; implicitos, Gentiles ipſos vocat. Usq́; enim ad tempora Honorii Imp. quæ erat in pagis, idololatria adhuc reſidua fuiſſe videtur. Unde D. Auguſtin. ſerm. 6. de Verbis Dom. hæc de idolis: Multi Pagani habent iſtas abominationes in fundis ſuis. Nunquid accedimus, & confringimus? prius enim agimus, ut idola in ipſorum cordibus confringamus, &c. Sicque ex his omnibus jure dici poſſe videtur, Paganos Gentiles homines ſic à pago eſſe dictos, quod, excluſi civitatibus, in pagis adhuc idola colerent.

V. In capitul. Caroli Magni, *pagenſis* dicitur pro pagano, & *paganias celebrare* pro gentilium ritu agere lib. 5. cap. 2. atque mandatur, *ut populus* DEI *paganias non faciat, ſed ut omnes ſpurcitias gentilitatis abjiciat, & rejiciat ſive profana ſacrificia mortuorum, ſive ſortilegos vel divinos, ſive phylacteria, ſive auguria, ſive incantationes, ſive hoſtias immolatitias, quas ſtulti homines juxta Eccleſias ritu pagano faciunt, ſub nomine Sanctorum Martyrum vel Confeſſorum,* DEUM *& ſanctos ſuos ad iracundiam provocantes, ſive illos ſacrilegos ignes, quos ne fratres vocant, ſive omnes, quæcunque ſunt paganorum obſervationes, diligenter prohibeant.*

VI. Ut autem Gentiliſmus nobis hic non notat cœtum profitentium Religionem, ita Paganiſmus quoque nobis non notat illam hominum colluviem, quæ Deaſtris adhæſit & paganalia ſua retinuit, ſed Religionem paganam, inde appellatam, ſecundum Salmaſium in Epiſtola ad Serrarium, *quod in pagis adhuc perſeveraret, cùm ab Urbibus jam eſſet exterminata.* Non tamen diſſimulandum, ſi utramque ſpectemus vocem, non exactè congruere illas vel cœtui extraneo, vel Religioni exprimendæ Gentilium, cùm prior videatur eſſe laxior, hæc autem juſto ſtrictior, & temporibus demum Conſtantini enata, atque de illis maximè, qui Romanæ Superſtitioni adhuc dediti, uſurpata: inde etiam Scriptura Gentiles profundius

Q

fundius circumſcribit per *gentem ſtultam*, Rom. 10. ỷſ. 19. per *gentes, quas non agnovit* D e u s, *& quæ illum non agnoverunt, & non de illius Nomine propterea appellatæ*, Eſai. 55. ỷſ. 5. 1. Theſs. 4. ỷſ. 5. Eſai. 65. *Gentes Mundi, gentes in carne, gentes ad Idola abreptæ*, Luc. 12. ỷſ. 30. Eph. 2. ỷſ. 11. 1. Cor. 12. ỷſ. 2.

VII. Deſcribi verò poteſt Gentiliſmus, quod ſit hominum extra Eccleſiam conſtitutorum per Apoſtaſiam Opinio de D e o, ejusque cultu, adverſa Verbo revelato

VIII. Dicitur *Opinio*, nihil enim certi in Religione illâ, non nititur aliquo fundamento, ſed cordis humani poſt lapſum corruptiſſimi fœtus & proles eſt; non gaudet Luce, ſed tenebrarum quoddam Chaos eſt, ut Apoſtolus docet, Eph. 4. ỷſ. 18 Opinio autem eſt illorum Hominum, *qui extra Eccleſiam*, quod commune habent Gentiles cum Judæis & Mahumedanis, unde dicuntur οἱ ἔξω. 1. Corinth. 5. ỷſ. 12. 13. & quidem *per Apoſtaſian* ſive defectionem conſummatam *à vero* D e o *ejusq; cultu*, quæ defectio conſiſtit tum in titulo, tum in ſpecie externâ, tum in corpore integræ doctrinæ: & per primum diſtinguuntur gentiles ab illis, qui licet, etiam defecerint à D e o ejusque cultu internè, tamen adhuc Chriſtiani ſalutari volunt, & ſub hoc titulo ſibi conſulunt, cæteris imponunt. Per alterum diſtinguntur ab illis, qui ſpeciem quandam adhuc præ ſe ferunt alicujus Religionis à D e o præſcriptæ, Scripturam aliquâ ex parte admittunt, atque μόρφωσιν εὐσεβείας, *Typum pietatis*, verbum ſc. non ſimpliciter repudiant, & ad aliqua in illo revelata & mandata ſe accommodant, quales Samaritæ, Judæi, Mahumedani. Per tertium denique diſtinguuntur ab illis, qui adhuc in viâ ad Gentiliſmum, aliquas adhuc Religionis priſcæ retinent ſtricturas, & cum tenebris luctantur, ut tamen in illas propendeant, quales primi Apoſtatæ in familiis Patriarcharum: Dicitur præterea hæc Apoſtaſia eſſe defectio *à vero* D e o, quia nullus, niſi in Eſſentia unus, in perſonis Trinus: *& illius cultu*, qui maximè conſiſtit in fide, quæ Meſſiam reſpicit: *adverſa verbo revelato*, in quo D e u s oſtenditur verus, in quo vera colendi ratio præſcribitur. Et hæc quidem poſtrema definitionis verba maximè ſtabilit Paulus, cùm dicit Epheſiis: *Mementote, quod vos quondam gentes in carne, præputium ab ea, quæ dicebatur circumciſio in carne manufacta, quod fuiſtis illo tempore absque* C h r i s t o, *alieni à politia Iſraëlis, & peregrini*

regrini à Teſtamentis promiſſionis, ſpem non habentes, & ἄθεοι in mundo. Eph. 2. ℣ſ. 11. 12.

IX. Cauſa Gentiliſmi, præter corruptionem hominis, fuit propenſio in alium ſive alios extra DEUM verum Deaſtros, inſtigante Diabolo & ſeducente inſtabiles: nec incommodè ſtatuitur, cœpiſſe illum in Caino & ejus poſteritate, ſeceſſit enim ille à facie Domini, &, ut quidam volunt, Adamo ad Occidentem ſe convertente, Orientis terras, Moabitidem, Ammonitidem, & Regionem Baſan, elegit, atque ſe cum ſuis à cœtu fidelium ſeparavit. Unde etiam poſteri ipſius alio nomine veniunt, & filiis DEI contradiſtinguuntur, Gen. 6. ℣ſ. 1. 2. Poſt diluvium cœpit familia Noachidarum ſenſim delabi ad tenebras, Japeti genere verum DEUM deſerente, Chami progenie ad atri Spiritus cultum deviante, imò ne Semi quidem poſteritate tota vero DEI in cultu perſeverante, ut colligitur ex Genealogiâ populorum, de qua Gen. 10 ℣ſ. 2. 3. & ſeqq. Tempore poſtea Abrahami extitit Terach Pater illius, qui ſerviebat Diis alienis, &, ut quidam volunt, imaginibus, quarum plaſtes Joſuæ 24. ℣ſ. 2. Laban ſuos habebat Teraphim, ſive *imagines, ad certum ſtellarum poſitum factas, cum illarum figuris,* ut Eruditi conjiciunt; & ſequentibus ſeculis non tantùm Chaldæa, ſed & Ægyptus, abundavit Idolis, ut etiam Mercurius Triſmegiſtus ſimulacrorum ortum ad priſcos retulerit Majores; videatur locus Exod. 14. ℣ſ. 1. 2. nec non Auguſt. de Civit. DEI cap. 24. Ipſi Iſraëlitæ non immunes fuerunt à labe hâc, ut conſtat ex Exod. 32. ℣ſ. 4. Amos 5. ℣ſ. 25. Actor. 7. ℣ſ. 41. & cùm jam occupaſſent terram ſanctam, à circumjacentibus populis ſæpius ad Idololatriam & Gentiliſmi ſemina fuerunt à vero DEO abducti; inprimis Regnum Iſraëlitarum ſceptro verbi excuſſo ſeſe ſubmiſit vicinorum Gentilium Deaſtris. Effulgente tandem Evangelii Luce, & totum Orbem permeante, Gentiliſmus tamen non penitus fuit peſſundatus, & ingratitudine laceſſitus DEUS permiſit eundem denuò, candelabro moto, emergere & caput attollere, ut Orbis miratus fuerit, ſeſe factum iterum ethnicum, & ad ſordes priſtinas relapſum.

X. Objectum Gentiliſmi eſt DEUS ἀόριςος, vagum quoddam Numen, adeòque DEUS non DEUS, & quanquam, qui volebant eſſe emunctioris naris, non æra, non lapides, adorabant, ſed illos, quibus dedicati erant, vel Numen quoddam extra imaginum Circum infinitum, ſummè bonum, potentiſſimum, adeòque, ut ipſi loquebantur,

tur, Deum Opt. Max. tamen ille Deus nil fuit, niſi phaſma noct s, conceptus aliquis fictus citra veritatem objectivè illi reſpondentem, & revera nihil aliud, niſi idolum cordis: unde rectè à Paulo Gentiles quoque dicti ἄθεοι Eph. 2. ℣ſ. 12.

XI. Forma conſtitit *in Opinione quâdam Cultus confictí*, qui in varios modos & ſpecies ſe diffudit: actus complexus fuit internos Intellectûs de Dei Eſſentia, attributis & operationibus: voluntatis, qui venerationem & ſubmiſſionem quandam deſignabant: Externos Oris & locomotivæ, proſtrationis, adorationis, declarationis, ſacrificationis, conſecrationis, exornationis, proceſſionis, peregrinationis, & ſimilium.

XII. Poteſt autem dividi Gentiliſmus vel ratione Authorum, de quibus obſcura in quibusdam, in aliis nulla ferè veſtigia; vel ratione partium Orbis, quas occupavit, vel ratione temporis & populorum. Primi cenſentur fuiſſe Chaldæi, Haranæi, Sabæi vel Sabii, à quibusdam ad Arabum claſſem relati, quanquam Abrahami tempore Incolæ fuerint Charran ſeu Meſopotamiæ, teſte *Keſſæo*, qui ante Abrahamum alieno Deo litarunt, in quorum quoque fide, teſte *Maimonide*, Patriarcha ille fuit educatus: aſtris cultum detulerunt, & inter illa Solem & Lunam cæteris prætulerunt, illi aureas, huic verò argenteas Tilſometh ſive *imagines* erexerunt. Confunduntur hi à quam plurimis, *Maimonide*, *Gregorio Abulpharaio* p. m. 184. Claudius Salmaſius voluit, *Sabios fuiſſe genus quoddam Mathematicorum:* cùm tamen videatur potius, Chaldæi nomen eſſe artis & profeſſionis Indicium, Sabiorum verò Religionis; coluiſſe etiam ſolas ſtellas, meritò in dubium vocatur. Author quis fuerit, nondum conſtat. quidam opinantur, *illos dictos ab aliquo filio Enoſi, quem ipſi attingebant, cui nomen Sabi: Patricides & Elmacinus* referunt *tempore Terachi filii Serug extitiſſe Perſam quendam, nomine Zurodaſt, qui Author fuerit Religionis Zabæorum, alios tamen velle Sabæorum Religionem manifeſtaſſe Regem quendam Perſarum, cui Nomen Tachurith, alios verò dicere, Sabæorum Religionem produxiſſe virum, cui nomen Juvan aut Javan, filium Barklai, vel Markolis, qui primò aſtrorum ſcientiam invenerit.* Num Jobus ad hanc Religionem reſpexerit proteſtando, cùm dixit cap. 31. ℣ſ. 26. 27. *Si adſpexi Solem, cùm ſplendeſceret, aut Lunam, clarè incedentem:* in medio relinquimus, ut &, num Cing ri,

quos

quos quidam volunt à Cuthæis deducere, ſint propago Sabiorum. Hoc aliàs ex Hiſtoriâ conſtat: invaluiſſe etiam apud Babylonios, præter cultum Aſtrorum, hominum venerationem defunctorum.

XIII. Sequuntur Ægyptii, qui inter primos referuntur Idololatras, & crediidiſſe feruntur, *omnia ex limo originem duxiſſe, calore Solis & Syderum influxu excocto & probè præparato.* Coluerunt primum Solem & Lunam ſub nominibus *Oſiridis & Iſidis, duos* DEOS *eſſe* dicentes, *eosque æternos*, ſecundum Diodorum Siculum; quanquam ſint, qui *Joſephum ſub nomine Serapidis ac Oſiridis cultum fuiſſe* ſtatuant, ducti conjectura nominis Serapis, quod *Bovem* notat, Arſaph, *quo*, teſte Plutarcho, *Oſiris vocabatur*, levi commutatione, ex Joſeph factâ: nec non Hieroglyphicis, quibus Oſiridem deſignabant, figurâ ſive bovis, ſive vituli, notis Lunæ & Solis inſigniti: item Juvenis imberbis, cum modio & calatho in capite. Non ſubſtiterunt autem in aſtrorum etiam reliquorum cultu, ſed & alia inferiora ex animantibus, piſces, ovem, lupum, canem, hircum, crocodilum, Ichneumonem: & plantis, porrum & cæpe, &, quod pudendum, phallum, cultu ſacro proſequuti ſunt, teſtibus *Diodoro Siculo, Clemente Alexandrino, Plutarcho, Herodoto, Euſebio, Strabone, Cœlio Rhodiginio*, ut *Tacitus* etiam ſcripſerit: *Ægyptii pleraque animalia, effigiesq; compoſitas, venerantur.*

XIV. Syris & vicinis *Baalzebub* erat DEUS, Dominus Muſcarum, de quo diſceptant Eruditi, num Jupiter, an Priapus, an Summanus; *Baalphegor, Baal-Samen, Baal-Berith, Dagon*, quem quidam DEUM frumenti, quidam piſcium dicunt, ſoliciti enim fuerunt, *nè violent timidi piſcibus ora Syri. Aſtaroth*, quæ forſan Luna, *Adramelechet, Anamelech, Remphan*, qui, ut recentiores volunt, Saturnus; *Chamos, Milcom, Niſroch, Moloch, Thamus*, de quibus legatur Seldenus in erudito opere de Diis Syris, & Grotius in 2. Reg. 17. ſcribens: *Templum Hieropolitanum habebat Jovis imaginem ſuperſtructam Bovibus, & Junonis Leonibus, Apollinem Barbatum, qui reſponſa dabat, Miniſtros trecentos, Sacerdotes caſtratos, in albis veſtibus cum Pontifice purpurato, nec deerant Phalli, feſta celebrabantur varia, inter quæ maximum ignis, ſacrificia erant ſtata & ſolennia, Juvenes partim virilia exſcindebant, partim capillos detonſos offerebant: peregrini huc ſe conferentes, ad Deos & ad præſcriptos Ritus fuerunt adſtricti, de quibus Lucianus in* DEA *Syra.*

XV. Vicina erat Religio Phœnicum, in cultu piſcium, & oblatione aureorum & argenteorum, Superſtitioni Syrorum, qui inſuper quotannis Saturno infantes immolabant, virgines Juvenculas ante connubia in honorem Veneris proſtituebant, catamitos fovebant, Adonidem plangebant, Aſtarten ſub imagine ovis colebant, docente *Diodoro Siculo*, *Plinio*, *Athenæo*, & ex noſtris *Euſebio*.

XVI. Arabes håbuerunt DEAS quasdam præter DEUM, quæ in Alkorano adducuntur. *Allath*, *Alloza* & *Menath*, quarum prima Lucifer ſive Venus: *Alozza* Arbor Gatiphæorum, quam venerabantur: *Menath*, Lapis Hadilæorum & Chazaitarum: quibus acceſſerunt *Vedda*, quem repræſentarunt ſub figurâ Viri, *Sevaha*, formâ mulieris, *Jagath* Leonis, *Jauk* Equi, *Nazar* Aquilæ, ut volunt *Keſſæus* & *Beidavi*. Nabathæi, qui Petræam incoluerunt, adorarunt Solem & Lunam, Cinnamomo & Thure venerantur Cœli Lumen, *Obodem* Regem, quem in numerum Deorum retulerunt, deprædicant, Sacerdotes alunt, penes quos ſumma rerum in politicis & Eccleſiaſticis, circumciſionem obſervant, Templum in Panchæâ ſplendididiſſimum & imaginibus probè ornatum religioſè adeunt, mures execrantur, tanquam Hoſtes Deorum, quos colunt. Videatur *Tertullianus in Apologetico*, *Solinus*, *Athenæus*, & ex modernis *Eduardus Pocoquius ad Abulfarajum*.

XVII. Perſæ Solem, qui ipſis *Mithra*, ſibi legerunt in materiam Cultus, Ignem fovent aridis vel etiam pinguedine, in illius honorem Equos albos eidem vel conſecrant, vel etiam mactant, præter Solem verò tanquam Principem DEUM, aliis etiam inferioris Orbis venerationem exhibent. Scytæ *Martem* prætulerunt, aliis tamen non penitus neglectis, ſub imagine Enſis, quem ſanguine brutorum & hominum quotannis conſpergere ſolebant. Tartari Cœlum & Elementa primitiis ciborum oblatis venerantur, DEO vero, quem ſuperiorem illis agnoſcunt, neglecto: quorum tamen, cùm latitudo terræ plures foveat populos, non una eademque de DEO ejusque cultu eſt Opinio. Polo vicini in novâ Zemblâ alternant in cultu Solis & Lunæ, & ad polarem ſtellam religioſè reſpiciunt, ac, ut ad tenebras videntur damnati, ita Spiritui tenebrarum maximè adhærent, dediti Magiæ. Chinenſes, qui gloriantur de *binario oculorum*, cœci ſunt in Religione. præter Solem enim, Lunam, & aſtra reliqua, in ſummâ veneratione habetur *Confugtius*, *Xequia* & *Tanzu*;

imò

imò ipſum Diabolum, ne noceat, adorant. *Mandarini* magnâ pollent authoritate, nec negari poteſt, eſſe illis egregia morum præcepta, interim ſuperſtitio omnia contaminat, unde tanta Augurum, Aſtrologorum, Phyſiognomorum, & Chiromantarum ſeges, tot Imaginum deformitates, ut *Gonzales de Mendoza* referat, *vel in uno Templo ultra centena Idola conſpici*, quanquam inter ipſos Sinenſes Firmeſanos, Cereanos, diverſæ ut opiniones regnant, ita Sectæ etiam inveniantur diſſidentes. Indi ob ſummam Barbariem *medii inter homines & Beſtias judicantur*, teſte Maimonide, Solem ſuſpiciunt, peculiares olim habuerunt DEOS, Gangen & Arbores magnifaciebant, domiti ab Alexandro, Jovem, Junonem, Neptunum, & Berecynthiam recipiebant. Peguani quamplurimos admittunt DEOS, & mundos ſibi invicem ſuccedentes, Diabolo ſupplicant, altaria extruunt, cibos offerunt. Bengalenſes toti in Gangen procumbunt, ex cujus potu ſibi cœleſtem Beatitudinem pollicentur, nec aliis etiam Idolis cultum deferre verentur. Magoræi DEUM ſibi fingunt in variis iisque monſtroſis imaginibus, piſcium, & reliquorum animantium. Cambajani ſive Guzuratenſes in tres aut quatuor ſectas principales dividuntur, ſecundum *Texeiram*, quarum prima *Lonkah* unum agnoſcit DEUM Principium omnium, altera *Mexerii* varia habet Idola, quæ colit, tertia dicta *Baman*, quæ cum prima aliquatenus convenit. Regnum Deca ſive Goa, ut varios fovet homines, ita quoque Religiones, qui tamen Gentiles, illis DEUS unus & ſummus, & præter illum Sol, Luna, nec non Idola deterrima effigie, figurâ monſtroſiſſima, ſub quâ quandoque Diabolus apparet & loquitur. Illud inſignis ſtultitiæ argumentum, quòd illud adorent, quod primum occurrit, ſive ſit aſinus, ſive anſer, ſive aliud quoddam animal. Calecutenſes in Regno Malabar Templum habent ſplendidiſſimum, non tantùm agnoſcunt DEUM, ſed & Diaboli coronati figuram flammantibus oculis, rictu horrendo, cornibus quatuor ornatam, religiosè venerantur. Narſingani ſerpentibus, & in illis ſe Diabolo ſubmittunt. Coromandelii *Gangam* & *Gourmatam* Dæmonas annuâ ſolennitate & hircorum immolatione proſequuntur. Japones imaginem trifacialem, quæ Solem, Lunam, & Elementarem Mundum repræſentat, adorant. In Philippinis Inſulis qui Gentiles, Soli, Lunæ & aſtris procumbunt, immerſi tenebris Magiæ. Qui in Sumatra & Zeilan degunt, DEUM quidem agnoſcunt, omnium

rerum

rerum creatorem, ſed unà colunt inferiores, quibus curam commiſerit ſupremus inferiorum, inprimis autem Elephantem & Simios albos. Conſulendi hîc ſunt *Diodorus Siculus*, *Solinus*, *Athenæus*, *Plinius*, *Pauſanias*, *Herodotus*, *Clemens Alexandrinus*, *Tertullianus*, *Paulus Venetus*, *Wilhelm Rubruguir*, *Richardus*, *Janſens*, *Boterus*, *Ortelius*, *Maffæus*, *Martini*, *Alexander ab Alexandro*, *Linſchoten*, *Varenius*, *Nuneſius*, *Moginus*, *Purchas*, *Caſtaneda*, *Vertomannus Pigaſetta*, *Emanuel Nobrega*, & alii.

XVIII. In Africa, Fezæ & Marroci Regnum ſi prætereas, in Guinea invenies Gentiles, qui DEUM blaſphemant, ſi non ille Diabolus, ut quidam opinantur: Avem adorant quandam, ſtellulis inſignitam, venerantur arbores, piſcem nomine *Tonym* magnifaciunt, & cum circulis ſtramineis ludunt; Æthiopum quidam Solem, Lunam & Mundum colunt, & juxta immortales hos DEOS Jovem, Pana, Herculem. In Monomatapa Lunæ favent. In Angola & Congo Deos ligneos amant & Magiam, Idola habent animalium, arborum, plantarum, quanquam, qui in Congo, ad fidem Chriſtianam ſuperiori ſeculo fuerint converſi, in Loange tamen, parte Regni verſus Septentrionem, adhuc ſuas foveant imagines, imò ipſum Diabolum; Inveniuntur etiam in Socotera, Madagaſcar, gentiles adhuc, qui Idolis ſuis, utut habeant præſentes non tantùm Muhametanos, ſed & Chriſtianos, adhærent. Legendi ſunt in hanc Materiam *Boterus*, *Emanuel à Coſtâ*, *Purchas*, *Lopez*, *Maffæus*, *Oſorius*, *Barros*, *Damianus à Goës*, *Alvarez*, *Sardus*, *Leo*, & alii.

XIX. Americanis ante adventum Hiſpanorum Sol & Luna in veneratione. In Nova Francia Diabolus illis DEUS, & Magiæ ſtudium præcipuum ἔργον. In Virginia DEOS ſibi faciunt, quos appellant *Mantoac*, ac ordinem etiam inter DEOS conſtituunt, & inferiores omnes formam habere humanam, credunt. Floridani, qui ad mare habitant, Solem venerantur, & pellem cervinam herbis exornatam ſingulis annis offerunt. Intra continentem DEUM quendam, *Aguar* dictum, tanquam Cæli Incolam & pluviæ Patrem, adorant. Cibelenſes aquam cum aliis quibusdam inſtar Numinum habent. In nova Hiſpania, & maximè in Mexico, duo ſunt præcipui Deaſtri, *Vitzilopuzli* & *Tezcatlipuca* Fratres, quorum unus præeſt rebus curandis, alter bello gerendo, imò Diabolus ipſe horribili in ſpecie, quem humanis victimis placare ſtudent. Jucatanenſibus ſunt

Dii, ſimiles laribus privatis præter Solem. qui in Meridionali America Darienem inhabitant, unum DEUM, & cum illo Solem & Lunam, nec non Diabolum, variis in formis venerantur, qui in Paria & Guiana, & ad flumen Debaiba, æquè Diabolo litant; Marashawaccæ Idolo ſaxeo ſe proſternunt, repræſentanti hominem, divaricatis genubus ſedentem ſuper calceos, ſive palmis explicitis, atque hiante ore. Braſſilienſes DEUM *Tupar* vocant, Diabolum valdè metuunt, Magos fovent, certa feſta celebrant. Chilenſes jurant per Dæmonium, quod *Eponamen* vocant. Peruviani colunt *Pachamac*, Creatorem omnium cum Sole & Lunâ; quibus conſimiles in cultu iſtorum ſyderum incolæ Hiſpaniolæ, adduntque illis *Zemes*, Idola, per quæ Diabolus reſpondet. De quo videri poſſunt *Purchas, Joſephus Acoſta, Lopes & Gomara, Cieza, Maffæus, Ynca, Garcillaſſo de la Voga.*

XX. In Europâ occurrunt Græci veteres, qui multa ab Ægyptiis hauſerunt. His Dii erant Jupiter, Saturnus, Bacchus, Apollo, Mars, Minerva, Venus, Juno, Ceres, Mercurius, Vulcanus: & quidem uni Deaſtro plura imponebant nomina, Solem ſub diverſis, Lunam ſub pluribus, Terram itidem ſub aliis & aliis, nec non Aquam adorantes, quibus Romani ſuperiores eſſe voluerunt in ſuperſtitione: non tantùm enim ultra trecentos cum Græcis numerarunt DEOS, ſed in inferioris Ordinis Serie erant vilia illa nomina: Naſcia, Cunina, Rumina, Potina, Educa, Carnea, Juventus, Volupia, Partunda, Volumna, Horta, Laverna, Nænia, Libitina, Robigus, Sterculius, Bubona, Hippona, Mellona, Pomona, Pales, Flora. Cloacina, Febris, Pavor, Pallor, unde Minutius: *Cloacinam Tatius & invenit, & coluit: Pavorem Hoſtilius atque pallorem: mox à neſcio quo Febris dedicata: hæc alumna urbis iſtius Superſtitio, morbi, & malæ valetudines. Sanè & Acca Laurentia, & Flora, meretrices propudioſæ, inter morbos Romanorum, & DEOS computandæ.* Germani Solem, Lunam & Hertham, hoc eſt Terram, magni æſtimarunt. Saxones ſeptem Planetas, unde adhuc nomina dierum. Galli Mercurium maximè, Daci verò & Sueci Martem: Moſcowitæ & Ruſſi Perun, qui forſan Jupiter, & Idolum Zelota Baba, Pomerani Bicipitem Diabolum. Scythæ Acinacem, quos imitati Getæ, Thracii, Cimbri, Gothi: Tamoxium Lithuani, Poloni, Hungari, Samogitii, Livones, Lappii, Solem, Ignem, arbores, ſer-

pentes. Tacitus de Germanis: *Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt) Tuiſconem Deum terrâ editum, & filium Mannum, originem gentis, conditoresque.* Legantur *Pauſanias*, *Martianus Capella*, *Athenæus*, *Suidas*, *Rhodiginius*, *Plutarchus*, *Plinius*, *Gellius*, *Juſtinus Martyr*, *Euſebius*, *Clemens Alexandrinus*, *Lactantius*, *Arnobius*, *Minutius Felix*, *Julius Firmicus*, *Scaliger*, *Alexander ab Alexandro*, *Roſinus*, *Voſſius*, *Tacitus*, *Cambdenus*, *Saxo Grammaticus*, *Albertus Cranzius*, *Olaus Magnus*, *Aventinus*, *Lindebrogius in Hiſtoriam Carol. M.* & *Elias Schedius*, nec non *Commentarius noſter in Decalogi primum præceptum.*

XXI. Vidimus profundas illas & latè ſerpentes radices Gentiliſmi; quantum verò abeat ab illâ Religione, quæ Deo grata, liquet 1. ex Defectu Unitatis. Quanquam enim *in Exiſtentia Dei*, teſte Maximo Tyrio, *conſentiat Græcus cum Barbaro*, *Mediterraneus cum Inſulano*, *ſapiens cum ſtulto*, nullus tamen in Gentiliſmo conſenſus. Percurre Aſiam, intuere Africam, Americam luſtra, in Europâ circumſpice, tot habebis Religiones Gentilium, quot partes Orbis, imò ferè tot, quot provincias illarum: ipſos Deos numera, quot illi, quæſo, & quam diviſi? conſpirarunt alii in Deum unum, & inferiores Solem, Lunam: alii neglecto Supremo Numine adhæſerunt Creaturis, alii in Elementa prolapſi ſunt, alii in defunctos homines, alii in Vanitatum, Affectuum & morborum nomina, alii in ipſum Cacodæmonem. Quot ſectæ inter Chaldæos, Græcos, Romanos, Ægyptios, Arabes, Sinenſes, Bramines, Japonios, Germanos, Gallos, & Septentrionales alios: Ipſi Dii inter ſe diſtracti. Cœlus in filios, Tellus in maritum, Titanes in Patrem ſævierunt, & viciſſim ille in filios; Græcorum Dii contra Trojanorum agebant Fautores, *Mulciber in Trojam*, *pro Troja ſtabat Apollo*, favit Æneæ Venus irata, eidem ſuccenſuit Juno; nec quicquam cohæret in Religione Gentilium, non ipſæ Religiones inter ſe, cum contrariis cultibus collidantur, quibusdam nimis ſuperſtitioſè circa creaturas timentibus ſibi, quibusdam in deſtructionem illarum quoque horrendam ruentibus, furentibus, ſævientibus in ipſam naturam: nec ulla illarum, ſi ſeorſim ſpectes eam à capite ad calcem, corpus exhibuit, in quo membrum doctrinæ alteri reſponderit, ſed Cento fuit unaquæque ex variis conſuta opinionum coloribus, qui monſtrum

effigia-

effigiarunt. Objecit hunc diſſenſum Clemens Alexandrinus Ægyptiis in Protreptico ad Gentiles ſcribens: *Ægyptii diſperſi ſunt in varios cultus & religiones. Ex his Syenitæ quidem colunt piſcem Phagrum. Mœotem autem (eſt verò hic quoque alius piſcis) colunt, qui habitant Elephantinam. Oxyrinchitæ autem piſcem ſimiliter, qui ab eorum dictus eſt religione. Præterea Ichneumonem Heracleopolitæ: Saitæ autem Thebani ovem: Lupum autem Lycopolitani. Canem verò Cynopolitani; Apim Memphitani. Hircum Mendeſii. Per univerſa imperia, provincias, oppida, videmus ſingulos ſacrorum ritus gentiles habere, & Deos colere municipes, ut Elevſinios Cererem, Phrygas Matrem, Epidaurios Æſculapium, Chaldæos Belum, Aſtarten Syros, Dianam Tauros, Gallos Mercurium, univerſa Romanos.*

XXII. Patet II. ex veritatis defectu: neque enim conſpiravit, imò nec conſpirare potuit, cum mente divinâ, omne illud plaſma mentis humanæ; nam I. non ad voluntatem divinam id omne, quod ab illa recedit. Nullus Herus ex Ingenio ſervi vult coli, ſed ex præſcripto, quod deficit in Gentiliſmo. *Summa Religionis* eſt, non tantùm juxta Auguſtinum, ſed & Senecam, *imitari quem colis*: At quî imitari potuerunt Gentiles Deum, quem non noverunt. Qui ſapientes cenſeri volebant, exiſtimarunt cultum Numinis conſiſtere in virtutis ſtudio, ſi quis ſit optimus, ſi juſtiſſimus: at quod miſeriæ noſtræ Remedium ex Virtute, quæ in incunabulis extra auxilia divina vel difficultate oppreſſa fatiſcit, vel in faſtum & naturæ corruptæ ἀποθέωσιν intumeſcit, ac hominem dementat. Ipſi Gentiles riſerunt Religionem, quam vulgus fuit ſectatum. Seneca *Poëtarum* dicit *furorem fabulis humanos errores alentium, quòd Jupiter ipſis viſus voluptate concubitus delinitus duplicaſſe noctem*; Plinius *Matrimonia Deorum, & naſcentes ex illis, alternis diebus viventes & morientes, inter puerilia* deliramenta retulit. Cicero Commenta iſtius generis *pictorum portenta* vocavit, *quæ neminem niſi excordem moveant.* II. Omne id, ex quo Religionem deduxerunt, non à Deo, ſed Diabolo profectum. Oracula Dæmonum erant illuſiones, quæ ipſa ambiguitate debuiſſent eſſe Gentilibus ſuſpecta: Miniſterio mulierculárum furore correptarum, & per pudenda vocalium: ipſâ Idolorum ſpecie, quæ præfuerunt, e. g. in Templo Libyæ Hammonis, quod cornibus arietinis horrendum &

pelle hircinâ circundatum, quod, ſi Jovem retulit, Nebulonem repræſentavit. Quid? quod *Delphica damnatis tacuerint ſortibus antra, perdiderit inſanos mendax Dodona vapores, nec reſponſa ferat Libycis in Syrtibus Hammon.* Vates Gentilium & Sybillarum fatidica Carmina furor prodidit, ipſaque materies & Argumentum fatidicæ vocis, ſuaſit Cumana Lectiſternia, quibus Apollo, Latona, Diana, Hercules, Mercurius & Neptunus, placarentur, egregia ſcil. Numina; *precio non numerato Libros ſex combuſiſſe* recenſetur, non ſine inſaniæ ſpecie; quantum tribuendum *Vedæ libro*, quem tanti Bramines faciunt, quid de *Confugtii Scriptis*, quæ venerantur Sinenſes, in Tractat. de Scripturâ σὺν Θεῷ aperiemus III. ipſi Gentiles agnoſcere coacti ſunt tacitè, non penes ſe, ſed nos, divinam eſſe Veritatem. Plato DEUM non tantùm dixit eſſe *unum, pulchrum, Bonum*, ſed ipſum αὐτὸ ἓν, αὐτἀγαθον, αὐτὸ καλὸν, cui præluſit Pythagoras, ſubſcripſit Ariſtoteles. Umbram Trinitatis exhibuiſſe divinum illum Philoſophum Plotinus & Numenius teſtantur, dicentes; *illum tria ſupernaturalia ſtatuiſſe & æterna, Bonum, mentem, & univerſi animam, & Bonum vocaſſe, quem nos dicimus Patrem, Mentem, quem nos Filium Verbumque appellamus, Animam, quem Spiritum Sacræ Literæ nominant.* Amelius Porphyrii Scholæ præpoſitus & Platonicus Philoſophus lecto initio Evangelii à Johanne editi, teſte Druſio, *per Jovem*, dixit, *hic barbarus cum noſtro Platone ſenſit verbum* DEI *in ordine Principii conſtitutum.* Attributa Divina expoſuit non tantùm Orpheus, Ariſtoteles, Maximus Tyrius, ſed & Proclus in Theologia *DEUM* vocans *Regem, Principem incomprehenſibilem, incomparabilem, uniformem, qui omnes longè ſupereminea causas.* Creationis opus deſcripſere ex Hiſtoricis Diodorus Siculus, ex Poëtis Ovidius ſecutus Orpheum & Græcos vetuſtiores. Providentiam DEI omnia circumluſtrantem, ſtipatam Juſtitiâ, ultrice & remuneratrice, expreſſit Plato in Legibus. Fama erat publica inter Gentiles, *Judæos & ex illis Principem quendam rerum potiturum, magnum Pana eſſe mortuum*, ſecundum Epitherſen ad Echinadas prætcrnavigantem, hancque gemebundam vocem exaudientem: nec non, *Puerum Ebræum juſſiſſe Apollinem cedere.* Videatur *Tacitus, Suetonius, Plutarchus & alii.* Lapſum hominis integri non obſcurè ſignavit Hierocles, ſcribens: *Ne blaſphememus, quaſi noſtrorum ſcelerum Author ſit*

DEUS,

DEUS, *imò Homo ſui ipſius voluntate, duce & incantatrice pravus conſit.* De victimis Seneca: *licet optimæ illæ ſint auroque præfulgeant, non tamen in illis DEI Honor eſt, ſed piâ & recta voluntate venerantium.* Animæ immortalitatem feſſi ſunt Plato, Hierocles: *non Exceſſu vitæ ſic deleri hominem, ut funditus interiret*, in Tuſcalanis aſſeruit Cicero, cui ex Getis acceſſerunt quamplurimi olim: hodiè, qui incolunt Regionem Malabar, Chinenſes omnes & Indi. Reditum ad vitam non obſcurè ſignificavit Phocylides, cùm dixit: *citò ſperamus ex terra ad Lucem pervenire*: præmia & pœnas poſt fata cum Platone agnovit Seneca, ita animans ad mortis impetum generosè ſuſtinendum: *alia nos origo expectat, alius rerum ſtatus, nondum Cœlum niſi ex intervallo poſſumus habere, proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice, non eſt animo ſuprema, ſed corpori, aliquando naturæ arcana tibi retegentur, diſcutietur iſta caligo, & lux undique clara percutiet: imaginare tecum, quantus ille ſit fulgor, tot ſyderibus inter ſe Lumen miſcentibus. Nulla ſerenum umbra turbabit, æqualiter ſplendebit omne Cœli latus. Dies & Nox aëris infimi vices ſunt. Tunc in tenebris vixiſſe dices, cùm totam Lucem totus aſpexeris, quam nunc per anguſtiſſimas oculorum vias obſcurè intueris, & tamen admiraris tam procul. Quid tibi videbitur divina Lux, cùm illam ſuo loco videris?* Plura produceremus, inprimis ex *Hermete Triſmegiſto*, ni manum injiceret Literatorum Ordo, qui Scriptum illius ſubventaneum oſtendit.

XXIII. Conſtat III. ex Sanctitatis Defectu. Nihil hic ſanum in toto Cultu, nihil ſanctum: quæ enim Numina ſunt iſta gentilium? Jupiter Adulter, inceſtuoſus, & Parricida, Mercurius Fur, Venus Scortillum, Bacchus viva vini Amphora, Vulcanus faber ferrarius, Apollo paſtor, Mars miles ferox, Neptunus Nauta profanus, Saturnus Agricola tenax, Æſculapius Medicus Agyrta, Minerva netrix curioſa. Egregiè Arnobius: *Si vobis jucundum eſt, amici, ediſſertate, quinam ſint hi dii, qui à nobis CHRISTUM coli, ſuam credant ad injuriam pertinere? Janus Janiculi conditor, & civitatis Saturniæ Saturnus auctor? Fauna Fatua, Fauni uxor, Bona dea quæ dicitur, ſed in vini melior & laudabilior potu? Indigetes illi, qui flumen repunt, & in alveis Numici cum ranis & piſciculis degunt? Æſculapius, & Liber pater, Coronide ille natus,*

 & ex

& ex genitalibus matris alter fulmine præcipitatus? Mercurius utero fuſus Majæ, &, quod eſt divinius, candidæ. Arcitenentes Diana & Apollo, circumlati per fugas matris, atque in inſulis errantibus vix tuti? Dioneia Venus proles, viri materfamilias Troici, atque inteſtini decoris publicatrix? In Trinacriæ finibus Ceres nata; atque in floribus legendis occupata Proſerpina? Thebanus, aut Tyrius Hercules, hic in finibus ſepultus Hiſpaniæ, flammis alter concrematus Oëtæis? Tyndaridæ Caſtores, equos unus domitare conſuetus, alter pugillator bonus, & crudo inexuperabilis ceſtu: Titanes & Bocores Mauri, & ovorum progenies D i i Syri? Apis Peloponneſi proditus, & in Ægypto Serapis nuncupatus? Æthiopicis ſolibus Iſis furva mærens perditum filium, & membratim conjugem lancinatum? Præterimus, & transgredimur Opis ſoboles regias: quas in libris auctores veſtri, quæ fuerint, & quales, ediſcentibus prodiderunt. Hactenus ille. Qui modus colendi? ſcil. per hominum victimas. Sic Charthaginienſes liberos ſuos ſcienter & prudenter Saturno ſacrificabant, teſte *Plutarcho*. Arcades in Græcia Jovi Lycæo humana hoſtia faciebant, docente *Plinio*: Romani Latialem Jovem ſanguine coluerunt humano, oſtendente hoc, præter *Livium*, etiam *Plutarcho*: Galli flammâ examinare ſolebant homines, ſecundum *Cæſarem*: Germani Mercurio certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habebant, juxta *Tacitum*. Dani & Nortmanni Diis ſuis 99. homines, totidem Equos, cum canibus & gallis, immolare ſolebant, ut oſtendit *Ditmarus Mersburgenſis* in Chron. lib. 1. Lactantius lib. 1. cap. 21 ſcribit: *Apud Cypri Salaminem, humanam hoſtiam Jovi Teucrus immolavit: idque ſacrificium poſteris tradidit, quod eſt nuper Hadriano imperante ſublatum. Erat lex apud Tauros inhumanam & feram gentem, uti Dianæ hoſpites immolarentur, & id ſacrificium multis temporibus celebratum eſt, Galli Eſum atq; Teutatem humano cruore placabant, nec Latini quidem hujus immanitatis expertes fuerunt. Siquidem Latialis Jupiter etiam nunc colitur ſanguine humano.* Per fornicationes, Corporis proſtitutionem & fœdiſſimæ Libidinis Exercitia. Veneris Fanum Corinthi ita fuit locuples, ut plures quàm mille habuerit ſacrorum famulas meretrices, quas D e æ Viri Mulieresque dedicaverant. Unde Athanaſius contra Gentiles libro primo; *at nunc Amores Jovis impudicitiasque narrantes, aliorumq;*

flagitia,

flagitia, & puerorum violationes, & Zelotypias fœmineas, voluptatis cauſa ſuſceptas, metusque, ac formidines, & perturbationes cæteras, id imprimis efficiunt, ut non modo de Diis, ſed ne de hominibus quidem honeſtis proſecuti videantur, verum de turpiſſimis, de longè ab honeſtate remotis finxiſſe fabuloſa. Per Simulacrorum proſtitutionem, de quâ Clemens in protreptico: poſtquam Scytas, Arabes, & Perſas reprehendiſſet propterea, addit: *ex aliis hominibus iis, qui adhuc erant antiquiores, ligna erigebant inſignia, & columnas ponebant ex Lapidibus, quæ appellabantur* ξόανα διὰ τὸ ἀποξέεσθαι τῆς ὕλης, *eò quod eraderentur, & expolirentur, ex Materia.* Quid? per correctiones & verbera Japoniis hodiè ipſi Dii obnoxii ſunt, dum, ſi non faciunt, quod exigunt, eosdem egregiè diverberant; paria cum ipſis faciunt Sinenſes, *præſertim illud Idolum probè depalmantes, cui cura Regis demandata erat, quo tempore in morbum incidit, tunc enim illud abigunt & exulare jubent Palatio centum dies, poſt iterum reſumunt, blanditiis demulcent, & priſtina collocant ſede, ne videlicet injuriam illatam gravius in animum revocet, atq; de referenda vindicta ſerio incipiat cogitare*, ut refert *Petrus Delcena*, Jeſuita, in Epiſtolis Japonicis ad Conimbricenſes Anno CIↃ IↃ LV. Per Feſtorum inſtitutiones, Agonalia, Carmentalia, Lupercalia, Quirinalia, Feralia, Terminalia, Equiria, Liberalia, Megaleſia, Vinalia, Veneralia, Robigalia, Floralia, Lemuralia, Portunalia, Vulcanalia, Saturnalia, Opalia. Nihil in ſecundâ Tabulâ, quæ proximum reſpicit, ſanctum, aut DEI voluntati conſonum. *Lex Sardoa* erat, teſte *Æliano*, ut *Filii Patres jam ſenio confectos fuſtibus cæderent, & interemptos ſepelirent. Derbicenſes, qui ſeptuageſimum exceſſerunt, jugulant, carnes genere proximi abſumunt, vetulas ſtrangulant.* Athenienſes publicè ſanxerunt, *ut infantes exponerentur.* Ariſtoteles verò *ad mutilos & mancos* impiè reſtrinxit. De Indis Mela refert, quòd *& mactent homines, & cæſorum viſceribus epulari fas & maximè pium ducant.* De Sinenſibus & Japoniis conſtat, quod *moriente Hero ſervi viginti aut triginta ventrem diſcindant. Nec abſtinuerunt*, ut *Tacitus* docet, *Milites quidam ad funus Othonis ſe interficere juxta rogum.* Mos erat Cypriis, *Virgines ante nuptias ſtatutis diebus dotem primum quæſituras in quæſtum ad littus Maris mittere*, teſte *Juſtino.* In *Tartaria proſtituunt filias*

nubiles

nubiles peregrinis, ut oſtendit *Paulus Venetus*, *ipſi Reges Conjuges deflorandas*; in Regno *Calecuthi vel etiam Chriſtianis aut Muhemedanis ſubagitandam offert Princeps*; Tarnalariis *fornicatio paſſim licita*; In Japonia magnus *Mogul ultra mille fovet concubinas*; *Sodomiam* fœdiſſimum ſcelus *Bonzii Sacerdotes*, & *quidem publicè, exercent & defendunt*. *Hiſpanis quondam latrocinari inter pulcherrima habebatur*, teſte Diodoro Siculo: penes *Germanos*, ſecundum *Cæſarem*, *latrocinia nullam habuerunt infamiam*. Legantur *Aloyſius Cadamuſtus*, *Abrahamus Rogerius*, *Bernhardus Varenius*, *Xaverius*, *Trigautius*, *Maffæus*, *Vilelas*, *Martinus* & cæteri.

XXIV. Oſtendimus IV. Defectum Antiquitatis. Patet ille, ſi omnia Deorum Nomina recenſeas, quæ novitia. Unde Lactantius lib. 1. cap. 15. *Cum conſtet gentilium* D E O S *homines fuiſſe: non tamen eſt obſcurum, qua ratione dii cœperint nominari. Si enim nulli reges ante Saturnum vel Uranum fuerunt propter hominum raritatem: qui agreſtem vitam ſine ullo rectore vivebant: non eſt dubium, quin illis temporibus homines Regem ipſum totamque gentem ſummis laudibus & novis honoribus jactare cœperint, ut etiam* D E O S *appellarent: ſive ob miraculum virtutis hoc verè putabant rudes adhuc & ſimplices: ſive, ut fieri ſolet, in adulationem præſentis potentiæ: ſive ob beneficia, quibus erant ad humanitatem compoſiti. Deinde ipſi reges, cum cari fuiſſent his, quorum vitam compoſuerant, magnum ſui deſiderium mortui reliquerunt. Itaque homines eorum ſimulacra finxerunt: ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione ſolatium.* Si ſecundò conſideres ſententias, quas foverunt gentiles, falſas: cùm enim Falſum dicat privationem veri, Veritas ſemper prior fuerit neceſſe eſt Falſo, quòd varium & multiplex. Unde etiam exprobravit quondam Ægyptus Soloni Novitatem, Sacerdos illiùs Religionis, & dixit: *ô Solon, Solon, vos Græci ſemper pueri eſtis, quia juvenis vobis eſt ex vetuſtatis commemoratione priſca opinio, nulla cana ſcientia.* Si tertiò attendas ad furta ex Hiſtoria ſacra. quis ille Διὸς κῆπος, Jovis Hortus, in Platonis convivio, quàm Paradiſus! Alcinoi campus apud Homerum, quàm prima primi hominis ſedes? Adonidis plantaria, quàm ἡδονῆς in Auranitide tractus? quis in Promotheo Epimetheo & Pandora non deprehendit veſtigia lapſus Protoplaſtorum?

rum? quis ἀννακὸς Græcorum grandævus, niſi Enochus? quis Thubal cain, niſi levi immutatione Vulcanus? quis Jubal, niſi Apollo? quis Noah, niſi Saturnus, Sem Jupiter, Cham Pluto, Japhet Neptunus? vel Cham Jupiter Ammon? quis Moſes, niſi Gentilium Liber? cui Canis ſocius datus, hoc eſt Caleb. quis Joſua, niſi Hercules, qui prælia commiſit cum Gigantibus? quid Herculis Columnæ, niſi illæ, quas Simſon concuſſit? quis ἥλιος, niſi Elias, ſub quo omnia aduſta, ſiccitas ingens, cujus etiam meminit Menander? unde DEUS Sabazius, niſi ex Sabaoth? unde nomen Jao? niſi ex nomine JEHOVAH. Unde Plato ſuam ἀναβίωσιν hauſit, niſi ex Moſe? unde ſua Theocritus Idyllia, niſi ex Cantico? dierum diſtinctiones & victimarum Incendia, luſtrationes, Sacerdotum gentilium Turma, niſi ex Ebræorum Republica Eccleſiaſtica?

XXV. Demonſtramus V defectum Efficaciæ: nihil ſolidi in fabulis, quas Gentiles cuderunt, nullum ſolatium in verbis, quæ cum pompâ coagmentarunt in corpus, nihil, quod in morte labantem animam inſtaurat. Unde apud *Tullium*, *cum perſuaderi ſibi vellet auditor, poſſe animos, cum è corporibus exceſſerint, in cœlum, quaſi in domicilium ſuum, pervenire; & verò diceret Marcus: Quid tibi ergo opera noſtra opus eſt? num Eloquentia Platonem ſuperare poſſumus? Evolve diligenter ejus eum librum, qui eſt de animo, amplius quod deſideres nihil erit; regerit auditor: feci mehercule, & quidem ſæpius. Sed neſcio, quomodo, dum lego, aſſentior; cum poſui librum, & mecum ipſe de immortalitate animorum cœpi cogitare, aſſenſio omnis illa elabitur.* Pariter Titium filii interitu mœrentem conſolaturus Cicero, lib. V. ad famil. epiſt. XVI. *Sæpiſſimè*, inquit, *& legi & audivi, nihil mali eſſe in morte: in qua ſi reſideat ſenſus, immortalitas illa potius quàm mors ducenda ſit; ſin ſit amiſſus, nulla videri miſeria debeat, quæ non ſentiatur.* Refert itaque Opinionem ſuam in authoritatem & famam, incertus de re ipſâ. Sic Socrates, jam morti vicinus, *Magna me*, ajebat, *ſpes tenet, Judices, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem. Neceſſe eſt enim ſit alterutrum de duobus, ut aut ſenſus omnino mors omneis auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quamobrem ſive ſenſus extinguitur, morsque ei ſomno ſimilis eſt, qui nonnunquam etiam ſine viſis ſomniorum placatiſſimam quietem affert, Dii boni, quid lucri*

eſt emori? aut quam multi dies reperiri poſſunt, qui tali nocti anteponantur? cui ſimilis futura eſt perpetuitas omnis conſequentis temporis: quis me beatior? ſin vera ſunt, quæ dicuntur, migrationem eſſe mortem in eas oras, quas, qui è vita exceſſerunt, incolunt, id multo jam beatius eſt. Concludebat tandem Oraculo ille qui dictus ſapientiſſimus: *Sed tempus eſt jam hinc abire: me, ut moriar, vos, ut vitam agatis. Utrum autem ſit melius, Dii immortales ſciunt, hominem quidem arbitror ſcire neminem.* Ita ex Platone, Socratis diſcipulo, Tullius libro 1. Tuſcul. quæſtionum. Et qui quæſo fuerunt, qui negarunt à privatione ad habitum dari regreſſum, quàm cum Ariſtotele Peripatetici? qui cum Plinio, *iterari vitam morte, Dementiam* dixerunt, qui cum Cœcilio *anilem fabulam Reſurrectionis dogma* pronunciarunt, cum Poëta:

Soles occidere & redire poſſunt;
Nobis, cum ſemel occidit brevis Lux,
Nox eſt perpetuò una dormienda.

Qui cum Imperatore *Animulam vagulam, blandulam, ire in loca incerta, poſt ſupremum diem*, conqueſti ſunt? videlicet gentiles, quibus fiducia Chriſtianorum defuit.

XXVI. Denique exhibemus VI. defectum Conſtantiæ. Victus Gentiliſmus tandem non armis, ſed patientiá; tantum robur excuſſum Verbi virtute, non vanitatis ſtrepitu, Conſtantini pietate, non potentiâ dominantium, *nec unquam triumpho majore vicerunt Chriſtiani*, teſte Severo Sulpitio, *quam cum decem annorum ſtragibus vinci non potuerunt.* Favit ſanè Imperatori Conſtantino ipſum Cœlum, oranti circiter meridiem oſtenſa Crux de Lumine fabricata, cujus egregia Inſcriptio victoriam ipſi verbis ſpondebat ſequentibus: *In hoc vinces:* quod & factum. Euſebius lib. X. c. XI. pagina mihi 122. ita diſſerit: *Maximino ad hunc modum è medio ſublato, qui ſolus adhuc peſſimus omnium pietatis hoſtis ſuperfuerat, eccleſiæ per gratiam omnipotentis* D E I *ex ipſis fundamentis renovabantur & erigebantur, & verbum* C H R I S T I *ad gloriam* D E I *omnium illuceſcens, majorem quam antea libertatem accipiebat, impietas vero hoſtium pietatis extrema turpitudine & ignominia replebatur. Nam Maximinus ille primus ab imperatoribus omnium hoſtiliſſimus, impiiſſimus, ignominioſiſſimus, ac* D E O *ſupra modum*

modum inviſus tyrannus, publicis eſt edictis declaratus. Et quæcunque literarum monumenta illius ac liberorum ejus honorem per ſingulas civitates proſtabant, partim è ſublimi ad pavimentum dejecta, protritaque ſunt, obſcuro colore obducta & denigrata, ut publico aſpectui facta ſint inutilia; Conſimiliter & ſtatuæ, quotquot in honorem illius fuerant erectæ, eodem modo dejectæ & protritæ, riſuiq; & illuſioni illorum, qui eas ignominia & ludibrio afficere volebant, expoſitæ ſunt. Deinde & aliorum pietatis hoſtium cuncta inſignia ſublata ſunt, & occiſi, quotquot Maximino faverant, præſertim, qui primariis civitatibus ab illo honorati, ut ipſi aſſentarentur, doctrinam & religionem noſtram obnixius infeſtarant, qualis fuerat Peucetius, quem præ omnibus honoratiſſimum, venerandiſſimum, & amicorum germaniſſimum habuerat, bisq; ac tertio conſulem, & omnium rerum ſupremum præfectum conſtituerat: deinde Culcianus, omnis generis poteſtate potitus, qui & ipſe innumerorum Chriſtianorum ſanguine per Ægyptum fuſo, inſignis factus fuerat: præterea & alii non pauci, per quos potiſſimum Maximini tyrannis invaluerat provectaq; fuerat. Quin & Theotecnum ultio corripuit, haudquaquam oblita eorum, quæ contra Chriſtianos perpetraverant. Propter ſtatuam enim, quam Antiochiæ erexerat, glorioſus factus, etiam præſes fuerat à Maximino conſtitutus. Licinius enim, cum Antiochiam veniſſet, ut incantatores deprehenderet, ſtatuæ nuper erectæ prophetas & ſacerdotes tormentis punivit, &, qua ratione ſeductionem illam palliaſſent, inquiſivit. Cum autem veritatem illi tormentis adacti celare non poſſent, totum myſterium ſeductionem eſſe artibus Theotecni ſtructam, patefecerunt. Quapropter cunctos meritis ſuppliciis affecit, & primum Theotecnum ipſum, deinde & reliquos incantationis ſocios, plurimis ſuppliciis primum affectos, morti tradidit. His omnibus adjecti ſunt etiam liberi Maximini, quos jam imperialis honoris, tabularumq;, & inſignium publicorum ſocios reddiderat. Deinde & cognati tyranni, qui antea per inſolentiam cunctos mortales oppreſſerant, jam ſupplicia cum ſupradictis extrema cum ignominia ſunt perpeſſi. Diſciplinam enim non receperant, nec admonitionem illam cognoverant & intellexerant, quæ in ſacris literis dicit: Nolite confidere principibus, filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Exibit ſpiritus ejus, & reverte-

tur in terram ſuam, in illa die peribunt omnia conſilia eorum. Impiis itaq; ad hunc modum deletis, ſolis Conſtantino & Licinio competens imperium firmum, & ab omni invidia alienum permanſit. Hi ante omnia inimicis DEI *è vita humana expunctis, bonis divinitus collatis cum gaudio potiti, ſtudium virtutis ac* DEI, *pietatemq; & animi gratitudinem erga* DEUM, *conſtitutione pro Chriſtianis publicata declararunt.*

XXVII. De ſequentium temporum formâ DN. Calixtus ita diſſerit: *Ultimus Julianus in odium Chriſtianorum Judæis facultatem conceſſit reſtaurandi templum Jeroſolymitanum, vaſtitatis à* DEO *damnatum, ſed metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris aſſultibus erumpentes fecere locum, exuſtis aliquoties operantibus, inacceſſum; hocq; modo elemento deſtinatiùs repellente ceſſavit incœptum. Teſte Ammiano Marcellino; ut noſtros Socratem, Theodoretum, Somozenum, idem conteſtantes, nihil opus ſit adducere. Hic ipſe Ammianus auctor eſt, imperante Juliano & idololatriam reſtaurare enixè ſatagente, ampliſſimum Daphnæi Apollinis fanum, quod Epiphanes Antiochus rex ille condidit iracundus & ſævus, & ſimulacrum in eo, Olympici Jovis æquiparans magnitudinem, ſubitâ vi flammarum exuſtum eſſe. Theodoretus dicit fulmen de cœlo delapſum, delubrum univerſum incendiſſe, & ipſam Apollinis ſtatuam in cineres redegiſſe. Ammianus fortuitum facit incendium. Sed quicquid ſit, manifeſtum eſt, Apollinis, qui reſponſis ſuis hactenus mortales in fraudem induxerat, & denuò à Juliano conſuli cœperat, aliorumq; deorum cultum, quem reſtauratum Julianus ibat,* DEUM *exſcindi voluiſſe, præſertim quum hoc ipſo imperante non modò Daphnæi, ut dictum eſt, ſed etiam Palatini Apollinis templum in urbe conflagraverit æternâ, hoc eſt, Romanâ, ut idem teſtis eſt Ammianus.*

DISPU-

DISPUTATIO OCTAVA

De

JUDAISMO,

THESIS I.

JUdaiſmus nomen ſuum ſortitus eſt à Juda, quarto in ordine Patriarchalis ſanguinis, quem benedicturus Pater Jacobus ita compellavit: *Juda Tu es, Te laudabunt fratres tui*, Genes. 49. ℣ſ. 8. dulci alluſione ad nomen יְהוּדָה יודוךָ q. d. rectè vocaris Laus, quia te laudabunt fratres & celelebrarunt, nomen & omen habes. Impoſuerat autem hoc nomen Mater. Gen. 29. ℣ſ. 35. gratias agens & DEUM laudans, ob hanc prolem datam, & feliciter in lucem editam; paternæ interpretationi verò reſpondit eventus. Principatum enim obtinuit illius poſteritas, & Tribus hæc prima ingreſſa fuit Mare rubrum, caſtra poſuit prima, obtulit prima, acquiſivit ſuam portionem in terra promiſſa prima, in prælüs principatum obtinuit, in Genealogiis caput. videantur loca Num. 2. ℣ſ. 3. cap. 10. ℣ſ. 14. cap. 12. ℣ſ. 17. Joſ. 14. & 15. Judic. 1. ℣ſ. 2. 1. Paral. 2. ℣ſ. 3. & ſeq. meminit vocis hujus Paulus atque opponit Judaiſmum Chriſtianiſmo, Galat. 1. ℣ſ. 13. 14. quanquam ſint, qui per Judaiſmum ibidem intelligunt Phariſaiſmum, de quo nolumus contendere.

II. Obtinuit autem hoc nomen hic populus non confeſtim ab illo tempore, quo cœpit in Rempublicam & Eccleſiam proficere, ſed demum poſt tempora Moſis, vel tempore diviſi regni ſub Rechabeamo, ut vult *Cunæus*, vel translatarum tribuum decem, juxta *Eliam*, aut reducti populi hujus poſt captivitatem Babylonicam, ut opinatur *Caſaubonus* contra Baronium. legitur 2. Reg. 16. ℣ſ. 6. & adhibetur quandoque etiam à Paraphraſte Chaldæo in Pentateucho, commune autem factum eſt, inclinante Republicâ, quibuscunque ex Patriarcha Jacobo deſcendentibus, niſi quòd Samaritani ab Alexandro M. rogati reſponderint, *ſe quidem Ebræos & Sichemitas à Sidoniis dici, verùm non eſſe Judæos.*

III. A Jacobo Patriarcha denominati ſunt Iſraelitæ, quia hoc nomen illi additum in pugna ad pulverem usque cum filio DEI, ei-

dem prævalente hoc homine, quanquam tempore Jeroboami decem Tribus deficientes hoc nomen ſibi appropriarint. Antiquius ambobus fuit nomen עִבְרִי Ebræus, de quo eruditi contendunt, quibusdam illud ab Abrahamo deducentibus, *quaſi Ebræi ſint Abrahæi*, quod placuit *Auguſt*. Lib. 1. de Conſenſu Evangeliſtarum, cap. 14. quod tamen retractavit Lib. 3. Retract. cap. 16. & Lib. 16. de Civit. DEI. cap. 3. Aliis ab עָבַר tranſiit, quaſi עִבְרִי ſit περάτης ſive *tranſitor*, Transmiſſorius, ut *Eraſmus* vertit, de quo videndi *Hieronymus*, *Chryſoſtomus*, *Theodoretus*, *Arias Montanus*, *Seldenus*; aliis à voce עֵבֶר Trans, quia Abraham cum ſuis ex Meſopotamia in Cananæam tranſierit, quod ad palatum fuit *Rabi Bechai*, *Paulo Burgenſi*, & *Münſtero*; aliis denique ab Euphrate, fluvio, quem tranſierit Patriarcha DEO dilectiſſimus, quæ ſententia fuit *Theodoreti*, neque calculum hactenus ab aliis fuit conſequuta. Optimè ſentire videntur illi, qui deducunt à Nomine Eber, filio Selah, pronepote Semi, cujus tempore Linguarum facta fuit diviſio: adſtipulatur præter alios quàm plures *Samuel Bochartus* in *Phaleg*. lib. 2. cap. 14. pag. 105. ſcribens: *Ebræorum gens etiam vocatur* Eber Num. 24. ℣ſ. 24. & *filii Eber*, Genes. 10. ℣ſ. 21. & *ab Ebere tam deduci ſcias Ebræorum nomen, quàm Judæorum à Judâ.* Fruſtra objicit Theodoretus: *Ebræos dici in Scripturâ ſolos Judæos, non omnes filios Eber, Jectanæos putâ, Iſmaëlitas, Idumæos, Amalecitas, Moabitas, Ammonitas, Madianitas, &c. qui Ebræi nusquam vocantur, quamvis Eberem patrem agnoſcant.* Nam ratio eſt in promptu. Non vocabantur Ebræi, quia Ebraicâ linguâ neglectâ, populorum, inter quos degebant, ſermonem æmulabantur. Sic Laban in Meſopotamiâ Syro ſermoni aſſueverat, Iſmaëlitæ in Arabiâ Arabico, &c.

IV. Prolixè de hac origine *Gomarus* in Prolegomenis in Epiſt. ad Hebr. *Quidam*, inquit, *ab Abrahamo, alii verò ab Hebero derivatam opinantur. Et ab Abrahamo quidem bifariam: nonnulli enim a nomine Abrahami, vel Abræ, dictos Hebræos, quaſi Abræos, putant: in qua opinione fuit author vetus comment. ad Philipp. cap. 3. qui operibus Ambroſii inſerti, ei falsò (ut doctiores, tam noſtri, quam Pontificii cenſent) tribuuntur. Et quoniam literarum diverſitas hanc opinionem videtur rejicere, objici poteſt, ac ſolet, quod Abram, apud Hebræos, aſpiratione leni,*

nempe,

nempe, א *inchoetur; Hebræi verò ab aſpiratione denſiſſima, nempe* ע*: Excipit author ille, mutatam eſſe literam propter ſonum, ut non vocentur Abræi, ſed Hebræi: ut apud Veteres; cùm dicerent, medidie, & eſſet abſurdum, dictum meridie. Sed diverſa longè eſt ratio, quia non ſolum in principio dictionis, mutatio eſt literæ,* א *in* ע *facilioris in difficiliorem (quamvis interdum illud fieri, quia literæ ſunt homogeneæ, agnoſcant, & exemplis demonſtrent grammatici) ſed etiam, quia rejectio eſt literæ in fine, quod alienum eſt: nec enim vocandi eſſent Abræi aut Hebræi, ſed Abramæi Hebramæi. Quocirca Auguſtinus, poſtquam quæſtionibus in Geneſin, lib. 1. ita ſenſiſſet, re meliùs conſideratâ, meritò ſententiam poſtmodum retractavit, Retract. lib. 1. Alii verò probabilius ab Abrahami non nomine, ſed peregrinatione deducunt, & tranſitu Euphratis, à Cananæis & Phœnicibus, primùm Abramum fuiſſe appellatum* עברי *id eſt, tranſitorem, vel trajectorem, quaſi transfluvialem, aut trans-euphratæum dicas: quod videlicet trajecto Euphrate è Chaldæa, & Meſopotamia, in Cananæam commigraſſet, à voce Hebræa* עבר *id eſt, trans, aut trajectus, quemadmodum eâdem origine locus* ביתעברא *Βηθαβαρᾶ domus, id eſt, locus trajectus appellatur,* Joan. 1. ℣ſ 28. *quod ibi trajiceretur Jordanis. Atque hinc etiam dictos cenſent Abrahami poſteros, ab illius cognomine, Hebræos. In qua opinione fuerunt LXX. Interpretes, qui* עברי *Hebræum,* Gen 14. ℣ſ. 13. *interpretantur* περάτην *trajectorem: & Heſychius in lexico* ἱβρῆος ϗ ἱ-βραῖος, ȣ, ὁ περάτης. *& R. Salomo eodem loco ad* Gen. 10. ℣ſ. 2. *ſimiliter, quos alii multi ſequuntur viri inſignes. Idque confirmant duobus argumentis: 1. Quod* Joſuæ 24. ℣ſ. 14 *dicatur, Patres veſtri qui* בעבר הנהר *id eſt, transfluviales: quemadmodum ſimilis vocis uſus,* Eſa. 7. ℣ſ. 20. *2. Quia Abraham ita primus in Bibliis nominatus legitur, & quidem primùm, cum trajecto flumine veniſſet in Cananæam,* Gen. 14. ℣ſ. 13. *quemadmodum Latini transalpinos, qui trans alpes orti erant, appellarunt, non diſſimili ratione. Si quis objiciat, Iſraëlitas ita fuiſſe appellatos, non ſolum in Canaanæa, ſed etiam Ægypto,* Exod 1. ℣ſ. 1. 5. *ubi diverſa appellationis debebat eſſe ratio: Reſponderi poteſt, cognomen illud propter uſum jam inveteratum, Iſraëlitis, nec invitis, nec indignè etiam, apud Ægyptios, aliasque gentes, adhæſiſſe,*

Gen.

Gen. 39. ℣ſ. 14. non indignè inquam, quoniam obedientia Abrahami inſigne erat monumentum, quod videlicet relictâ patriâ, & trajecto Euphrate, Dei juſſum ſecutus, commigraſſet in Chananæam. Alii deniq́ue Hebræos non ab Abrahami nomine, neque à peregrinatione illius, aç fluminis Euphratis tranſitione; ſed ab Hebero, Semi nepote, Genes. 10. ſic dictos ajunt, ut עברי Hebræus, ſit nomen patronymicum: quemadmodum Joſephus antiquit. Jud. lib. 1. cap. 7. Heberus, inquit, à quo Judæi Hebræi quondam appellabantur. quod idem tradit Aben-Eſra, Gen. 10 ℣ſ. 21. & ad Jon. c. 1. ℣ſ. 9. & Kimchi in lex. exponit עברי ממשפחת עבר Hebræus, ex familia Heberi: & Hieronym. quæſtion. in Genes. ad cap. 11. operum tom. 3. ait: Heber, à quo Hebræi, (etſi alias ſæpius περάτην exponat, ut ibid. Gen. 14.) & Euſebius de præparatione Evangelica lib. 7. c. 2. & Auguſt. retract. lib. 1. & Primaſius præfatione in Epiſtolam ad Ebræos. Quam ſententiam, ex recentioribus authoribus, quam plurimi ſequuntur: eamq́ue probare ſolent, ex Gen. 10. ℣ſ. 21. quo in loco Sem Pater omnium filiorum Heber dicitur, ſeu Hebræorum, qui ex Hebero orti ſunt. Verùm nonnulla objici poſſunt: primò non eſſe neceſſarium, ut Heber hoc in loco Moſis, ſit nomen proprium, ſed potius dici poſſe eſſe epitheton, ac periphraſin Abrahami, & poſterorum, qui vocentur filii tranſitus, id eſt, transfluviales, Hebræa phraſi: neque aliud notari, quam hoſce à Semo illo benedicto eſſe ortos. Deinde quæri etiam poſſet, quid cauſæ ſit, cur potius ab Hebero Abrahamus denominatus eſſet, quàm à Semo, generis origine, aut à Therachο patre? & cur (ut objecit commentarius ille ad Philipp. 3. Ambroſio aſcriptus) poſteri Abrahami non potius ab Abrahamo, quam ab Hebero, qui ſextus fuit ante Abrahamum, appellati? Sed ad primam objectionem regeri poteſt, etiam L X X. Interpretes non περάτας ſed υἱὸς Ἕβερ vertere: deinde alterum probabili conjecturâ dici poſſet, ab Hebero nominatum Abrahamum, & poſteros Hebræos, non ſolùm ratione originis, ſed etiam ratione linguæ ſanctæ communis, quam Heberus conſervatam poſteris tradiderit, (quemadmodum Suidas in Lexico Græco docet, in voce ἑβραῖοι) & Abrahamus cum ſuis eam exceperit ac foverit. Nec mirum debere videri, ſi Abrahamus ſe, ab Hebero, Hebræum potius, quàm, à Patre Teracho, Terachium denominarit: quoniam Heberus,

Heberus, illo tempore, erat adhuc in vivis, ut Genes. 11 ℣ſ. 17. *colligitur: & æquiſſimum erat, illius, ob ætatem, potiorem habere rationem. Si quis excipiat, Semum, ſimiliter Heberi proavum, eodem tempore, adhuc fuiſſe ſuperſtitem, ut qui, poſt Heberi obitum, aliquamdiu vixerit; non apparet, quid aliud reſponderi poſſit, quàm ut dicatur, in Semi familia tota linguam ſanctam non fuiſſe cuſtoditam (quemadmodum indicatur,* Genes. 10. ℣ſ. 31. *Iſti ſunt filii Semi, ſecundum familias ſuas, ſecundum linguas ſuas, per terras ſuas) ſed inde ab Hebero in ipſius poſteris: ac propterea potius ab Hebero Hebræos, quàm à Semo Semitas, fuiſſe appellatos. Veruntamen adverſus hæc iterum excipi poſſet: inter Semum & Heberum eſſe nullam hac in re differentiam; quoniam ut ab Hebero ad Iſraëlitas ſancta lingua propagata eſt, ſic à Semo ad Heberum: deinde quod amplius eſt, Semus, cum tota familia, primam linguam, quæ Hebræa eſt, eamque ſolam, ad Heberum uſque conſervavit, quia linguarum confuſio & diviſio demum contigit, temporibus nativitatis Pelech, filii Heberi, unde etiam Pelech, id eſt, diviſio, appellatus eſt* Gen. 10. ℣ſ. 25. *Si quis dicat, verum id quidem eſſe, ſed tamen poſt eam linguarum diviſionem, ut dictum eſt, Semi poſteros diverſas habuiſſe linguas,* Gen. 10. ℣ſ. 31. *Heberum autem cum ſuis poſteris unicam illam ſacram conſervaſſe: dici poſſet, non eſſe veriſimile, quandoquidem ex recenſione poſterorum Heberi, & filii illius Joktbanis, contrarium apparet,* Gen. 10 ℣ſ. 29. 31. *ubi diverſæ linguæ illis non minus, quàm reliquis familiis, tribuuntur. Sed hac prima ratione omiſſâ, altera ratio, ex* Num. 24. ℣ſ. 24. *petita, magis probabilis eſt, ubi dicitur, naves à littore Cittim affligent Aſſur, & affligent Heber: ubi per Meton. cauſæ pro effectis,* nomina Patrum, pro poſteris, Scripturæ more, poſita, ut Cittim Cittæos, & Aſſur Aſſyrios; ſic etiam Heber, Hebræos, poſteros ſcilicet illius, videtur notare. Et ut etiam *Aben-Ezra*, ad eum locum, ſimiliter de Heberi poſteris, accipit: etſi *Onkelos*, Chaldæus paraphraſtes, & *Rabbi Sal.* ibidem exponant, eos, qui transflumen, ſeu trans-Euphratæos, vel regionem trans-fluvialem; Contra *Aben-Ezra* ait: nullibi עבר abſolutè, tali ſenſu, uſurpari, ſine adjectione vocis נהר id eſt fluminis. Sic ſanè Joſ. 24. ℣ſ. 2. בעבר הנהר *in (Regione quæ) trans flumen, & verſ. 3. aſſumſi Abraham* מעבר הנהר à

(*regione*) *transflumen.* Cœterùm, ut hanc diſquiſitionem in pauca contrahamus, & hæc ab Hebero, & altera ab Abrahami tranſitu petita vocis origo probabilis eſt. Sed altera videtur præferenda: nam certum eſt, & extra controverſiam Gen. 10. ℣ſ. 21. per omnes filios Heber intelligi ſolos Abrahami poſteros: atqui, ſi de filiis Heberi omnibus propriè acciperetur, tùm præter ineptam connexionem cum ſeqq. Pelech etiam & Joktan eſſent intelligendi, cum omnibus ſuis poſteris: illi enim duo fuerunt filii Heberi, ut ibid. traditur. ℣ſ. 25. Atqui hoc falſum eſt: nam ante Abrahamum, nemo Hebræus dictus, nec propter poſteros illius, ulli ita appellati. Quare vox Heber non proprium, ſed appellativum nomen. Quod autem dicitur, Num. 24. ℣ſ. 24. affligent Heber, intelligitur per ellipſin, pro terra, aut regione Heber, id eſt, tranſitus, nempe Chananæa, in quam tranſiit Abrahamus, ut Joſuæ 24. ℣ſ. 2. 3. traditur; vel etiam poteſt per ellipſin vocis בני filiorum intelligi: id quod non eſt inſolens, propter prophetiæ illius Bileami brevitatem & obſcuritatem. Atque hæc quidem de vocis origine.

V. Deſcribitur Judaiſmus, quòd ſit hominum divinitus rejectorum ob grande peccatum in Meſſiam perverſus de DEO Patrum & rebus divinis ſenſus & cultus. Dicimus I. illum eſſe *Senſum perverſum* ſive Opinionem quandam erroneam *de* DEO *vero*; non enim ulterius agnoſcunt DEUM illum, quem Patres illorum, Abraham, Iſaac & Jacob, imò tota Eccleſia priſca venerata fuit quondam, ſed fingunt ſibi alium extra Verbum, adeòque Patrem non habent, quia filium non agnoſcunt, Johann. 5. ℣ſ. 23. nec tantùm devii ſunt in hoc veræ Religionis articulo principali, ſed & cæteris, ut per Locos Theologicos eunti facilè innoteſcet, cùm præcipua capita fidei negent, impugnent, oppoſita ſibi effigient, & illis pertinaciter adhæreant. Dicimus 2. illum eſſe *Cultum* quendam *perverſum*, conſiſtere in talibus Ceremoniis, quæ DEO diſplicent, caſſæ ſunt omni pietate, vel umbraticæ, quæ DEUS voluit in N. T. temporibus, corpore præſente, evaneſcere: imò ridiculæ & ſtolidæ, de quibus videri poſſunt *Buxtorfius* & alii. Dicimus tandem 3. quòd ſit ſenſus & Cultus *hominum divinitus rejectorum.* Neque enim Gens ulla DEO ita diſplicere deprehenditur, divinitus rejecta, depulſa à Patriæ ſolo & ſacris, diſperſa per tot populos & nationes ſine Rege, ſine Principe, Sacrificiis,

ciis, Altari, errabunda in Orbe, & quidem *propter grande peccatum*, quale nullum aliud aſſignari poteſt niſi *rejectio Meſſiæ*, reprobatio Lapidis illius angularis & electi, crucifixio innocentiſſimi, qui tot monitionibus, tot concionibus, tot diſputationibus, imò fletu & lachrymis, illorum ſalutem & pacem quæſivit, deſideravit, rogavit: videatur ſerii & calidi Affectus Indicium in ultimo Acceſſu. Luc. 19. ℣ſ. 41. 42. Matth. 23. ℣ſ. 37.

VI. Cauſa Judaiſmi fuit diſceſſus à verò ſenſu Scripturæ V. T. quæ ipſis quondam Lux vialis, qua non probè attenta, ſed neglecta, ruere in dies in pejus cœperunt, & tandem prolabi toti in Chaos fœdiſſimorum Dogmatum, amplexusque Traditionum & Mandatorum humanorum, quod CHRISTUS jam ſuo tempore in illis reprehendebat, inprimis Matth. 15. ℣ſ 9. & 13. & ut fieri ſolet, ſi Verbo relicto ad alia ſe convertat mens hominis, Doctores & Auditores magis magisque deficiant, & fabulis ſe ſubmittant, ita factum in hâc gente, ut Rabbini indies plus confinxerint, Diſcipuli plus figmentorum admiſerint, moniti à Chriſtianis, partim Patribus vetuſtioris Eccleſiæ, partim noſtris Doctoribus, aures tamen obturarint, corda aggravarint, & tanquam noctuæ Soli Veritatis adverſati fuerint.

VII. Objectum Religionis hujus eſt *DEUS alienus*, Idolum cordis, quod ſibimetipſis confinxerunt. Omne enim illud Numen, quod Verbum non oſtendit, Scriptura non manifeſtat, & in lineis ſuorum attributorum non exhibet, non eſt Numen, ſed Cerebri proles, fœtus cordis corrupti, adeòque in rei veritate idolum, quod nihil, ſi demas opinionem in Mundo, 1. Corinth. 8 ℣ſ. 4. unde etiam cæteræ rés, circa quas aliàs Religio occupatur, non tam ſunt materia Religionis, quàm Impietatis, quam DEUS abominatur & rejicit.

VIII. Forma conſiſtit in *perverſo ſenſu* Verbo adverſo, in Opinione quadam circa hoc & illud caput fidei, quam ſequitur *Cultus conſimilis*. Impoſſibile enim eſt, ut ſi de rebus divinis non rectè ſentias, rectè, quod colendum eſt & veneratione dignum, colas, venereris & adores; conjunctiſſima quippe hæc duo ſunt, & unum ex altero conſequitur, quod docere poteſt Experimentum per omnium Religionum umbras, ubi qualis ſenſus, talis quoque cultus. Feſtus ex familia Porciorum, Præſes Judææ, confundens Religio-

nem Chriſtianam cum Judaicâ, vocavit illam ſuperſtitionem, communi Romanorum in Judaica ſacra dicterio, & quidem coram Agrippa, Rege, ut conſtat ex Actor. 25. ℣ſ. 19.

IX. Subjectum hujus Religionis ſunt populus quidam diſtinctus, & quidem olim DEI populus & peculium, hodie mortalium ferè omnium miſerrimus, & à gratiæ divinæ præſidio rejectus, cui DEUS diu indulſit, utut fuerint pervicaces & corrupti, Eſa. 1. ℣ſ. 2. 3. Jerem. 2. ℣ſ. 13. Ezech. 2. ℣ſ. 3. & Idololatriæ dediti, Eſa. 2. ℣ſ. 6. 7. 8. Jerem. 11. ℣ſ. 13. Oſ. 4. ℣ſ. 15. 16. 17. crudeles in Prophetas, Luc. 11. ℣ſ 49. Actor. 7. ℣ſ. 52. 1. Theſſal. 2. ℣ſ. 12. Tempore autem CHRISTI fuit gens improba, perverſa, adultera, Matth. 12. ℣ſ. 45. cap. 17. ℣ſ. 17. cap. 12. ℣ſ. 39 quæ in CHRISTUM ſæviit, Actor. 3. ℣ſ. 14. 15. in Apoſtolos, 1. Theſſal. 2. ℣ſ. 14. 15. & propterea ſibi accerſiverunt Excidium, de quo Matth. 23 ℣ſ. 38. Luc. 13. ℣ſ. 35. 1. Theſs. 2. ℣ſ. 16. ut rectè dixerit Tertullianus in Apologetico: *Diſperſi, palabundi & cæli ſoliquе ſui extorres vagantur per orbem ſine homine, ſine DEO, Rege, quibus non advenarum jure terram Patriam veſtigio ſaltem ſalutare conceditur.* Cyprianus ſecutus Magiſtrum: *Cæli ſui profugi per hoſpitia aliena vagantur:* & ut diu hæſerunt in Oriente, ita paulatim etiam in Europam ſe infuderunt, Hiſpaniam, Italiam, Galliam, Angliam, Germaniam, non ſine Pontificum Romanorum Cooperatione, Gregorio ſcil. ſeptimo, ſeculo undecimo, & poſtmodum ſeculo decimo tertio, Gregorio Nono. Gallia verò expulſi ſunt à Philippo Pulchro & Longo. Luſitaniâ ab Emanuele, Poloniâ à Rege Ludovico, Angliâ ejecti ab Eduardo primo; Hiſpaniâ à Rege Ferdinando: alii citiùs, alii ſeriùs, de quo ipſe *Abravaniel.*

X. Deeſt autem Religioni Judaicæ 1. Unitas. Nihil enim in illa cohæret, Rabbinis litigantibus de aliquo puncto fides utrinque debetur, ſubmiſſio bruta, utut dextram dicerent ſiniſtram, & viciſſim. Diviſi fuerunt in octodecim rebus ſectatores Hillelis & Schammæi, quas nec Eliam expedire poſſe credunt. Tempore Chriſti jam inventi Phariſæi, quorum Originem Druſius retulit ad tempora Alexandri Jannæi, Genebrardus ad Jonathanis, qui frater Judæ Maccabæi, qui neque miſeriæ noſtræ profunditatem, neq; regenerationis, neceſſitatem, neq; imputationis Veritatem agnoſcebant, ſed juſtitiæ propriæ omnia tribuebant, Phylacteria dilatabant & fimbrias magnificabant, Fato & immo-

immobili & neceſſitati adſcribebant omnia, eâque occaſione ſideralem etiam coluiſſe ſcientiam, & Planetis & Signiferi iconibus nomina finxiſſe, perhibentur, Animarum μετάβασιν vel impraegnationem aſſerebant, non omnium, ſed bonorum, malorum enim ſtatim ad ſubterraneæ gehennæ ſupplicium detrudi ſtatuebant. Ex hâc opinione natum aliqui arbitrantur, quòd JESUM *alii dicebant Johannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis*. Matth. 16. ℣ſ. 14. Majorum Traditiones non alii magis urgebant; creberrimè lavari, manibus communibus cibum non prehendere, Matth. 15. ℣ſ. 2. Marc. 7. ℣ſ. 4. redeuntes à foro, inter ipſas epulas aquis ablui. ut colligitur ex Johann. 2. cum peccatoribus cibum non capere, Matth. 9. imò ab iisdem tangi ſumma erat iſtis religio Luc. 7. ℣ſ. 39. Sabbathi tam immodica apud eos vigebat obſervatio, ut neque ſanari ægros tum vellent Luc. 6. ℣ſ. 7. neque ab iis, qui ſanati eſſent, grabatum, in quo ægri jacuiſſent, humeris domum ferri Johann. 9. ℣ſ. 10. neque à famelicis frumenti ſpicas velli, aut ad eſum atteri. Matth 20. ℣ſ. 2. Frequens inter eos jejunium, frequens oratio, vitæ mirè affectata auctoritas, Decimarum omnium, etiam minimarum, penſio Matth. 23. ℣ſ. 23. Studii etiam plurimum ponebant, ut ad Judaiſmum gentiles traducerent. ad quam προσήλυσιν tria Talmudici Doctores neceſſaria fuiſſe dicunt, videlicet קָרְבָּן מִילָה טְבִילָה וְדַם שֶׁה Circumciſionem, baptiſma, & Sanguinem oblationis, ſeu hoſtiam cruentam. addiderunt tamen, ſi fœmina fuerit, neceſſaria tantùm baptiſma, & oblationem. fimbrias lege præceptas fecerunt grandes, & acutiſſimas in eis ſpinas ligabant, ut videlicet ambulantes & ſedentes interdum pungerentur, & hac admonitione retraherentur ad officia Domini & miniſteria ſervitutis. Impiam in parentes pietatem filiis ſuadebant. Matth. 15. ℣ſ. 5. Ineptas jurandi formulas exigebant Matth. 23. ℣ſ. 16. Denique Chriſtum Davidis Filium profeſſi, DEI Filium negabant. Appendix erat Secta Hemerobaptiſtarum, qui merſatione Phariſæos excedebant. Sadducæi non dicti ita à צדק Tſedek juſtitia, ut voluit *Epiphanius* hæreſi 14. *Hieronymus*, *Alphonſus Toſtatus*, *Melanchton* & alii, ſed à Zadok primo hujus Sectæ Conditore, Diſcipulo Antigoni Sochæi, quorum diverſa à Phariſæorum opinionibus dogmata ex ſuprà laudato *Serario* habemus talia: *Prophetis & Hagiographis omnibus rejectis unum Moſen recipiebant*; quanquam

hoc nos non admittamus, unde ſunt, qui putant, quum aliæ plures & clariores ſuppeterent Scripturæ, uti voluiſſe Chriſtum adverſus eos tantùm illis Moſaicis, *Ego ſum* D*eus Abraham,* D*eus Jizhak &c. Legem oretenus datam reſpuentes ſoli literæ inhærebant,quam ob Cauſam Caraim,*q. d.*Scripturarii,vocabantur,*quanquam in hoc non errarint. *Præmia poſt vitam & ſupplicia æterna,adeoq; & animorum perpetuitatẽ,oppugnabant,& Angelos negabãt. Deum prætereà neq; malum facere,neq; perſpicere perſuaſi, homines ſecundum carnem vivere, Epicuræam potius dementiam quam divinæ legis jura ſectari,fatum tollere,agreſtem vitam ducere,crudelitati ſtudere, voce & vita docebant.* Alii addunt Baithoſæos, de quibus tamen non conſtat,quantum diſceſſerint à Sadducæis. Eſſeni,quos quidam dictos eſſe volunt ab Urbe Eſſâ,de quâ Joſephus Libro 13. cap. 23. quidã ab Ebræa voce Choſen, quæ à Vulgato redditur Rationale, quidam à Chaldaico nomine עָשִׁין Aſin, quod notat fortem & robuſtum; alii aliunde. Probabilis eſt ſententia *Nicolai Fulleri*, qui derivare vult hanc vocem à חסי vel חסה quod eſt è loco in locum ſe recipere,ut ita dicti ſint à latitando: forſan ex afflictione, quam patiebantur Judæi poſt captivitatem Babylonicam, Semina hujus ſectæ erunt repetenda: qui Chriſtum D**ei** Filium non expectarunt, neque in lege, neque in Prophetis, eum Dominum agnoverunt annunciatum, ſed aut Prophetam,aut juſtum Hominem tantùm. Præterea Fato & D**eo** adſcripſerunt omnia, liberum arbitrium homini non ademerunt, voluptatum fortiſſimi contemtores contra incontinentiam, opum deſideria, aliasque animi libidines pugnabant. Nuptiarum apud eos nulla contractio, non quòd nuptias quaſi per ſe malas, vel ex iis procreationem & ſucceſſionem, contemnerent, ſed quia ſibi vel à ſolita ſub iſtis temporibus perfidia cavendum putabant, & nihilo tamen minus in cœtum & multitudinem augebantur, ut Plinius tanquam incredibile dictu miratus fuerit, *per ſeculorum millia gentem æternam, in qua nemo naſcitur.* Pueros alienos ad virtutem & religionem erudiebant. Veſtitus eorum erat modeſtus & ſimplex, Mutatoria veſtis nulla; ſedem fixerant non in una tantum urbe & loco, ſed in pluribus, imò in urbe qualibet multi habitabant. Hoſpitalitatis præcipuè in hæretiſtas i. e. ejusdem ſocietatis homines erant ſtudioſiſſimi. Antelucani ad Solem preces fuderunt, ferè ad meridiem usque labore manuum ſuarum victum quæſiverunt. Poſtea

congre-

congregati, aquis frigidis loti, poſt lotionem fuſis precibus frugaliter ederunt. Cæterùm ex Epimeletarum & curatorum ſuorum imperio omnia agentes Rei nullius abſolutum Dominium habebant. Iræ juſtæ diſpenſatores ſunt, animique coërcitores, fidei antiſtites, pacis adminiſtri, quicquid dictum ab iis, id jurejurando, quod vitant, firmius eſt. De Obedientia in DEUM & homines ſuperiores præclariſſimè ſentiunt, Sabbathum obſervant, neceſſitati prudenter ſerviunt. In adverſis ipſos dolores animis vincunt, Mortem contemnunt, & animorum perennitatem conſtantiſſimè tuentur. Erant inter eos quoque, qui futura prædicerent, & rarò in prædictionibus à ſcopo aberrarent. Fuerunt & aliæ aliarum Opinionum ſectæ unde *Origenes* jam ſuo tempore Lib. III. *Judaiſmus ipſe, quot non ſectas de ſe fatetur?* Diſſident adhuc inter Judæos illi, qui Phariſæorum placita ſequuntur, ab illis, qui Sadducæis adhærent, & quidem Deuterotæ tanto odio proſequuntur Karæos, ut non recipiant ad ſe venientem ex illis, niſi prius ad Turcas vel Chriſtianos deflexerit, & hinc redeat ad eos defœcato Karæiſmo. Inveniuntur autem Sadducæi adhuc Conſtantinopoli, in Cayro & Ruſſiâ, Teſte *Rabi Juda de Modena* cap. 14. & in Hiſpania, quanquam, ſi *Druſio* fides, hodierni admittant Reſurrectionem; interim hoc conſtat, quod *Uriel Juriſta Ebræus* ſcripſerit Examen Traditionum Phariſaicarum, collatarum cum Lege ſcriptâ, in quo nonnullis argumentis oſtendere anniſus fuit Animæ humanæ mortalitatem, cui ſe oppoſuit *Samuel de Sylva* pro immortalitate depugnans: excommunicatus fuit autem ille *Uriel* per ſeptennium, & excluſus à Cœtu Judæorum, tandem receptus ita flagellatus eſt publicè in Synagoga, ut mœrore correptus ſeipſum interfecerit, & ſcriptum reliquerit, in quo ſequentia leguntur: *Unum inter multa miror, & verè mirandum eſt, quomodo poſſint Judæi inter Chriſtianos agentes uti tanta libertate, ut etiam judicia exerceant; & verè dicere poſſum, quòd ſi JESUS Nazarenus, quem Chriſtiani adeò colunt, concionaretur Amſtelrodami, & placeret Phariſæis illum denuò flagris cædere, propterea quòd traditiones illorum impugnaret, & hypocriſin objiceret, hoc libere facere poſſent. Certe hoc ignominioſum eſt, quod tolerari non debuit in civitate libera, quæ profitetur ſubditos in libertate & pace tueri, & tamen non tuetur à Phariſæorum injuriis. Et quando quis non habet defenſorem aut vindicem, quid miſer faciet?*

XI. Deeſt

XI. Deeſt II. maximè Veritas huic Typo credendi. Errant illi circa principium fidei. Quamvis enim videantur admittere Scripturam V. T., Hagiographa tamen & Danielem nimium deprimunt. illa quidem, dum aſſerunt, ea exarata eſſe à Spiritu S. oppoſitè ad Prophetas, cùm tamen Spiritus Sanctus & Spiritus Prophetiæ ſint unus idemque Spiritus, omnes Libri V. T. θεόπνευστοι, & ſecundum *Majemonidem in Morèh Nevochim* p. 2. cap. 45. *Daniel, & Pſalmi, & libellus Ruth, & libellus Eſther, omnia hæc per Spiritum S. ſcripta, omnes etiam generatim Prophetæ appellentur*: hunc verò, dum ex ordine Prophetarum eundem excludunt, cùm tamen plenus fuerit Spiritu Prophetico, & ſummè deprædicatus ab ipſo DEO, Ezech. 28. ℣ſ. 4. à Joſepho Lib. 10. Antiq. cap. 12. magni æſtimatus; utpote qui non tantùm μέλλοντα prædixerit, ut alii Prophetæ, ſed etiam tempus determinarit, in quo hæc ventura. Ipſe *Don Abravaniel* in Sententiam conceſſit contrariam. Adde contemptum illum deteſtabilem Eccleſiaſtis, *quòd* ſcil. *polluat manus*. Moſis verò Libros nimium exaltant, dum *contra reliqua Scripta, Canonica argumenta peti poſſe ex Moſaicis* ſtatuunt. Traditionibus quoque tantum deferunt, ut *Iſaac Corbelenſis* ſcribere non ſit veritus: *ne putes fundamentum eſſe Legem ſcriptam, quia contra fundamentum eſt Lex oralis: quippe juxta Legem oralem pactum eſt fœdus, ſicut ſcriptum eſt* Exod. 34. ℣ſ. 27. Adde maledicta in Evangelium & Libros N. T. apud *Lipmanum*. Vide hîc noſtrum *Schickhardum*, & *Guilielmum Vorſtium*. Errant in ipſa Articulorum ſerie de DEO, de homine integro & corrupto, de Meſſia, de gratiâ, de juſtificatione, de Lege, de ultimis. Quàm abſurdum illud, quod de DEO pronunciant dicendo? *Quando DEus recordatur filiorum ſuorum, quod habitent in afflictione inter nationes mundi, demittit duas lacrymas in mare magnum, quarum ſonitus auditur ab uno fine mundi ad alterum*. Quam impium, quod Trinitatem abnegent, Chriſtianis opponentes, quod fidei ſuæ fundamenta ſuperſtruant rebus impoſſibilibus & captum omnem ſuperantibus! quàm inſulſum, quod Spiritum S. negant perſonam eſſe, ſed inter gradus & ſpecies revelationis referunt! quàm conficta diſtinctio Angelorum in ſeparatos à materia, Angelos miniſterii, qui regunt Mundum, & Angelos Domini & mortis, quibus accenſent *Lilith*, nomen fœminei Spiritus; Ordines illi decem, quos ſtatuunt! nec abſimiliter

militer à vero dici poſſe aſſerit *Menaſſe Ben-Iſraël*, *Diabolos ſimul cum inferno creatos eſſe. Nam in Bereſit Rabba*, inquit, *probatur hoc ex Pſalmiſta: qui contignat aquas in aquis ſuperiora ejus; qui ponit nubem currum ſuum; qui ambulat ſuper extremitates venti; qui facit angelos ſpiritus, miniſtros ſuos ignem urentem. Ex quo perſpicimus, eos non tantum creatos eſſe iſto tempore, quo* DEUS *dividebat aquas ab aquis; quod accidit die ſecundo: verùm etiam corpora eorum compoſita eſſe ex duobus elementis ſubtiliſſimis, aëre ſcilicet & igne.* Quam præpoſterè philoſophantur de Cœlo? Annon *Maimonides: Omnes*, ſcribit, *ſtellæ, atque orbes præditi ſunt anima, notitia, atque ſapientia; atque vitam agunt, permanentque; & cognoſcunt eum, cujus d Eo factus eſt mundus; unaquæque pro ratione dignitatis atque excellentiæ ſuæ celebrat atq; glorificat formatorem ſuum, uti angeli. Et uti cognoſcunt* DEUM, *ſic etiam intelligunt ſemetipſos, atq; apprehendunt angelos, qui ſunt ſupra illos: ſed cognitio ſtellarum & orbium eſt inferior notitia angelorum, major autem cognitione hominum.* De Orbibus, *quod apprehendant opera ſua, quòdque voluntatem & electionem habeant in regimen illud, quod eis datum eſt (hoc eſt in ea, quorum regimen & gubernatio illis conceſſa eſt) quemadmodum & nos voluntatem & electionem habemus in regimine illo, quod nobis datum eſt, illudque à momento nativitatis in poteſtate noſtra habemus: hac tamen cum differentia, quòd noſtræ actiones ſint viliores, & quod gubernationem ac operationem noſtram præcedat privatio; Intelligentiæ verò ſphæræ ſemper faciant bonum, & quod apud eos nil ſit niſi bonum, & quicquid habent, id in perfectione & actu ſemper eis inſit à primo eorum principio.* Quam inconvenienter differit de animarum Creatione *Menaſſeh Ben-Iſraël* libr. 2. de Reſurr. cap. 19. *ſtatuens, in principio omnium creaturarum creatas eſſe*; de conjugio animarum, ſcribens: *Si homo meretur, & dignus judicatur, obtingit illi ſuum par, id eſt, ea perſona, quîcum creatus fuit, idque præmii loco. Sin minus, pœnæ loco tali conjungitur perſonæ, quæ cum ejus moribus non convenit, ac proinde quîcum ei in rixis, & contentionibus, & id genus aliis miſeriis, aſſiduè ferè vivendum eſt.* Quam ſtultè inſaniunt de Creatione primi hominis dicentes: *Concorpores eſſe conditos Adamum & Evam. Semuel bar Nah-*

man, inquit *Menaſſe*, *mulierem conjunctim cum Adamo creatam*, & *quaſi pice agglutinatam ſcapulis ejus exiſtimabat, ita ut à fronte Adamus, à tergo Eva eſſet.* Imò ipſe *Menaſſeh* adductis argumentis id confirmare ſatagit, utut alii ſocii in alia ſint ſententia, *Maimonides*, *Salomon Jarchi*, *Abarbanel*, maximè urgens locum Gen. 1. ℣ſ. 27. in quem conſpirent exponendo. Ita enim ille: *Adamum & Evam primo non bicorpores, ſed concorpores fuiſſe, & corpus hoc vocatum Adam, quæ vox matrem & feminam ſimul denotet, propriaque ſignificatione ambos contineat.* Quàm inſipienter de anima defuncti loquuntur? *Certo dari ſcil. ſpiritus quosdam, quorum tanta poteſtas in animas hominum defunctorum ſit, ut eas ſibi ſubjectas habeant, & quo ipſis videtur corpore induant. Sed neceſſe eſt, ut id faciant intra ſpatium XII. menſium poſt exceſſum hominis. Nam per id tempus ſæpenumero (ut in* Gemara Sabat *legitur) anima aſcendit & deſcendit ad corpus. Et ratio eſt: anno integro anima non omnino abeſt à corpore ſuo, neque amorem domicilii ſui plane abjicit: hinc, quamdiu annus iſte abſolutus non eſt, remigrare ac retrahi poteſt à ſpiritibus in corpus ſuum, quippe qui in aëre habitant.* Quàm ineptiunt ſtatuentes transmigrationem animarum de corpore in corpus! quam ſententiam adoptavit *Menaſſeh Ben-Iſraël* lib. 2. de Reſurr. cap. 17. ſcribens: *Celebris, ac decantata illa opinio Cabaliſtarum, de transmigratione animarum fundamentum ſuum juxta eos habet in gratia, ac miſericordia divina. Addunt verò iidem, quod ſicut operationes animæ plerumque ſequuntur temperamentum corporis; ita animæ etiam aliquo modo apud* D e u m *conquerantur de eo, quod in meliora, & aptius diſpoſita corpora ab eo non fuerint miſſæ ac compactæ, cum tota differentiæ, quæ inter homines eſt, ratio à corporum temperamento vario dependeat. Hinc cholericus fortè dicat, in corpore meo prædominatur bilis; ignavus, ac ſegnis, in corpore meo phlegma, ſeu pituita redundat; libidinoſus, in meo ſanguis bullit, atque ita in reliquis. Ob hanc rem Dominus* D e u s, *ne habeant animæ, quod conquerantur aut prætexant, eas in alia nova corpora transmigrare facit; & quidem triplici de cauſa; vel ut perfectionem iſtam acquirant, quam ob malam prioris corporis temperiem conſequi non potuerant, vel ut perfectiores multo, imo omnibus virtutum numeris abſolutæ fiant*

in

in hoc mundo, qui virtuti exercendæ deſtinatus eſt, uti futurus mundus præmio ac remunerationi; vel denique, ut caſtigentur, & à peccatis, à vitiis iſtis purgentur, quæ in priore corpore commiſerant, ut ita purgatæ, ac liberatæ à peccatis in hoc mundo, in mundo animarum bonis quibusdam frui poſſint; atq; ita transmigratio hæc tota cedat bono ac commodo animæ. Quàm exiliter ſentiunt de Reſurrectione: Ita enim *Menaſſe Ben Iſraël: ex mente, ac opinione omnium antiquorum, concludimus, reſurrectionem mortuorum non fore generalem, ac communem omnibus hominibus; uti etiam ex loco Danielis conſtat, multi ex dormientibus in pulvere terræ expergiſcentur. Nota quod dicat multos, non verò omnes. Interea tamen inter multos illos erunt cujusvis ſortis ac conditionis homines, probi, improbi, & intermedii.* Errant denique, dum de Adventu Meſſiæ diſputant, & veniſſe illum temporibus Hiskiæ Judæ Regis, cum *Rabi Hillele* opinantur, cùm tamen venire debuerit Meſſias templo ſecundo erecto, non primo: vel *natum eſſe & latère ob populi Judaici peccata, ad portam Romæ ſedere inter pauperes ulceribus oneratos* aſſerunt, cùm tamen nihil habeatur in Scripturâ de Exiſtentia Meſſiæ in Urbe Roma, ſed Bethlehem Juda deprædicetur ob nativitatem Meſſiæ, Mich. 5. Terra Sabulon & Naphthali ob prædicationem, Eſa. 9. Filia Sion, ſive Urbs Jeruſalem ob adventum ad Paſſionem Zachar. 9. vel denique venturum adhuc, cum *Menaſſèh Ben-Iſraël*, ferè eodem tempore, quo mortui reſurgent, cùm tamen aliud tempus definiverit Daniel cap. 9. ℣ſ. 24. imò ſunt ex Judæis, qui prohibent ſupputare tempora Meſſiæ, Inquiſitionem Adventus, quem tam ſolicitè deſiderarunt Patriarchæ & Prophetæ, cum tota Eccleſia priſca, deteſtantur. In Codice *Sanhedrin* Cap. XI. hæc habentur: *Rogavit R. Jhoſua filius Levi Eliam, quando venturus eſſet Meſſias, & ille abi, inquit, & ipſum interroga. Ubinam eſt? quæſivit. Ad portam Romæ, inquit. Quo ille ſigno agnoſci poteſt? Sedet, inquit, inter pauperes ulceribus oneratos. Ceteri omnes ulcera ſua ſimul ſolvunt & obligant, ille ſingula, quando ſolvit, ſtatim obligat, ea mente, ne, ſi venire ipſum neceſſe ſit, in mora ſit quidquam. Aggreſſus ipſum ita ſum affatus: Pax tibi, Domine, & Doctor mi. Et ille: Pax tibi, fili Levi. Tum ego: quando aderis, Domine? Hodiè, inquit. Veni ad Eliam; & is, quid mihi dixiſſet, quæſivit. Pax tibi ſit,*

fili Levi, dixit, inquam. Tum ille: His verbis tibi & parenti tuo vitam æternam promiſit. Atqui, inquam, ludiſicatus me eſt. Nam dixit mihi, ſe hac die venturum. Et is; ſic tibi dixit, inquit: Hodie, ſi vocem ipſius audieritis. In Judæorum verò Emunat à Münſtero edita, pag. 43. hæc leguntur: *Ante multos annos Meſſias natus eſt, juxta mentem traditionis, quæ dicit, quod Meſſias manebit Romæ, uſque dum devaſtaverit eam, haud ſecus quam invenimus in Moſche, Præceptore noſtro, qui eſt in pace, qui fuit enutritus in domo Pharaonis, donec ultio fuit ſumpta de eo, & ſubmerſit totum populum ejus in mari: ſed non venit, poſtquam natus eſt, & redemit Iſraëlem, ſed poſt aliquot annos, ex præcepto* Dei *benedicti, dixitque ad Pharaonem: ſic ait Dominus: dimitte populum meum, ut ſerviat mihi. Sic Meſchias, quando acceſſerit tempus determinatum, veniet ad Papam ex mandato* Dei, *& dicet illi: dimitte populum meum, ut ſerviat mihi. Tunc ipſe veniet, & usq; ad tempus illud non dicitur veniſſe. Unde in templo ſecundo ipſe non venit, neq; fuit Meſchias; ſicut nec David Rex die, quo natus eſt, fuit Rex, neq; unctus, ſed eo tempore, quo unxit eum Samuel ex præcepto* Dei, *tunc factus eſt Rex unctus. Sic quoque, quando Elias unxerit Meſchiam ex præcepto* Dei, *tunc erit Meſchias, & veniet, etiamſi jam natus ſit ante multum tempus, nempe in die deſolationis domus ſecundæ, & maneat in horto Paradiſi, quemadmodum dixerunt ſapientes in libris traditionum.* Blaſphemias verò in verum Meſſiam conſignavit *Münſterus* in Scholiis ad Matth. cap. 1. & ſeqq.

XII. Deeſt III. Sanctitas. Quicquid enim fulget in toto Judaiſmo, mera Hypocriſis. Laborant Superſtitione tantâ, ut *numerum excedat pilorum de decem vaccis* teſte *Luthero*; Magiæ ſtudio, ex quo etiam Gentilibus infames, Juvenali ridente illos & ſcribente,

Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem.
Interpres Legum Solymarum, & magna Sacerdos
Arboris ac ſummi fida inter Numina Cœli
Qualiacunque voles, Judæi ſomnia vendunt.

Juramentorum abuſu, dum leviora permittunt, per Creaturas facta non obligare docent, Matth. 23. ℣. 16. Orationum oſtentatione, per *Thephillin* ſeu faſcias oratorias, de quibus *Buxtorf.* cap. 6. Uſu ſacri-

ſu ſacrificiorum, inprimis Galli gallinacei, de quo *Buxt.* cap. 20. Rigore in Sabbatho obſervando & conjuncta Luxuria ejusdem diei; de quo Matth. 12. ℣ſ. 1. ferocia in Magiſtratum & Principes gentium, quam toties explicarunt ipſo facto, vid. Actor. 5. ℣ſ. 36. 37. Siti ſanguinis & odio implacabili in Chriſtianos, qui paſſim contra illos tumultus concitarunt, ut conſtat ex Actorum Apoſtolicorum Hiſtoriâ, nefariis auſibus in Hiſpania, Germania, Gallia, Anglia, per veneni diſſeminationes, fontium corruptiones, infantum & puerorum ſuſpenſiones, lancinationes, unde illud erroneum natum, quòd Judæi Chriſtianorum ſanguinem expectent, ut docet *Dilher. lib. 1. Elector. cap. 13. pag. 76. & ſeq.* de ſuo tempore Tacitus pronunciavit, *quod fides apud illos ſit obſtinata, miſericordia in promptu, adverſus omnes alios hoſtile odium. Juſtinus Apol. 2.* docet, *quòd Judæi Chriſtianos pro hoſtibus & inimicis habeant, &, cùm poſſint, occidant & excrucient.* Libidine prodigioſa, polygamiâ, cum ipſis nullum peccatum, & in Italia quandoque licentiam illius impetrant à Papa, alibi autem in Turcia ſcil. Perſia & reliquis Aſiæ partibus indulgent ſibi quantum poſſunt, repudiant etiam ob quamcunque occaſionem, ut ipſe *R. Juda de Modeta* prodit: ineunt etiam Conjugium paſſim, cùm ad juſtam ætatem nondum adoleverunt. appetitu inſatiabali nummi, unde omnis vita illorum quæſtus, & Mercatura, fœnus, quod exercent, funus Chriſtianorum, fraudes, doli, ſtudium quotidianum. Linguæ tandem vafritie, quâm mobilem eſſe volunt, in quævis falſa, conficta, calumnioſa, teſte Experientia. Quàm turpiter perverterint totam doctrinam Legis, vel ſola Lectio Capit. quinti apud Matth. docere poteſt, quomodo ipſi diſpenſare ſoleant in præceptis affirmativis, maximè circa mulieres oſtendit *Judas de Modena cap. 32. Joſephus de Judæis* propria gente lib. 2. de Bello Judaico cap. 16. ſcribit: *Si Romani contra noxios venire tardaſſent, hiatu terræ devorandam fuiſſe Civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum aut Sodomæ incendium paſſuram, multò magis enim impiam progeniem tuliſſe, quam Sodoma tulerat.*

XIII. Deeſt IV. Antiquitas, quam enim hodie fovent Religionem Judæi, illa δὶς διὰ πασῶν diſtat à veteri vera; Apoſtaſia à Religione Patriarcharum & fidelium V. T. novum eſt, quod dicunt de DEO, illum *orare*, & *per tres primas diei horas ſtudiis invigi-*

lare, atq; ſi recordetur filiorum ſuorum, Judæorum ſcil. afflictiones, lachrymas demittere in mare magnum, quarum ſonus audiatur ab uno fine Mundi ad alterum; novum eſt, quod *Deus Angelos compoſuerit ex duobus Elementis ſubtiliſſimis aëre & igne.* Novum, quòd *omnes animæ hominum primo die creationis ſint productæ;* novum, quod *Adamus & Eva fuerint conglutinata corpora, ita ut à fronte Adamus, à tergo Eva;* novum, quod *Cœlum ſit animatum;* novum, quod *Deus juſſerit offerre ſacrificium per ſe propitiatorium, quia condiderit Lunam minorem Sole;* novum, quod *animæ ſeparatæ poſt mortem hominis oberrent per annum adhuc circa cadaver, & à Dæmonibus facilè in corpora ſua reducantur;* novum, quòd *animæ transmigrent in alia corpora;* novum, quod *Beatitudo æterna corporalis quædam Refectio & Gaudium.*

XIV. Deeſt V. Efficacia. Nihil enim ſolidi in fabulis Judaicis, nullum ſolatium ex illarum doctrina, nullus ſuccus ex hoc pumice. Admove, quicquid eſt Judaicorum Commentorum menti afflictæ, cordi contrito, nihil proficies, & medicinæ deprehendes inutilem operam. Omnia ex hoc Myrothecio, imò ex hâc religione, non niſi excœcatio cordis, durities & ſenſus ſanioris ſtupor: unde etiam Apoſtolus docet: κάλυμμα *obductum eſſe cordibus ipſorum*, ut Scripta V. T. non intelligant, Moſen de Chriſto teſtificantem non capiant.

XV. Deeſt denique Invincibilitas. Confuſi ſunt à Patribus, *Juſtino Martyre* diſceptante cum Tryphone, *Tertulliano* contra Judæos, *Cypriano* adverſus eosdem, *Euſebio* in demonſtrationibus evangelicis, *Gregorio, Nyſſeno, Chryſoſtomo, Cyrillo, Auguſtino, Prudentio, Iſidoro Hiſpalenſi.* Ex poſterioribus egerunt contra illos *Nicolaus Lyra, Paulus Burgenſis, Raymundus Martini, Petrus de la Cevalleria, Antonius Margarita, Porchetus Salvaticus, Paulus Weidnerus*, inprimis verò *Petrus Galatinus*, qui ſecundum quosdam multa ex *Raymundo* transtuliſſe fertur, *Lutherus, Fagius, Münſterus, Mornæus, Johann-Conradus Otto, Buxtorfius, Helvicus, Jacobus Martini*, & noſter *Schickhardus*, ambulant adhuc inter homines reliquarum Gentium, in exemplum Iræ & maledictionis nec ullam poſſunt vel juvenire Religionem in quâ quiete agant, vel conſtituere alibi Religionem, utut anniſi fuerint. Et ſunt Bibliothe-

bliothecarii Chriſtianorum, de quo *Auguſtinus: Propterea autem adhuc Judæi ſunt, ut libros noſtros portent ad confuſionem ſuam. Quando enim volumus oſtendere prophetarum* CHRISTUM*, proferimus Paganis iſtas literas. Et ne forte dicant duri ad fidem, quia nos illas Chriſtiani compoſuimus, ut cum Evangelio quod prædicamus finxerimus Prophetas, per quos prædictum videretur quod prædicamus, hinc eos convincimus, quia omnes ipſæ literæ, quibus* CHRISTUS *prophetatus eſt, apud Judæos ſunt, omnes ipſas literas habent Judæi. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos. In quali ergo opprobrio ſunt Judæi? Codicem portat Judæus, unde credat Chriſtianus. Librarii noſtri facti ſunt, quomodo ſolent ſervi poſt dominos codices ferre: ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.*

DISPUTATIO NONA
De
MUHAMEDISMO,
THESIS I.

MUhamediſmus à *Muhamede Abnabdilla* cognomine dictus, quem aliàs etiam *Achmed Abulkaſim & Muſtaphan* vocant: filius fuit *Abdallæ*, nepos *Abdalmutalobi*, notatione Arabs, & notat, ut quidam volunt, clarum, celebrem, inſignem, vel, ut alii cenſent, Virum Deſideriorum, amabilem, ἱμέρμιον, Deſiderium. Matrem habuit *Erinam*, filiam *Vehebi*. Ut autem hæc Secta dicitur ita ab Authore, ita aliis quoque nominibus inſignitur, & nunc *Islamiſmus*, nunc *Saraceniſmus*, nunc *Mauriſmus*, nunc *Iſmaëliſmus* appellatur; primus titulus eſt à Salute, nam à radice סלם Salam, Turci Muhamedini ſe appellant *Islamos*, id eſt, concordes, unanimes, inter ſe pacificos; ut narrat *Joannes Leonclavius*, lib. 1. hiſtoriæ Muſulmanæ Turcorum. Iidem Chriſtianos appellant *Gauros*, veluti gentiles aut Paganos: teſte *Leonclavio*, eodem libro. homines enim à religione Muhammedana alienos vocant *Gauros*, fortaſſe ab Hebraico nomine ger, Chald. & Syriace, gor & gar, id eſt, peregrinus, ſeu, extraneus: vel à vocabulo gaura, quod Syriacè ſignificat adulterium, aut vagam libidinem,

nem. Chriſtianos etiam Turci nominare conſueverunt *Giafiros*, ut ſcribit Leunclavius lib. 18 Hiſtoriæ Muſulmanæ Turcorum. Alter eſt non à Sara, ut quidam ſomniarunt, nec à Saraca oppido, ut voluit *Stephanus*, cùm Saraca fuerit in Sabæis, loco à *Nabathæis* remotiſſimo, neque à vico *Sawarakia* medio inter *Meccham* & *Medinam*, cùm ita dicendi eſſent *Sawarakeni*; ſed à סרק Sarik vel Saraka, quia Saraceni λῃστρικοὶ ex rapto viventes: quanquam dubium ſuboriri poſſit, cùm non credibile, hoc nomine infami ſe inſignire voluiſſe; quod tamen facilè diſcutitur, ſi dicatur, non ſeipſos ita appellare, ſed à vicinis populis per contemptum ita dici. Subſcribit nobiliſſimus Author, cujus ſunt ſequentia: *Deducunt quidam hoc nomen à Saran, quæ vox arabica, ſecretum ſeu arcanum ſignificat, eò quod Iſmaëlitæ primas ſuas ſedes in montanis Arabiæ receſſibus haberent. Qui, autem montani illi Arabes vicinos excurſionibus infeſtabant, inde dicti ſunt Saraceni, quaſi fures & raptores.* Tertius eſt à vitæ conditione, nam, ſecundum Calcocondylam, Turcus ſignificat hominem, qui agreſtiorem ſequitur vitæ rationem inſtar Nomadum, cui adſtipulatur *Leonclavius*, qui teſtatur *Turgmen* eſſe idem nomen cum *Tureg* & *Zurck* & *Turcman*, & ſignificare eum, qui Nomadum more vivit. Quartus à gente, cum *Mauri* jam inde à tempore infuſionis in *Africam*, & adhuc hodiè ſint Legis Muhameticæ ſtudioſiſſimi & Religioni huic addictiſſimi. Quintus tandem ab *Iſmaële*, filio *Abrahami*, unde *Elmacinus*: *Expulit Abrahamus Iſmaëlem & Hagarem in terram Higkias, partem ſcil. Arabiæ, qui nunc Meccha, ibique Iſmaël habitavit, uxoremq́ duxit è mulieribus Highuaſinis, & locutus eſt arabicè: liberi autem ejus appellabantur Iſmaëlitæ.* Cui vicinum nomen Kedarenorum à Kedar filio Iſmaëlis, de quo Gen. 35 ℣. 14.

II. Deſcribi poteſt, quòd ſit hominum à Veritate patefactâ deficientium, falſus de DEO & rebus divinis ſecundum Coranum ſenſus & opinio. Cùm nihil certi in Religione illâ, ideòque rectè dicitur *Opinio*, quæ ſpeciem mentitur alicujus Veritatis & Religionis, ſed reapſe nihil aliud eſt, quàm ſomnium quoddam mentis ſemiſepultæ & deceptæ, quæ deceptio maximè agnoſci & explicari poteſt ex principio, cui hæc Secta adhæret, quod eſt *Alcoranus*: dicitur *Koran* ſeu *Karan* abjecto præfixo articulo Al, quaſi Confeſſio aut correctio, qui non tantùm contineat,

quod

quod confiteantur, ſed & corrigat, quæ in Libris V. & N. T. crudius poſita; quanquam aliis placeat, potius Koranum notare Lectionem à קרא Kara, vel Collectionem ſcil. illorum, quæ in Schedis reliquit Muhamedes, quæque ſucceſſores illius dein ἀτάκτως congeſſerunt, & in Librum redegerunt. *Thomas Erpenius* in Scholiis ſuis ad Hiſtoriam Joſephi Patriarchæ alcoranicam hanc in Collectione Surатarum ſeu capitum maximè probat: Schindlerus tamen præfert Originem à verbo Karan, & Coranum vult ſignificare confeſſionem. Arabes hunc librum vocant *Alphurcan*, *Furcan* autem à radice פרק farak diviſit, diſcrevit, diſſeminavit, quia ſcil. ut ipſi exponunt, disſectæ ſunt ſententiæ & figuræ in illo, nec ſimul deſcendit verbum DEI ſuper Mahumedem. Conſpirat *Cardinalis Cuſanus in Cribratione Alcorani* lib. 1. cap. 11. Hominum autem eſt *à veritate patefactâ deficientium.* Revelarat enim DEUS ſe tam liberaliter tempore N. T. ut Evangelium in toto Orbe fuerit prædicatum, miſerat Apoſtolos & Apoſtolicos Viros in omnem terram, & quò pes illorum non devenit, eò Sonus tamen illorum, Gratiam ebuccinans, ſalutem denuncians; ſed cæpit vileſcere aurum, & dilexerunt homines tenebras præ luce, adeòque à veritate patefacta defecerunt, & quidem totaliter Scripta Prophetarum & Apoſtolorum negligendo, nauſeando, & formam credendorum in illis præſcriptam abnegando, & in aliud quoddam Ectypoma ſe transferendo.

III. Cauſa hujus defectionis & amplexus alterius Religionis non tantùm fuit Diabolus, Pater mendacii, cujus proprium ἔργον, per dogmata falſa ſeducere; non tantùm ingenitum illud nobis malum ex lapſu ad ruinam hominem magis magisque inclinans, ſenſus ſcil. carnis, cui illa, quæ in Verbo proponuntur, mera ſtultitia, ſed & Hæreticorum præcurrentium dogmata paſſim diſſeminata & diſperſa, quæ deinde in unam ſentinam fuerunt collecta, Malacia Chriſtianorum & mores perditiſſimi, de quo conqueritur *Salvianus Epiſcopus Maſſilienſis*, ſcribens: *cùm penè nullam Chriſtianorum partem omnium, penè nullum Eccleſiarum omnium angulum, non plenum omni offenſione & omni lethalium peccatorum labe, videamus, quid eſt, in quo nobis de Chriſtiano nomine blandiamur?* Ambitio Epiſcoporum, & Myſterii Iniquitatis Vis emergens, Robur Romani Imperii imminutum.

IV. In Summam collegit has cauſas nonnemo his verbis: *Cùm*

X *Muha-*

Mubamed vidiſſet craſſam Arabum Idololatriam, agreſtemq; Politiam; Judæorum diſperſionem, contemptum, & vires plane attritas; Chriſtianos verò partim diſſidiis inteſtinis diſtractos, partim etiam in ipſa vita, illos præſertim, qui innocentiæ facem aliis præferre debuiſſent, diſſolutos fuiſſe: Avaritia cumprimis, quæ jam inde à longo tempore egerat altas radices (vide Baron. A. Ch. CCLIII. S. 26. & ſeqq.) non procerum tantùm animos occupavit, ſed & plebejorum. Nam & illa ætas multos tulit, ut Comici utar verbis, harpagonas, harpyas, & Tantalos. In opibus magnis pauperes, & ſitibundos in medio Oceani gurgite. Nullæ ipſis ſatis erant divitiæ, non Mydæ, non Crœſi, non omnis Perſarum copia explere poterat quorundam ingluviem. Hinc eſt, quod Bartholomæus de Luca, Iſidorus, Richardus, Bernhardus de Breidenbach, magnæ illius apoſtaſiæ cauſam non poſtremam rejiciant in Heraclii & quæſtorum ejus ſordidam avaritiam. Conſtat & hoc, Chriſtianos de litibus forenſibus ſub quolibet Magiſtratu contendiſſe: mutuis uſuris ſe exhauſiſſe, & tantùm non deglutiviſſe: aleæ & Schachorum luſu delectatos eſſe, & nec ab iis vitiis, à quibus melioris notæ Gentes abhorrebant, alienos fuiſſe; hæc inquam, omnia cùm Muhammed animo ſuo verſaſſet, cogitavit, nunc leguminum eſt meſſis. Huc acceſſerat Phocæ parricidium; Heraclii inceſtus, quæſtorum etiam ejus, ut modò diximus, contra Saracenos, qui ei militabant, fraudes & iniquitates; Epiſcoporum Conſtantinopolitani & Romani acerrimæ & recentiſſimæ diſputationes, quæ omnia aſtuto & verſipelli Arabum impoſtori, Muhammedi, vulgatum illud Arabum, Acue ferrum dum calet, in memoriam revocare poterant. Ergò tum temporis (ut Euſebii de Montano loquentis mutuem verba) Φασί τινα τῶν Αγαρηνῶν, ἐν ἐπιθυμίᾳ ψυχῆς ἀμέτρῳ φιλοπρωτίας δόντα πάροδον εἰς ἑαυτὸν τῷ ἀντικειμένῳ πνευματοφορηθῆναί τε καὶ αἰφνιδίως ἐν κατοχῇ τινι καὶ παρεκστάσει γενόμενον ἐνθουσιᾶν, ἄρξασθαί τε λαλεῖν καὶ ξενοφωνεῖν, παρὰ τὸ κατὰ παράδοσιν καὶ κατὰ διαδοχὴν ἄνωθεν τῆς ἐκκλησίας ἔθος δῆθεν προφητεύοντα, *ajunt, quendam Agarenum inſatiabili quadam animi cupiditate in primatu ambiendo incenſum, ſimul atque aditum Diabolo adverſario ad ſe patefecerat, ſpiritu quodam maligno abripi, & derepente furore & mentis inſaniâ exagitatum bacchari: atque mox non temerè garrire ſolùm, ſed peregrinas quaſdam voces ſun-*

fundere, & contra quàm Eccleſiæ conſuetudo, cùm traditione, tum ſucceſſione antiquitus ab Apoſtolorum temporibus eò uſque derivata, poſtulabat, prophetare ſcil. occœpiſſe.

V. Objectum hujus Religionis eſt DEUS *confictus*, Eſſentiâ ſcil. & perſonalitate unus, fabularum ſeries & commentitiorum Articulorum: Numerus de variis capitibus, quæ in ſequentibus expendenda; rituum & ceremoniarum, partim abrogatarum, partim ridicularum, apparatus, peregrinationum & venerationum ſuperſtitioſarum cumulus, & quæ ſunt cætera, de quibus *Gabriel Sionita*, *Leonclavius*, *Schweickardus*, & alii.

VI. Forma hîc eſt, ut in cæteris, *Opinio* quædam, quaſi DEUS agnoſceretur verus, cujus voluntas ſatis nota eſſet, & juxta illam inſtitueretur Cultus: cùm tamen omne id, quod cognoſcitur, ſit oppoſitum DEO revelato, omne id, quod interius vel exterius exhibetur, nihil aliud ſit, quàm βδέλυγμα coram oculis divinis.

VII. Subjectum hujus Religionis latè patet. Inveniuntur enim in Europâ, in Aſiâ & Africâ. In Europâ Tartari, intra Tanaim & Boryſthenem, amplexi ſunt Muhamediſmum: diſſeminatus quoque per Græciam, Macedoniam, Thraciam, Bulgariam, Ruſſiam, Serviam, Boſniam, Epirum, partem Hungariæ & Dalmatiæ: plus verò occupavit in Africa, nempe omne Oceani Atlantici littus, à promontorio Blanco ad Fretum Gibraltar, quod ſpacium M C. milliaribus Anglicis includitur. Eidem littus tôtum maris mediterranei, à præfato freto ad Ægyptum CCXL. milliarium, ſeptem urbibus, quæ Hiſpanis & Luſitanis parent, exceptis, debetur. Ora ſinus Arabici à Sues ad promontorium Guardafu, milliarium M D C. unico portu Ercoco, qui Abyſſinorum eſt, excepto; & ultra promontorium, verſus meridiem, omne Æthiopici maris littus, ad Mozambique, è regione inſulæ Madagaſcar ſitam, milliarium M D C C C. eodem fœdata eſt: & quod magis, totus hic, quem dixi, milliarium VIIM. tractus, ſeu dimidia totius Africæ circumferentia, cum maritimis inſulæ Madagaſcar, & plurimis in Oceano Africano inſulis, dominio quoque Turcico ſubjicet. Quin & ultra Mozambiquem, ad promontorium usque des Corrientes, quod Tropico Capricorni ſubeſt, Idololatris permixti inveniuntur. Obſervandum tamen, ſecundum Orientalium Africæ orarum longitudinem, à Suachen ad Mozambique, qui tractus eſt C C C. miliarium, Muhamedanos littora duntaxat tenere, in me-

diterraneis verò, regna Dangali & Adel, quæ ſeſe mutuò, illud intra, hoc extra fretum Babel Mandel tangunt, ſi excipiantur, pedem nondum fixiſſe: imò à regno Adel & promontorio Guardafu ad Mozambiquen usque, Idololatris miſceri. Occidentales & Orientales Africæ partes ſi percurras, tractus inter mare mediterraneum & magnum fluvium Nigrum, continens, quem Nilus lambit, ad inſulam Meroen usque, quæ in eodem parallelo cum Nigro jacet, Muhamediſmum profitetur. Sed & ultra Nigrum omnia Nigritarum regna, quæ iſte alluit, invaſit; ita ut tota Barbaria, Biled-elgerid, Lybia deſerta, & regiones Nigritarum, ipſi inſerviant. Verbo, ſi quædam maritimæ partes verſus mare Atlanticum à promontorio Blanco verſus Auſtrum, regna 2. Borno, & pars 3 bona Nubiæ, diſperſæque per montana Arabiæ, Biled-elgerid, & Libyæ deſerta loca, 4. reliquæ, quæ gentiliſmum adhuc retinent, excipiantur, tota Africa à mediterraneo mari, id eſt, quatuor nonæ Africæ partes, Muhamedanis debentur. In Aſia verò quatuor potentiſſimæ nationes, Arabes, Perſæ, Turcæ, & Tartari defendunt hoc corpus doctrinæ, ut obſervat *Cotevicus*, è quatuor autem gentibus iſtis Turcas eſſe cupidos dominationis & propagandorum finium, Tartaros Gentilium ritibus ex parte deditos & rudiores, Arabes ſuperſtitioſos maximè, Perſas minus.

VIII. Non difficile autem eſt oſtendere I. deficere in hac Religione *Unitatem*. Sectæ enim Muhamedanorum ab *Eduardo Pokokio*, in notis ad *Abulfaraium*, numerantur ſeptuaginta tres. Diſcordant Orientales ab Occidentalibus, & utrique inter ſe ita, ut unaquæque ſecta condemnet aliam. Quidam ſequuntur Muhamedem, quidam adhærent placitis Hali, teſte *Ricoldo*. De differentia Turcarum & Perſarum videri poteſt ex recentioribus *Adamus Olearius* in Itinerario, occaſione Legationis Perſicæ quædam addens, & ante ipſum *Schweiggerus*, quantum ad expoſitionem Alcorani, Sacerdotum diverſitatem, ritus & ceremonias, miraculorum varietatem, nec non *Johannes Cotevicus* in itinerario Hieroſolomytano, qui lib. 4. cap. 1. hæc habet: Proximi in Regno Succeſſores fuere Ebubeker, Omer, Oſman, denique Ali: qui tanquam ſacrorum reges & ſupremi legis Mahometææ Caliphæ, plurima Mahometis ſcriptis addiderunt. Hos itemque Ebuhaniſen, Malichim Schauffin & Achmetem Sembelim, velut eximios Mahometææ legis doctores ſeu

Imamos

Immanos aut Santones, Turcæ, Arabes, Tartari, Indi, Africanique Mahometani omnes venerantur. Contra Perſæ hos omnes, Ali ſeu Hali excepto, velut hæreticos deteſtantur; ſcripta & libros eorum, ubicunque reperiant, flammis exurunt; crudeliter etiam in eorum obſervatores animadvertunt: Scheihadaris vero atque Harnſtis doctrinam veluti legitimam ac cæteris ſinceriorem & ſaniorem amplectuntur; quos tamen reliqui Mahometææ ſectæ cultores exſecrantur. Hinc cruentum & vehemens inter Perſas & Turcas ortum eſt bellum atque ingens odium, ut in ſe mutuò tanquam hoſtes acerrimos & hæreticos peſtiferos crudeliter ſæviant: imo in eam rabiem progreſſa eſt religionis diſſenſio, ut *Muphthis* (qui eſt apud Turcas ſupremus ſacrorum antiſtes) in Perſas ſententiam tulerit, qua *gratius eſſe* DEO affirmat *religionis cauſâ Perſam unum occidere*, quàm *ſeptuaginta Chriſtianos*, Mahometææ legis hoſtes acerrimos. Sumpſit autem hæc nova Perſarum opinio exordium à Sanctone quodam, Scheichadare nomine. Is regnante Uſumcaſſane Perſarum rege, poſteaquam diu latuiſſet & ab hominum converſatione remotiſſimam duxiſſet vitam, tantam ſanctitatis opinionem atque auctoritatem apud vicinos populos eſt conſecutus, ut ſimul atque è latebris prodiiſſet, ingens hominum multitudo (ut ſunt ſemper humanæ mentes novarum rerum cupidæ) ad novum doctorem è vicinis regionibus confluxerit, eique adhæſerit. Inter cæteros verò quidam Erdebil, illuſtri natus familia regulus, Iſmaëlis Sophi Perſarum poſtea regis pater: qui cum cauſæ illius, tanquam rectæ religionis ac ſanioris doctrinæ, patrocinium ſuſcepiſſet, ejus fretus viribus in Reza Perſidis oppido novam doctrinam primus diſſeminavit. Docebat autem ille non eſſe fidem præſtandam tribus Mahometis prophetæ ſociis, ac primis illius in regno & Caliphæ dignitate ſucceſſoribus; verum iis poſthabitis ſolum Alin, ſi ſalvi eſſe vellent, in omnibus ſequendum. Eum namque fuiſſe legitimum prophetæ ſucceſſorem ac verum legis interpretem, non alios. Ad ſuam verò doctrinam confirmandam, Aliſque authoritatem & dignitatem corroborandam, majorem denique dictis ſuis fidem acquirendam, revelatum ſibi à DEO aſſerebat, Angelum Gabrielem è cœlis in terras quandoque miſſum, qui Alcoranum divulgaret, eumque DEI præcepto Ali primum traderet, ſed errore deceptum Mahometi obtuliſſe. DEUM vero ea re nihil offenſum, quippe qui hunc quoque tali dono dignum cenſeret, prætuliſſe tamen

Alim Mahometi, vel ſaltem æquaſſe: Hinc quoque Mahometem Alim tanquam cæteris digniorem & rebus gerendis magis idoneum, atque etiam ſibi propinquiorem, ut qui eſſet ipſius gener, teſtamento non ſolùm hæredem inſtituiſſe, ſed & Calipham & regni ſucceſſorem declaraſſe. Ebubekirem nihilominus, ſpreto prophetæ ultimo elogio, quorundam adjutum favore, per injuriam ſe Calipham conſtituiſſe. Hunc ſecutos Omerem & Oſmanem: Ali interim dignitate ſibi teſtamenti jure debita ſpoliato, in ſpelunca quadam abdita latente, & privatam ducente vitam: donec tandem illegitimis exſtinctis Caliphis, DEI judicio, in debita ſibi Caliphatus dignitate ſuccederet. Ideòque cum manifeſtè inde conſtare diceret, primos illos poſt Mahometem reges ſupremæ Prophetæ voluntati reſtitiſſe & decretum irritum feciſſe, perduelles atque hæreticos exiſtimandos, adeòque, quæcunque literarum monumenta poſt ſe reliquiſſent, flammis eſſe mandanda. Ut vero ſui aliquo ſigno à cæteris ſecernerentur, voluit, ne lineis involucris, ut Turcæ, faſtuoſè caput ornarent; ſed tegmine tantùm laneo & vili uterentur. Hinc Perſæ etiamnum, contra morem Turcarum, nequaquam albido, ſed rubro è lana pallio duodecim habente plicas, vel tulipanto lineo verſicolore caput tegunt; qui idcircò à Turcis contemptim Cuſelbaſſilar, id eſt, rubri capite appellantur. Et quamvis aliàs qualiscunque unitas deprehendatur in Turcico Imperio illorum, qui in Mahumetis ſacra conſpirant, non tamen illa nititur aliqua flexamina virtute è cœlis, ſed potius ſupinâ Ignorantiâ populi terræ, & Tyrannide Superiorum.

IX. Deficit II. *Veritas.* Quis enim quæſo Author hujus Religionis? annon Muhamed, natus ex parentibus Idololatris, educatis in ſuperſtitione Koreiſchitarum, qui à Patruo, quia gravabatur alimonia, Adoleſcens amandatus fuit ad Chadigam Mulierem opulentam, quæ in Syriam Caravanam deſtinabat, cum qua etiam Matrimonium iniit, homo quidem, juxta *Elmacinum*, optimæ indolis, voce ſuavi, beneficus in pauperes, affabilis omnibus, imis, ſummis, ſed revera impius, ambitioſus, fraudulentus & verſutus, anno quadrageſimo ſibi arrogans munus Propheticum, & primum in ſuam ſententiam pertraxit Chadigam filiam Patrui, Zeidum ſervum, Alim filium Abutalibi, inde Abubecrum, & cum aliis quinque, qui junctim primi Iſlamiſmo nomen dederunt. qui modus ad Authoritatem prophetici muneris vel titulum perveniendi? Affabilitas, quâ ſeſe inſinua-

inſinuavit pluribus, ſecundum *Elmacinum*, Revelationum & colloquiorum cum DEO jactantia, inprimis verò cum Gabriele Archangelo, de quibus *Beidavi;* Enthuſiaſmorum ſpecies & umbræ in Epileptico; ſæpè enim cadebat in paſſione illa, ut referunt *Johannes Zonaras*, tom. 3. annalium, in imperio Heraclii, & *Theophanes* in ſua Chronographia, in bibl Patr. tom 2. Græcol. Et Anonymus auctor hiſtoriæ, de Mahomethe, in bibl. Patr. ibidem. Et doctus ille Philoſophus Chriſtianus, in ſua diſputatione contra Muhammedis doctrinam & flagitia, apud *Vincentium Bellovacenſem*, lib. 23. ſpeculi hiſtorialis, cap 39 Certè Judicio Viri doctiſſimi videtur dæmoniaca fuiſſe illa Muhammedis epilepſia, qualis erat ille Pythonicus Sybillæ raptus, quem deſcripſit Virgilius, lib. 6. Æneidos his verbis:

Ante fores ſubitò non vultus, non color unus,
Non comtæ manſere comæ, ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: majorq; videri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt numine quando
Jam propiore DEI.

Item,

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe DEUM, *tanto magis ille fatigat*
Os rabidum, fera corda domans, fingitq; premendo.

Qui ſecundum propriam confeſſionem neſciebat, an ipſe & ſui eſſent in via ſalutis, nec ne? cui contradixerunt anno quadrageſimo quarto propalanti Dogmata ſua Coruſitæ, decimo Taifæ Cives, cumque venena ſua Meccæ ſpargere non ceſſaret, Magiſtratus illius oppidi eum ut hominem nefarium & ſeditioſum comprehendere, & meritis pœnis ſubjicere decreverunt; quo cognito Muhammedes clam ex urbe aufugit, anno Domini ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, die decimo nono Julii, veſpere illo, qui inter quintam & ſextam feriam intercedit, & ſe contulit in aliam Arabiæ civitatem, cujus nomen Jetrib ſive Jeſrab, (Enthymio Αἴθριβος Æthribus dicitur) in qua ſedem Principatus ſui collocavit, confluente ad illum undique deluſa multitudine. Hinc civitati illi indita appellatio Medina Alnabi, id eſt, civitas. Et à tempore illius fugæ ex civitate Mecca, computatur initium æræ Muhammedicæ, quam Hagiram ſive Hegiram vocant, vocabulo Arabico, quod fugam ſignificat, à verbo Hagar, fugit: &

in

in memoriam illius temporis, ſacram ſuam ſolennitatem hebdomadariam celebrant Muhammedani feria ſexta ſive die Veneris. Hujus initium apud illos more Hebræorum cenſetur eſſe in illo veſpere, quo quinta feria deſinit, & ſexta incipit, Sole cadente. Qui Adjutores & ſocii? Judæi occæcati: Phineas quidam, & Abdias, Ben Salon, Sergius Monachus Conſtantinopolitanus, ut quidam volunt, propter hæreſin in Arabiam profugus. Qui denique quæſo prælſerunt, niſi Hæretici? de quibus eruditi ita: Scythianus quidam Saracenus, uxorem habebat è ſuperiori Thebaide (ἐκ τῶν ἀνωθηβῶν, è partibus ſupra Thebas) ideò tranſlato in Ægyptum Domicilio, & Ægyptias diſciplinas edoctus, Pythagoræ & Empedoclis opinionem in Chriſtianiſmum induxit, duas naturas proponens, bonam malamque, quemadmodum & Empedocles νεῖκος & φιλίαν. Sic quidem ſentit Socrates, ſed malim dicere è Perſide & ipſis Saracenis lacunis hauſtum eſſe, ut oſtendere poteſt doctiſſimus vir *Ludovicus Pocokius* in ſpecimine hiſtoriæ Arabicæ. Cæterum pergit Socrates: Iſtius Scythiani diſcipulus fuit Buddas, qui prius Terebinthus dicebatur. Hic profectus in Babyloniam (πολλὰ περὶ ἑαυτοῦ ἐπιθρύλλει) multa de ſe jactabat prodigioſa: Dicens ſe eſſe è virgine natum, in montibus educatum. Conſcripſit autem libros quatuor, è quibus unum appellavit τῶν Μυστηρίων, alterum Evangelium, tertium theſaurum, quartum τὰ κεφάλαια ſeu ſummas. Miſerè periit, cum ſacra quædam obiturus eſſet, à dæmone jactatus in altum, ἐδιωκόθη ὑπὸ πνεύματος. Mulier autem, apud quam diverterat, eum ſepulturæ tradidit, & pecunia, quam reliquerat, puellum coëmit, ſeptennem nomine Cubricum. Quis ſecundò Codex, è quo ſua ſacra hauriunt? quodnam principium fidei? Annon *Alcoranus*, de cujus nominis origine ſuprà: annon Chaos quoddam informe & confuſum, in quo nullus ordo, qui in Bibliis noſtris conſpicitur, quæ ſecula notant, & ab uno ad aliud tàm accuratè procedunt? annon πανσπερμία quædam Judaicarum fabularum, reliquiarum Gentiliſmi, retrimentorum Chriſtianiſmi? annon contradictionum penus? nunc enim dicitur Alcoranus à Deo factus, nunc ab hominibus, nunc Mahumedi traditus in Cœlo, nunc in terra ab Angelo; nunc probatur Vini uſus, nunc prohibetur, nunc mandatur Caſtitas, nunc libidini fibula laxatur; nunc de Scripturâ honorificè docetur, nunc mutilationis accuſatur, nunc Deus placet, nunc diſplicet; nunc Chriſtianis ſalutem tribuit, nunc

abrogat,

abrogat, nunc vult ad fidem cogere, nunc Libertatem in Religione indulgere? annon ἀνιστορίας crudum ſpecimen, dum Iſmaëlem pro Iſaaco ſubſtituit ſacrificio, Eliam Thesbiten Moſi facit σύγχρονον, dum Mariam ad Truncum palmæ peperiſſe aſſerit? annon Mendaciorum & anilium atque ridicularum Relationum Cornu copiæ, de Adamo ab Angelo Gabriele occiſo, de anima Moſis per nares extracta ab Angelo mortis, de Solomone garritum volucrum intelligente, & cum formicis confabulante, de Angelo Mortis, cui Oculi à ſe mutuò diſtent itinere dierum mille & ſeptuaginta, atque ſimilia? Annon Impuritatis Illicium, in quo fœda de Muhamede, de vita æterna, quam in merum voluptatis cœnoſæ prodigium transformat? Addamus, quæ habent Johannes Damaſcenus, & Euthymius Monachus Zygabenus, in conſultatione Iſmaëlitarum: *Cùm Muhammedani*, ſcribunt, *à Chriſtianis urgentur, ut teſtimonium aliquod adferant vel ex Prophetarum prædictionibus, vel ex evidentibus miraculis, quo doceant, Scripturam iſtam Muhammedi à* Deo *traditam eſſe, reſpondere Muhammedanos, quod Muhammede dormiente deciderit in eum hæc Scriptura, quæ Alcoran dicitur.* Et *poſtulantibus porrò Chriſtianis, undenam conſtet, iſtam ſcripturam de cælo eſſe delapſam? cum veriſimilius ſit, vel hominem aliquem ejus ſcriptorem in Muhammedem dormientem ſcripturam iſtam conjeciſſe, vel ipſum potius Muhammedem eam confinxiſſe, & poſtea, quaſi cœlitus delapſa ſit, prædicaſſe: nihil ſolidi in medium adferre Muhammedanos ad ſui defenſionem. Inferre igitur meritò Chriſtianos, ſcripturam iſtam eſſe hominis ſomniantis deliramentum, nullo Divino teſtimonio commendatum: & cum mulieres, ſervos, pecunias, aſinos, ſine idoneo teſtimonio non poſſideant, prorſus abſurdum eſſe, quod fidem & ſcripturam ſine uno idoneo teſtimonio recipiant.* Certè nullum mendacium eſt ex veritate. At Alcoran fœdum eſt impudentiſſimorum mendaciorum ſterquilinium, ut ex ſpeciminibus impietatis & fabuloſæ vanitatis & ex dictis conſtat: Non igitur à Deo, qui Veritas eſt, ſed à Diabolo, qui Pater mendacii eſt, oportet profectam eſſe iſtam ſcripturam, quæ Coranus dicitur. Quæ tertiò credendorum Series? de Deo docent, quòd ſit unus, qui filio careat, & certo cœli loco ſit incluſus. De Creatione, quod ante Mundum Deus condiderit Legem, Infernum, & Paradiſum. De Angelis, quod ſint corporei & generent. De Providentia,

dentia, quòd omnia fiant fato. De peccato, quod Originis illud ſit fabula. De Meſſiâ, quod ſuperior ſit Muhamed illo, imò quod liberatio à malo & interceſſio non tàm illi, quàm Mahumedi, tanquam Prophetarum ultimo, competat, de Morte, quod mutanda in arietem & occidenda, de Reſurrectione & vita æterna, quòd Seraphaëlis tuba per intervalla ſit reſonitura, quòd reſurrectionis materia oſſiculum quoddam ſuperſtes, quòd in Syria futura reſuſcitatio, omnes æquali ſtatura emerſuri, quòd in vitâ æternâ mera voluptas ex cibo, potu, Venere, patinæ aureæ & phialæ, in quibus quævis deſiderabilia, fontes dulces. Quanquam ſint, qui hæc parabolicè dicta eſſe volunt, atque aliter explicant.

X. Non malè nonnemo. *Ut qualis Muhammedana religio ſit, exactiùs intelligatur, ad notas, quas veræ religioni ineſſe oportet, exigenda erit. Principalis eſt, veram religionem à recta ratione abſurditatis convinci non poſſe. At Muhammedana ſummam alterius vitæ beatitudinem in voluptatibus corporis, cibi, potus, Veneris collocat. Erunt timentes* D E U M *in loco ſecuro, in hortis & fontibus; induent ſericum & purpuram: ita diſcumbent. Et conjugabimus eos puellis pulcherrimorum oculorum. Petent in iis omnem fructum credentes. Audi quæſo*, ſcribit ad Jacobum Latomum Nicolaus Clenardus, *quod mihi narravit præceptor, dum legeremus locum Alcorani de paradiſo, ubi ſic ſcriptum eſt,* ET IN EO UXORES HABITURI SUNT MUNDAS. *Mundas*, inquit, *id eſt, liberas à menſtruis, ſcilicet ut quovis tempore liceat coire. Quid*, inquam, *an in paradiſo celebrantur nuptialia? Quid ni? attamen non eſt futura proles*, inquit. *Nam voluptatis cauſſâ illic erunt uxores, non pagandis liberis: quin & ſingulis viris complures illic futuræ ſunt uxores, pro maritorum ratione;* D E U S *q; huic plus, illi minus virium largiturus eſt, ut vel multis reddat debitum. Tantarum abſurditatum puditum eſt philoſophos, qui inter Muhammedanos olim, quum Saraceni rerum potirentur, nec dum Turcica barbaries omnia fœdaſſet, fuerunt. Communiter dictum eſt*, ait *Alfonſus Toſtatus, quòd philoſophi inter Saracenos non recipiunt Alcoranum. Averroës*, contra Deſtructiones *Algazelis* diſputans, ait: *loquentibus*, id eſt, *Theologis Muhammedanis cum philoſophis malè convenire. Avicenna Theologiam Muhammedis ita explicat, ut haud obſcurè damnet:*

& lon-

& longè potiorem felicitatem, cujus pecudi Muhammedi in mentem numquam venerat, nec ulla in Corano mentio ſit, indicat. Verba ſunt è nono Metaphyſicæ, capite VII. Lex noſtra, quam dedit Mahomet, diſpoſitionem felicitatis & miſeriæ, quæ ſunt ſecundum corpus, attendit. Sapientibus verò Theologis multò major cupiditas fuit conſequendi veram felicitatem, quam felicitatem corporum: quamvis detur eis, non tamen attendunt eam, nec in pretio habent in comparatione felicitatis, quæ eſt conjunctio cum primâ veritate, id eſt, quæ conſiſtit in unione intellectuali cum primâ veritate, qui eſt Deus benedictus. Sed quia nos in hoc noſtro ſeculo & hoc noſtro corpore demerſi ſumus in multa turpia, ideo non ſentimus delectationem illam ſpiritualem, nec inquirimus eam, nec trahimur ad eam, niſi priùs cervicibus noſtris excuſſerimus jugum voluptatis & iræ, & ſororum ipſarum. Tunc removebitur paralyſis, & ſpeculabimur veram delectationem, quæ eſt apud regem ſeculorum, qui eſt Deus benedictus. Saraceni nec nobis unquam amici, nec hoſtes optandi, ultrò citroque diſcurſantes, quicquid inveniri poterat, momento temporis parvi vaſtabant, milvorum rapaci vitæ ſimiles; qui ſi prædam diſpexerint celſiùs, volatu rapiunt celeri, aut, ſi impetrarint, non immorantur.

XI. Deficit III. *Sanctitas.* Deum quippe colunt ſecundum hominum inventiones, imagines, à quibus Perſæ non abhorrent, malè rejiciunt, non tantùm per Deum, ſed & res creatas concipiunt juramenta, Sabbathum in diem Veneris transferunt, Chriſtianos ferro extinguere intendunt: Paradiſum pollicetur his, qui fuerunt præ cæteris bellicoſi, hic Pſeudo-Propheta, & vindictam in ſuis probat, ſtudiumque illud apprimè commendat. Inprimis omnis generis libidinibus deditì ad Genium ſui Prophetæ ſe componunt, qui polygamiam probavit, & Mulieres, quotcunque placuerit, ducere præſcripſit. De Jejuniis hæc habet ſpurcitiei Magiſter: *Vobis nocte jejunii accedere ad uxores veſtras licet: ipſæ ſint indumenmentum vobis, noluit* Deus, *quod vos fraudetis vosmetipſos, & clementer agit vobiscum, & parcit vobis. Igitur commiſcemini cum illis, & inquirite, quod præſcripſit vobis* Deus, *&* COMEDITE & BIBITE, *usque dum diſtinguere poſſitis filum album à filo nigro ex illuceſcente aurora.* DEINDE *complete jejunium usque ad noctem, & ne commiſceamini cum iis, ſed perſi-*

ſtite in templis. Ipſe Muhamed quantus fuit Hircus? de quo Philoſophus Chriſtianus (apud *Vincentium Bellovacenſem* libr. 23. Speculi hiſtorialis, cap. 44.) *impudicum iſtum Muhammedem non erubuiſſe, tale etiam dedecus in ſcriptura prophetiæ ſuæ ſibi facere, ut diceret: datum ſuis renibus à* D E O, *quadraginta viros in coïtum potentiſſimos fortitudine libidinis adæquare. Profiteri etiam ibidem, inter cætera rebus odoriferis & mulieribus ſe delectari.* Erat Muhammedi ſodalis Zaidi nomine, qui formoſam habebat uxorem, Temech filiam Gaiſi: hanc cum adamaret Muhammed, & ſecum cogitaret, quonam artificio ea potiri poſſet, dixit ſodali ſuo: ô Zaidi, imperavit mihi D E U S, ut tuam uxorem accipiam. Cui ille reſpondens dixit; Apoſtolus es, fac ſicut dixit tibi D E U S. Tum Muhammed: Imò verò, inquit, rem altius repetamus; Imperavit D E U S, ut dimittas uxorem tuam. Tunc ille dimiſit. Ac poſt paucos dies, dixit Muhammed; Mandavit D E U S, ut ego illam accipiam. Deinde acceptam illam cum adulterio polluiſſet, hanc legem tulit; *Uxorem ſuam, qui volet, dimittat: Si quis autem uxorem ſuam dimittat, & voluerit ad eam reverti, ipſa prius nubat alii: non enim fas eſt eam redire ad priorem maritum, donec prius alii nupſerit.* Quâ ſpurciſſima lege præcipit adulterium, veluti neceſſariam dimiſſæ mulieris purgationem. Hanc narrationem de Temech uxore Zaidi, & lege Muhammedis de divortio, deſumſimus ex *Johannis Damaſceni* libro de hæreſibus, & diſputatione Philoſophi illius Chriſtiani, apud *Vincent. Bellovac.* lib. 23. Speculi hiſt. cap. 44. & *Euthymii* diſſertatione contra ſectam Iſmaëlitarum, in bibl. Patr. tom. 2. græcol. Nec vinum ita averſantur, unde *Busbequius: Poſt, ubi me ludi tædebat, ſurgebam à menſa, meque in cubiculum recipiebam: illi, quod vino nondum obruti* I R E *etiam poterant, triſtes abibant, ſed mox puer aderat, qui nomine ipſorum rogaret, ut iis vini copiam facerem, Scyphosque argenteos commodarem: velle, ſi permittam, in aliquo angulo noctem potando extrahere. Ego quantum vellent vini, itemq; vaſa, quæ petebant, jubebam præberi. Illi antè finem non faciebant, quam mero ſopiti humi ſternerentur.* Et mox addit: *non minores pœnas poſt hanc vitam ſibi paratas arbitrantur, ſi vini minimum biberint, quam ſi plurimum. Itaq; ut ſemel vinum guſtaverunt, potare pergunt. Quod veluti pœna jam commiſſa peccent impune, ebrietatemq; in lucro ponant. Et non tempero*

pero mihi, quin adſcribam, quæ ſequuntur: vidi ſenem quendam Conſtantinopoli, qui cùm calicem ſumſiſſet in manum, ut biberet, magnos prius clamores edebat. Rogati à nobis amici, cur ita faceret, reſpondebant: eum his clamoribus commonitam velle animam, ut ſe reciperet in aliquem corporis angulum, aut prorſus emigraret; ne rea fieret, ejus delicti, quod ipſe erat admiſſurus, neu vino, quod infuſurus erat, pollueretur. Latrocinia exercent, & quidem ad præcepta Magiſtri, qui ut eo meliores & elatiores fiant ſibi addicti, prædatores & expugnatores eſſe vult.

XII. Deficit IV. *Antiquitas.* Cœpit *Mahumed* emergere demum ineunte ſeculo ſeptimo; præcurſores habuit, nonniſi hæreticæ pravitatis Miniſtros, *Arium* in Ægypto, *Manetem* in Perſidis & Syriæ tractibus, inprimis verò *Cubricum* quendam barbarum, de quo Socrates ſcripſit; quæ ſchedis ſuis commiſit, nonniſi aliunde hauſit, & ex Scriptura, utpote illa, de Adami Creatione, quod DEUS multicolorem pulverem collegerit ad illius plaſmationem pugno ſuo, quod conditus fuerit de limo, limus de ſpuma, ſpuma de procellis, procellæ de mari, mare de tenebris, tenebræ de luce, lux de verbo, verbum de cogitatione, cogitatio de hiacintho, hiacinthus ex præcepto, Eſto & Fuit. De arbore vetitâ, quod fuerit Arbor Tritici, vid. *Leonc.* p. 4. & ſeq. appendice; de *Joſepho*, de *Gideone*, de *Elia*, de MARIA & aliis, quæ partim truncavit, partim planè immutavit.

XIII. Rectè autem Vir celeberrimus. *Quum novitatem, quam falſæ, ſicut Antiquitatem veræ, religionis notam, & quidem alteram conſtituerimus, declinare vellet Muhammed, auſus eſt ſcribere, nomen ſuum ſuiq́ memorationem in Teſtamento & Evangelio exſtare, Azoarâ* XIII; *item adventum ſuum à* CHRISTO *prædictum eſſe, Azoarâ* LXXI. *Hac enim unicâ ratione ſe, quod vellet, obtinere poſſe, intelligebat. Nam ſicut* CHRISTI *religio non eſt nova, quia eum Moſes & Prophetæ reſpiciunt & venturum prædicunt: ita quoque Muhammeden, ſi poſt* CHRISTUM *adfuturus, & aliquam legis mutationem inducturus, à Moſe & Prophetis, vel certè à* CHRISTO *prænunciatum (ut nihil dicam de miraculis, quibus æque ac prophetico teſtimonio deſtituitur) oportuit. Saracenis igitur apud Theodorum Abucaram:* Ὁ χριστὸς ἐν τῷ εὐαγγελίῳ ἔγραψε λέγων. Ἀποστέλλω ὑμῖν προφήτην Μωάμεθ λεγόμενον.

γέμμενον. Reſpondet Chriſtianus. Τὸ μνημόσυνον αὐτοῦ τὸ εὐαγγέλιον οὐκ ἔχει. *Regerit Barbarus:* εἶχεν, ἀλλ' ὑμεῖς ἐξηλείψατε αὐτό. *Vos expunxiſtis. Atq; hoc ultimum miſerorum perfugium. Dico autem, Quæ Teſtamentum & Evangelium de Muhammede habuerunt, expuncta ſunt à Chriſtianis aut ante adventum Muhammedis, aut poſt. Non ante; quia nulla fuit cauſſa expungendi: neque enim non natus odio potuit haberi, aut, qui* Dei *&* Christi *amantes eſſent, odiſſe eum, quem à* Deo *&* Christo *prædici, magniq; fieri noſſent. Nam ſi quid eraſum eſt, mox ſub initia Chriſtianiſmi ii, qui* Christo *proximi & clariſſimi fuerunt, eraſerunt. Ex eo enim numerus codicum in immenſum crevit, & exempla per orbem terrarum in omnes gentes ſparſa & in omnes linguas verſa. ut jam memoriam & nomen, quod per ejusmodi monumenta æternitati ſemel conſecratum eſſet, abolere* ἀδύνατον. *Tantum abeſt, poſt exortum Muhammedem, qui ſeptimo demum Chriſtiano ſeculo comparuit, quod hactenus conſervatum eſſet, exterminari, ut ne quidem veſtigium reliquum ſit, potuiſſe. Hic* ἐπ' αὐτοφόρῳ *& in flagrante mendacio deprehenditur Pſeudo-Propheta, & eâdem operâ novam & omni fundamento deſtitutam religionem in orbem invexiſſe convincitur.*

XIV. V. *Efficacia divina.* Quid enim haurias ab illo ſolatii, qui Impoſtor? quid conſcientiæ fulciendæ ſubſternas ex illo libro, qui abſurditatum Seminarium? DEUM fingit portatilem, Angelos thronum ſuccollantes, ſeptem dormientes in ſubſidium Myſterii reſurrectionis adducit, Evangelium evertit, Meſſiæ impugnat ſatisfactionem & Mortem, neque enim CHRISTUS ſecundum Alcorani ſtatuta crucifixus, ſed ſimilem ſuſpenderunt Judæi, ut conſtat ex *Azoara* XI.

XV. Deficit VI. *Invincibilitas.* Non mediis hic fulget in ignibus Aurum fidei, non inſiſtit Cubo, ſed *Cubrico*, tota Religio; non durabit illa, ipſo Propheta teſte, qui, utut falſus fuit prædicando, agnovit tamen Religionis ſuæ *Ruinam*, ſi *Florimundo* fides: interrogatus enim à *Muſulmannis*, quamdiu eſſet duratura Lex ab ipſo condita, decem digitos extendiſſe, & oſtendiſſe fertur, quibus mille deſignari annos conjectarint; & credibile eſt ſingulis digitis centenos annos ipſum ſignificaſſe. Mortuus autem creditur Mahometus à CHRISTO nato, anno ſexcenteſimo triceſimo nono, quibus

bus ſi mille addantur anni, fatalis erit, ſecundum Mahometum, Turcicæ Religioni & regioni, annus à nato CHRISTO 1639. quæ ſuo nos loco relinquimus, &, quod non tam prædixit Mahometus, quam decrevit DEUS, citò impleri optamus.

XVI. Si autem quæras, cur hactenus ſubſtiterit, & tam latè diffuſa fuerit hæc ſpuria Religio? reſpondemus: propagatam fuiſſe tam latè terrore gladii, carnalium voluptatum licentia probroſa, & imperato ſtupore, atque cœca obedientia in capitibus Religionis, ex quo de qualitate conſtare poterit, quæ ſi proba eſſet, non refugeret Examen, quò referimus illa *Anglici Scriptoris*, qui ita: *dum in cauſas, ob quas longe latèque impia iſta ſecta diffuſa eſt, inquiro, quatuor, præter divinam juſtitiam, peccata Chriſtianorum hoc modo punientem, (illæ primò regiones oppreſſæ ſunt, in quibus Chriſtiana religio maximè viguit) invenio. Primam in tot proſpero ductu partas victorias conjicio, victi ſemper victoris religionem ſequi coacti ſunt. Alteram omnium de religione diſputationum ſub pœna capitis inhibitio ſuggerit. Tertia, ſuppreſſioni ſtudiorum Philoſophiæ, per quam maxima potiorum ſuperſtitionis Muhamedanæ partium vanitas detegi potuiſſet, debetur. Eam in univerſitatibus docere, à quadringentis & ultra annis prohibitum eſt, cum antebac Cordubæ, Feſſæ, Marocci, Bagdadi, & in aliis urbibus floruerit. Quartam carnalibus voluptatibus fruendi, & plures uxores ducendi licentia ſuppeditat; cui ſimilium oblectationum in Paradyſo promiſſa accedunt. Magis horum oblectamenta expertos afficiunt, quam ſpiritualium deliciarum promiſſa, quæ in ſpe duntaxat offeruntur, & tales ſunt, ut propter eas ſenſuales voluptates neceſſe ſit derelinquere.*

XVII. Secundam in Ordine cauſam probè excuſſit nobilis Theologus. *Diſputationem, ſcribit, de lege ſua probibet Muhammed in Alcorano, c. 5. Si quis (inquit) tecum diſputare voluerit, dic te faciem tuam ad DEUM, ejusque ſequaces; convertiſſe; quod agendo tam legem ſcientes, quam illiterati, bonam legem ſequentur. Item, cap. 15. Tu nullatenus cum auditu carentibus ſermonem ineas. Idem, cap. 20. Contradicentibus dicito, ut ſibi ſua ſint negotia, tibiq; tua: ipſiq; à tuis factis, & tu à ſuis liber. Idem, cap. 32. Tecum diſputare volentibus dic, DEUM ſolum omnes actus tuos agnoſcere, qui die poſtremâ lites omnes & con-*

tra-

trarietates diſcutiet. Idem cap. 119. Homines incredulos taliter alloquere; Ego quidem legem veſtram atque ſectam minimè ſequor, nec vos meam. Igitur mihi mea maneant, vobisque veſtra. Hæc omnia habentur in Alcorano, locis citatis. Quod autem abutuntur Muhammedis diſcipuli nomine DEI, dicentes eum ſolùm omnes actus noſſe, &c. non ſolùm impii in hoc ſunt prætendentes DEI nomen ſuis nugis, ſed etiam ridiculi. Nam quid hoc ad præſentem controverſiam? Quæro ex te rationem fidei tuæ, paratus tibi meæ fidei rationem expromere: tu mihi reſpondes, DEUM omnia ſcire? de hoc ego non ambigo. Sed unde ſcis, tuam fidem DEO placere? ad DEUM, inquis, ejusque ſequaces faciem meam converti. Hoc quilibet jactabit idololatra. Tu mihi Muhammedem, quem ſequeris, oſtende fuiſſe ſequacem DEI, & fuiſſe verum Prophetam à DEO miſſum, ſicut ego paratus ſum demonſtrare, Chriſtum fuiſſe verum Prophetam à DEO miſſum, & eſſe DEI Filium, DEUM benedictum in ſecula. Mihi mea, inquis, maneant, vobisque veſtra. Hoc dicent ſpurciſſimi dæmonum adoratores. Sed quæſtio manet, quænam recta ſint, id eſt, quænam ex DEO ſint: tua ne, an ea quæ ego profiteor? Ego, inquis, legem veſtram atque ſectam minimè ſequor, nec vos meam. Scio te legem noſtram non ſequi, neq; nos veſtram: ſed quæro, utram ſequi debeamus? Nam una tantum eſt ſalvifica fides. Neq; poſſunt ex DEO eſſe duæ leges repugnantes & contradictoriæ. Hìc obmuteſcis, & obſtinatam tantummodo protervism, ac ultroneam cæcitatem, perverſumque ſtuporem tuum prodis. Quantò rectiùs ſanctus ille Domini noſtri JESU CHRISTI Apoſtolus, Paulus? Omnia, inquit, explorate; quod bonum fuerit, retinete. 1. Theſſal. 5. ℣ſ. 21. & S. Johannes Apoſtolus; Dilecti, inquit, ne cuivis ſpiritui credatis: ſed probate ſpiritus, an ex DEO ſint. 1. Joh. 4. ℣ſ. 1. Spiritum autem illum, quo actus Muhammed Alcoranum condidit, non fuiſſe ex DEO. ſupra demonſtravimus.

XVIII. In Chriſtianæ autem Religionis præſidium, non unum extat inter ipſos Muhammedanos Teſtimonium. Scripturam ipſimet vocant Librum ſplendidiſſimum, & de Chriſto habent egregia. Vocatur enim ab illis Verbum. Ita enim Coranus: Cum dixerunt Angeli, ô Maria, equidem DEUS evangelizat tibi Verbum ex ſe, cui Nomen Meſſias, JESUS: filius MARIÆ, Spectabilis

ſtabilis in mundo & ſeculo altero, & ex appropinquantibus. Et loquetur hominibus, in cunis, & adoleſcens, (eritq;) è proſpere agentibus. Dixit illa: Domine mi; Ego utiq;, eritne mihi filius, & non attigit me homo? Dixit: Eum in modum DEUS *creat, quod vult; cum decrevit rem, tantum dicit illi, Eſto! & exiſtit. Docebit eum (*DEUS*) Librum & ſapientiam & Legem & Evangelium: & erit legatus ad filios Iſraël, (dicendo) Utiq; veni vobis cum ſigno à Domino veſtro, ego creabo vobis è luto tanquam formam avium, & inſpirabo illi, & erunt aves, permiſſione* DEI*: & ſanabo cœcum (ab ortu,) & leproſum, & vivificabo mortuos permiſſione* DEI*: & prophetabo vobis, quid vos oporteat edere, & quid reponere in ædibus veſtris. Utique in hoc ſignum vobis, ſi eſtis credentes: & confirmatum quod inter manus meas eſt è lege: & ut licita faciam vobis quædam eorum, quæ ſunt vobis vetita: Et venio ad vos in ſigno à Domino veſtro. Timete autem* DEUM*, & obedite mihi. Equidem* DEUS *eſt, Dominus meus & Dominus veſter: ideò colite eum. Hæc eſt via recta. Cum autem perſenſiſſet* JESUS*, quosdam ex eis eſſe infideles, dixit: Quinam adjutores mei ad* DEUM*? Dixerunt Apoſtoli: Nos adjutores* DEI*, & credimus in* DEUM*: Tu verò teſtare nobis, quod ſimus Moſlimani, Domine noſter, Credimus in illud, quod demiſiſti, & ſequimur legatum: proinde adſcribe nos cum teſtibus: At cum fraudulenter agerent, circumvenit* DEUS*, &* DEUS *proſtravit fraudulenter agentes: Tunc dixit* DEUS*: O* JESU*, ego recipiam Spiritum tuum, & evehabo te ad me, & ſanctificabo te ab illis, qui non credunt: & collocabo eos, qui ſequuntur te, ſupra eos, qui negant diem reſurrectionis. Deinde reducam vos, & uniam vos inter vos, in eo, quo fuiſtis diſſentientes: at verò qui non credunt, eos puniam ſupplicio gravi, in ſeculo & vita altera, neque erunt illis adjutores. At qui crediderint, & fecerint bona opera, illis præſtabit mercedem ſuam: neq; enim* DEUS *diligit injuſtos. Hoc memoravi tibi de ſignis & commemoratione ſapienti. Utique ſimilitudo* JESU *eſt apud* DEUM*, ſicut ſimilitudo Adami: quem creavit* DEUS *è terra: tum dixit illi, Eſto & exſtitit. Veritas à Domino tuo: non eſto ex addentibus. Et quicunq; pugnaverit tecum, poſtquam venerit ad te de ſcientia, dicito: Accedite, quo vocabimus liberos noſtros, & liberos veſtros, & mulieres*

noſtras & mulieres veſtras, & animas noſtras & animas veſtras: Deinde ſupplicemus, & imponamus maledictionem DEI *ſuper mentientes.*

DISPUTATIO DECIMA
De
HÆRESI,
THESIS I.

EXtra Eccleſiam, qui errores dominentur, expoſuimus, nunc ad inteſtina mala deſcendendum, quæ ſcil. ipſam Eccleſiam fœdant, urgent & fatigant, & uno Nomine *Hæreſeως* comprehenduntur: quæ vox derivatur ſecundum quosdam ab ἐρείδειν contendere, aliorum calculo ab αἱρεῖν, detrahere, evertere, damnare, juxta alios à verbo αἱρεῖσθαι eligere: poſterior cenſetur eſſe probabilior, quanquam utroque ſenſu concurrat in hæreſin, cùm & ſit Electio, & deturbet à ſano veritatis ſenſu: probabiliorem verò eſſe poſtremam, docet Hieron. in cap. 5. Epiſt. ad Gal. cujus ſunt ſequentia: *Hæreſis Græcè ab Electione dicitur, quòd ſcil. unusquisq; id ſibi eligat, quod ei melius videtur. Cui uſus vocis accedit; notat enim opinionem de aliquo dogmate electam & firmatam Sectam, quarum quatuor inprimis celebres erant Athenis, Academica, Peripatetica, Epicurea & Stoica*; ſuffragium denique Doctorum in hanc originem conſpirantium.

II. In Scripturis N. T. aliquoties hæc vox legitur, & quidem Actor. 5. ℣ſ. 17. de Hæreſi Sadducæorum, Actor. 15 ℣ſ. 5. de Hæreſi Phariſæorum, nec non Actor. 26. ℣ſ. 5. de hæreſi Nazaræorum ſive Chriſtianorum Actor. 24. ℣ſ. 5. 14. & cap. 28 ℣ſ. 22 indefinitè de Hæreſi perverſa dogmata ſeminantium. 1. Corinth. 11. ℣ſ. 19. Gal. 5. ℣ſ. 20. 2. Petr. 2. ℣ſ. 1. Unde quidam in hanc opinionem deſcenderunt, non tantùm uſu profanorum, ſed & Sacrorum Scriptorum hoc Vocabulum mediæ eſſe ſignificationis, & nonniſi ex Epitheto determinari ad ſequiorem, vel aliis circumſtantiis textus, quod doceant loca ſupra allegata, inprimis ex 1. Corinth. 11. Galat. 5. 2. Petr. 2. & favere videtur ipſe Paulus, dum Phariſaiſmum ἀκριβεστάτην αἵρεσιν, ſectam accuratiſſimam, genus vitæ exquiſitiſſimum, non ſine Elogii indicio, Lucas, dum Chriſtianiſmum vocat Hæreſin Nazaræorum, qui, obſer-

obſervante *Ludovico de Dieu*, non ita dicebantur, vel ex errore Vulgi, vel ex impiorum ludibrio, ſed ex ipſius DEI conſilio, ipſorumque piorum uſu, nec non ipſum Evangelium de Chriſto. Actor. 28. ℣ſ. 22.

III. Verùm nondum videmus, quomodo iſta loca ſolidè intentum probent, potius, ſi dextrè expendantur, patebit, quicquid ſit de uſu profano, de quo non contendimus, in malam partem etiam hiſce in allegatis accipi: unde etiam Scriptores Eccleſiaſtici ad prævíam Lucem Librorum N. T. hanc vocem frequentiſſimè, imò forſan non aliter, quàm de vitio quodam Orthodoxiæ oppoſito uſurparunt, niſi quòd *Tertullianus*, & poſt illum *Cyprianus*, Chriſtianiſmum aliquoties divinam ſectam appellarunt, quæ vox æquipollet hæreſi, & non à verbo *ſecare*, ut voluit Eraſmus, ſed *ſequi* derivatur. Non concludit primum. Nam aut Paulus vocando Phariſaiſmum ἀκριβεστάτην, *loquitur non ex propria animi ſententia*, ut vult *Beza*, *ſed ex Hypotheſi adverſariorum, quia ipſi de ea ita ſentiebant & loquebantur*, vel alludit ad nomen Phariſæi, quia illi, conformiter nomini ſeparati, profanum vulgus contemnebant, quantum autem ſenſerit de illa ſecta, alibi expoſuit, dum omnia illius inſtituta & illorum obſervationem inter σκύβαλα reputavit Philipp. 3. ℣ſ. 4. & 8. non alterum conducit, tum quia non probabile, *Tertullum*, qui Paulum vocavit λοιμὸν ſive peſtem, voluiſſe commendare Chriſtianos, ſed potius poſito, quòd ex conſilio DEI & uſu piorum fuerit honorificum nomen Nazaræorum, obliquare illud, & hæreſin illam, cujus Principem dixerat Paulum, coram Judice exagitare; tum quia, ſi *Hieronymo* fides, Epiſtola 89 *Nazareni nomen non honorificum fuit, & illo tempore Chriſtiani probroſè ita dicebantur*, adſtipulante *Bedâ*; tum quia corrigit ipſe hoc nomen Apoſtolus, & oſtendit potius ex Adverſariorum ſententia ſibi & ſuis objici, cum dicit verſiculo decimo quarto: *confiteor tibi, quòd ſecundum Sectam, quam dicunt* αἵρεσιν, *ſic deſervio Patri & DEO meo, credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis ſcripta ſunt*. Ad quæ verba *Theophylactus* obſervat, *id nomen de Chriſtiana Religione non uſurpari, quia nullum inventum ſeu placitum aut Electionem merè humanam contineat, ſed ſemper apud nos malè ſonet*. Denique non tertium. Nam hanc vocem uſurpant Judæi, nec obſcurè ſignificant nominis ſenſum, dum addunt: contradici eidem ubique: ſcriptæ enim literæ à Synedrio

poſt CHRISTI aſcenſionem, miſſis legatis ad Synagogas, paulò poſt CHRISTI Obitum in everſionem Chriſtianiſmi, obſervante *Hugone Grotio.* Subſcribit noſtræ ſententiæ *Conimbricenſis* Academiæ Profeſſor. Qui obſervat, *Eccleſiæ uſum jam obtinuiſſe, ut hæc vox ad Electionem Doctrinæ in materia ſacra & fidei, & ut in malam partem accipiatur pro Electione privatæ Doctrinæ contra Catholicam & ab Eccleſia receptam: Cujus conſuetudinis optimam rationem reddiderit Iſidor. ex aliis antiquioribus Patribus, quia in doctrina ſacra nihil nobis ex noſtro arbitrio inducere liceat, ſed neque eligere, quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit: Apoſtolos enim* CHRISTI, *inquit, habemus authores, qui neque ipſi quicquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, ſed acceptam à* CHRISTO *doctrinam fideliter nobis tradiderunt.* Sicut ergo propria voluntas in malam partem accipi ſolet, pro ea, quæ culpam involvit, quia hæc ſola voluntate fit, & propriis ejus viribus: ita hæreſis in malam partem accipitur pro electione illius doctrinæ, quæ ab inventione humana contra doctrinam traditam inducta eſt, habetque uſus hic fundamentum in Scripturâ: nam ad Galat. 5. inter vitia damnabilia ponitur *ſecta*, & græcè habetur *Hæreſis*, & ad Titum 3. dicit Paul. *hæreticum eſſe à ſeipſo damnatum.* Denotatur autem hæreticus ab hæreſi, & dicitur eſſe damnatus à ſeipſo, quia electione proprii judicii condemnatur, ut 1. ad Corinth. 11. *Neceſſe eſt*, inquit, *Paulus hæreſes eſſe, ut, qui probati ſunt, manifeſtati fiant:* eſt ergo hæreſis reprobationis ſignum: ergo in malam partem accipitur, quod ex aliis etiam locis *Actorum* accipi poteſt. Atque hinc certiſſimum eſt (ut à Doctoribus allegatis notatur) *Catholicam fidem non poſſe nomine hæreſis ſignificari, etiamſi in principio prædicationis Evangelicæ à perverſis hominibus, ut inquit Hieronym. ad Galat. 5. id eſt, à Judæis, ita fuerit appellata.* Unde Paulus Actorum 24. ſic inquit. *Secundum ſectam, quam dicunt hæreſin, ſic deſervio Patri & DEO meo*, ubi non ſine cauſa interpoſuit illam particulam, quam dicunt, ſed ut denotaret, non eſſe ita appellandum, quamvis à Judæis ita nuncuparetur, & cap. 28. ubi in Vulgata legimus, *de ſecta hac*, Græcè habetur, *de hæreſi hac*, ſunt autem illa verba Judæorum, qui nihil divinum in Fide Chriſti credebant, ſed humanum inventum eſſe cogitabant, & ideò hæreſin illam appellabant: nullo tamen modo ita vocari poteſt: & ratio eſt, quia

quia licet Chriſtiani Fides quantum ad aſſenſum à voluntate libera pendeat, ac proinde ſine electione credentis non fiat, nihilominus ipſa doctrina fidei non eſt ab inventione, vel electione humana, ſed ex divina revelatione, & voluntas ipſa, qua talis fides eligitur, non eſt principaliter ex arbitrio humano, ſed ex gratia divina, & ideò hæreſis vocari non poteſt: nam hæc vox electionem humanam merè, & doctrinæ ab hominibus inventæ ſignificat. Unde *Theophylact.* in id Coloſſ. 2. *Secundum traditionem hominum: Hæreſes*, inquit, *propterea dicuntur, quia humanæ ſunt opiniones. Chriſtianorum autem dogma non eſt humanum, & propterea neque tale nomen conſequitur.* Et *Origenes* apud Pamphilum in Apolog. pro Origene ex locis ad Galat. ſcil. & ad Tit. 3. citatis colligit, *oportere nos, ſicut cætera mala, ita etiam nomen hæreſis omnino devitare.*

IV. Eſt autem *Hæreſis* ſpecies quædam Infidelitatis, quæ dividitur à Doctoribus in *Paganiſmum, Judaiſmum, & Hæreſin*, tanquam ſpecies diſtinctas; quibus addi poteſt *Muhamediſmus*, ni ſub Paganiſmo velis illum comprehendere: diverſis quippe innituntur principiis, diverſa quoque habent objecta, & diverſo modo tendunt contra fidem. Unde etiam *Thomas* ſecunda ſecundæ Quæſt. 10 Art. 5. ita determinat, *Plures & determinatæ ſunt infidelitatis ſpecies, ſi ſecundum comparationem ad fidem conſideretur, ſcil. Paganorum, Judæorum & Hæreticorum, plures autem & indeterminatæ, ſi conſiderentur varii Infidelitatis Errores in diverſis hominibus*, cui ſubſcribunt *Cajetanus, Bannes*, & *Arragonius.*

V. Non poſſumus ergò calculum addere *Swarezio, Cajetano, Caſtro Palao, Eſcobari* & aliis, qui negant diſtincta eſſe vitia, nec ratio, quæ movit quoſdam, concludit, quòd ſcil. *omnes illæ Sectæ privent eadem fide, & cum illa habeant eandem oppoſitionem.* Nam primò ab identitate Effectus ad identitatem illorum, qui illum producunt, nulla eſt conſequentia. Venenum privat vitâ, ſive ſit ex napello, ſive ex arſenico, ſive ex vipera, quis tamen negabit, hæc venena ſpecie differre, utut in Effectu, privatione vitæ ſcil. conveniant; ſecundò, habere eandem cum fide oppoſitionem, aut intelligitur generaliter, aut ſpecificè & determinatè: ſi prius, concedimus; verùm ita nihil concluditur, eandem enim oppoſitionem habent vitia ad virtutes, quantum ad generalem adverſandi rationem, nec tamen conveniunt. Si poſterius, negatur eandem eſſe cum fide oppoſi-

tionem Paganiſmi, Judaiſmi & Hæreſeως. Tertiò, ipſe *Eſcobar* in probatione propria cædit vineta, dicit in Paganiſmo eſſe totius fidei negationem, Judaiſmum eſſe negationem Myſteriorum Evangelicæ Legis: Hæreſin eſſe aliquorum V. & N. Teſtam. negationem: atqui, ut non dicamus, non tantùm in negatione conſiſtere hæc tria, ſed etiam in poſitivo typo diverſorum Dogmatum, neque illud urgeamus, quòd Hæreſis ſupponat Authoritatem Librorum Canonicorum, etiam hæc negatio non obſcurum eſt diſtinctionis ſpecificæ indicium. Si enim ſectæ Philoſophicæ poſſunt differre ſpecie, quarum una evertit omne id, quod in ſpeculo naturæ oſtenditur, altera partem tantùm, quid ni ex diverſa illa negatione, maximè ſi attendatur quoque illam fieri diverſo modo, non poſſit concludi diverſitas ſpecifica Paganiſmi, Judaiſmi & Hæreſeως?

VI. Concedit in noſtram Sententiam *Cancellarius Academiæ Pragenſis*, Tom. 5. Diſp. 19. Sect. 3. §. 25. 26 pag. 270. ſcribens: *Dixi, differre ſpecie inter ſe multos actus fidei, non ſolùm ob diverſitatem materialem Myſteriorum, id quod alioquin dico per ſe ſufficere ad diverſitatem actuum, ſed etiam ex diverſitate objecti formalis, non enim adverterunt Authores hi, eſto unum objectum formale nempe veracitas ſit eadem ſemper non ſolùm ſpecie ſed etiam numero, quia tamen video in hac poſſe eſſe diverſitatem plane genericam, ideò cenſeo etiam dari in objecto formali Fidei diverſitatem ſufficientem ad diverſificandos actus Phyſice, de quo egi fuſius ſupra, ex hac ego doctrina infero è contrario, eas infidelitates vera ſpecie differre inter ſe. Nam negare* Deum *unum diverſum peccatum eſt ab hoc, quod eſt negare verbum incarnatum, & negare* Christum *eſſe totum ſub qualibet ſpecie, etiam eſt diverſum ab hoc, quod eſt negare abſolute* Christum *veniſſe, datur enim in his actibus differentia ſpecifica in objecto Materiali, datur in revelationibus ipſis, per quas ea myſteria ſunt manifeſtata; Ergò. Idem ſecundo probo. Quia etiam Authores, qui in virtutum actibus non volunt diverſitatem ſpecificam agnoſcere, niſi ex objecto formali, in actibus tamen vitioſis contrariis eam agnoſcunt, quia non tam multum requiritur, ut contrahatur malitia, quàm ut communicetur Bonitas, Atqui negare* Christum *eſſe æqualem Patri, ſeu facere illum Creaturam, (ut Arius dixit) procul dubio longè major eſt Injuria, quàm negare eum contuliſſe Petro Eccleſiæ primatum, Tota*

enim

enim Malitia, quæ hic reperitur negando revelationem, reperitur ibi, eſt etiam ibi ſecunda injuria & quidem maxima, facit enim Verbum Creaturam, negatio autem primatus præter negationem revelationis, nullam aliam includit injuriam in CHRISTUM, *Ergò actus illi debent eſſe diverſi ſpecie, & unus longè gravior altero, loquendo etiam in genere moris. Confirmo: Si ego de Rege dicerem præcisè, eſt mendax, alius verò diceret, mendax, & ſimul Sodomiticus, nemo prudens dubitaret, quin hic ſecundus commiſiſſet gravius & diverſæ ſpeciei peccatum, ergò Calvinus dicens implicitè* DEUM *eſſe falſum (in quo convenit cum omnibus aliis Hæreticis,) & inſuper addens, illum ita eſſe in malum propenſum, ut ipſe nos determinet ad omnia mala moraliter, eaq; poſitivè velit, eorumque ſit cauſa non minus quàm bonorum, præterea de* CHRISTO *blaſphemans, eum in cruce peccaſſe graviſſimè & promeritum damnationem, haud dubiè gravius longè peccatum & ſpecie diverſum committet, quam ſi diceret præcisè:* DEUS *eſt mendax, aſſerendo non conceſſiſſe primatum Petro. Nam res ſic negata, ſeu ea non conceſſio primatus, ex ſe non eſt injurioſa* DEO, *quia liberè potuit eam intermittere ſine detrimento ſui; ergo negari nequit, quin inter genus infidelitatis ex diverſitate materiæ negatæ, aut* DEO *attributæ contra veritatem fidei, poſſit eſſe maxima diverſitas peccatorum: Ergò Gentilis* DEO *vero totam negans ſuam divinitatem, eamque in ſpurciſſima idola transferens, gravius ſpecie peccat, quàm Judæus, ſolùm negans Verbum adhuc veniſſe ad terras, Judæus ita negans Trinitatem Perſonarum & Chriſti Divinitatem, gravius ſpecie peccabit, quàm Huſſita, ſolùm errans, eo quod putet Communionem ſub utraque eſſe de neceſſitate Medii, Quæ doctrina mihi videtur adeò in genere moris certa, ut explicatis terminis de ea non poſſit dubitari.*

VII. Definitio Hæreſeos difficilis viſa fuit Auguſtino. In præfatione enim Libri de hæreſibus ad ſuum, quod vult DEUS, ſcribit: *Quid faciat hæreticum regulari quadam definitione, ſicut ego exiſtimo, comprehendi aut omninò non poteſt, aut difficillimè poteſt.* Rogat etiam circa finem libelli, ut *qui hæc legant, ad id quod reſtat implendum, nempe de conſtituentibus Hæreſin, cùm tam magnum eſſe cernant, orationibus ſuis illum adjuvent.* Ipſe etiam B.

Meiſnerus Hæretici ſimplicis, quæ ſint πρότημμα, quæ definitio, *nondum*, inquit, *videtur à Theologis usq; adeò accuratè deciſum.*

VIII. Tuto autem pede progrediemur, ſi præmittamus vocis hujus generaliter acceptæ definitionem, ſcil. quòd Hæreſis ſit Error divinæ Doctrinæ in Scripturis radianti oppoſitus in credendis & agendis. Dicitur Hæreſis *Error:* hic enim ſe genericè ad illam habet, cùm omnis hæreſis dicat Errorem & vitium quoddam intellectus, infidelitatem, quæ mentem afficit, unde etiam Doctores Pontificii tria ad Hæreſin concurrere aſſerunt, ſcil. materiam ſeu doctrinam, circa quam Hæreſis verſetur, judicium erroneum intellectus, & voluntatem, quâ talis doctrina taleque judicium ejus eligitur. Objectum illius ſtatuitur *Doctrina, quæ in Scripturis propoſita:* Quicquid enim conſonum Scripturæ in genere dogmatum, illud ipſum cenſetur eſſe Orthodoxum, quicquid diſſonum, illud Heterodoxum & hæreticum. Unde ſicut Orthodoxia occupatur circa dogmata in Scripturis clarè propoſita, illa agnoſcendo, approbando: ita Hæreſis verſatur quoque circa illa negando, rejiciendo, oppoſita ſubſtituendo, & cùm non tantùm dentur dogmata, quæ in aſſenſu Veritatis ſubſiſtant, ſed etiam, quæ oſtendunt, quid agendum, ideòque omne illud, quod ſub hoc ambitu comprehenditur, Materia hæreſeως eſſe poteſt.

IX. Oſtendi poteſt illa generalis notio, 1. ex ipſius vocabuli Origine, uſu, & ſignificatione: notat enim, ut ſupra obſervavimus, electionem alicujus doctrinæ ex proprio ingenio & voluntate, adeòque oppoſitam illi, quæ ex revelatione & voluntate divina ſuam ducit originem; notat in Scripturis, opinionum quarundam labem, & dogma, cui contradicitur, ut ex Actis demonſtravimus; notat denique aliquid, quod excludit regno cœlorum ex prævalentia proprii arbitrii contra revelatam doctrinam. 2. Si *Angelus de Cœlo annuncians Evangelium præter id, quod Paulus annunciavit, Eccleſia recepit, Anathema eſſe* dicitur. Galat. 1. ℣ſ. 8. ſanè omne dogma diverſum à dogmate divino ad hæreſin declinabit: dicit enim Apoſtolus, ſi præter Evangelium à ſe prædicatum aliud annuncietur, non tantùm ſi contrà, quanquam eo ipſo contrà, quo præter, adeòque voce παρὰ notat omne id, quod præter, quod diverſum in genere dogmatum, ut referunt inprimis *Chryſoſtomus & Theophylactus;* dicit, ſi nos, Ego ſcil. & collegæ mei, Petrus, Jacobus & Johannes,

hannes, qui Columnæ cenſebantur Eccleſiæ, & cæteri, vel etiam Angelus non malus, ut voluit *Ambroſius*, aſcendit enim Oratio Apoſtolica, prædicaverit vobis Evangelium præter id, quod prædicavimus, & repetit, ut ſolidiores reddat negligentes, ſi nos, aut Angelus è Cœlo prædicaverit vobis Evangelium præter id, quod prædicavimus, anathema eſto, ſit exciſioni obnoxius, reus coram DEO, res inviſa Cœlo, & damnabilis. Anathema autem hæreticis dicebatur in Conciliis; unde hic ipſe Apoſtolus etiam apertè profitetur, ſe ἐδὲν ἐκτὸς dixiſſe, quàm ea, *quæ Prophetæ prædixerunt futura & Moſes*, Actor. 26. ỷſ. 22. 3. Antiquitas in hanc ſignificationem conſpiravit. Audiamus *Irenæum*, qui hæreticos dicit omnes illos, qui Scripturis non aſſentiuntur, & indicium exhibet, ſcribens: *Cùm ex Scripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum Scripturarum, quaſi non rectè habeant, neque ſint ex authoritate, & quia variè ſint dictæ, & quia non poſſit ex his veritas inveniri ab his, qui neſciunt traditionem.* *Tertullianum* libr. de præſcriptione, cujus ſunt ſequentia: *Hanc dirigimus præſcriptionem adverſus hæreticos, ſi Dominus JESUS CHRISTUS Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos prædicatores, quàm quos CHRISTUS inſtituit, quia nec alius Patrem novit, niſi Filius, & cui Filius revelavit, nec Filius aliis videtur revelaſſe, quàm Apoſtolis, quos miſit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint Apoſtoli, & hic præſcribam, non aliter probari debere, niſi per eas Eccleſias, quas Apoſtoli condiderunt ipſi eis prædicando tam viva, quod ajunt, voce, quàm per epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt, conſtat omnem doctrinam, quæ cum Apoſtolicis Eccleſiis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam: Hæc enim ſine dubio id tenet, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a CHRISTO, CHRISTUS à DEO accepit; reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quia ſapit contra veritatem Eccleſiarum, Apoſtolorum, Chriſti & DEI. Age jam, qui voles curioſitatem exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitantur, ſonantes vocem & repræſentantes faciem uniuscujusque. Proxima eſt tibi Achaja: Habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalo-*

ſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam. Denique Hieronymum, qui ſatis perſpicuè: Quisquis aliter Scripturam intelligit, quàm ſenſus Spiritus S. flagitat, à quo conſcripta eſt, licet de Eccleſia non diſceſſerit, hæreticus appellari poteſt.

X. Juſto laxius itaque 1. hanc vocem uſurpavit Philaſtrius Epiſcopus Brixienſis, cùm hæreſin eſſe pronunciavit: Terram eſſe aliam, quæ veluti Matrix ſit omnium rerum, inviſibilem & incompoſitam, factam à DEO in primo die, & aliam, in qua habitamus, fundatam ſuper aquam, cauſam terræ motus ex natura ipſa elementorum derivare; Cometas, & Pogonias, & Hyadas, Hoëdos, & alia cœleſtia aliis, quàm quæ in S. Codice expreſſa ſunt, nominibus appellare, ſtellas putare eſſe infixas in cœlum, non de theſauris locisque abſconditis atq; à DEO diſpoſitis in Veſperam juſſu divino procedere, diebus hebdomadis planetarum, utpote Solis, Lunæ, Martis &c. nomina impònere: in locum verſionis LXX. Interpretum verſione Aquilæ Pontici uti, & ſimilia. Hinc Bellarminus multa à Philaſtrio inter hæreſes numerari, quæ verò hæreſes non ſint, proinde cum prudentia legendum eſſe docet. Quanquam ex hisce pateat, utut in hypotheſi peccatum ſit à Philaſtrio, generaliter tamen ſuppoſitum fuiſſe, Errorem contra Verbum DEI eſſe Hæreſin. 2. qui cum Socino nimis reſtringunt, deviare cenſendi, ſcribente Smalcio. Neceſſariò credendum eſt de DEO, quod ſit unus, quòd ſit æternus, ſummè juſtus, potens, ſapiens, creator omnium, & remunerator eorum, qui ipſum quærunt. De CHRISTO, quòd ſit Servator mundi, quem DEUS ex mortuis reſuſcitavit, & ad dextram ſuam collocavit. De Spiritu S. quod ſit virtus DEI, quâ omnes credentes donat. Et præter hæc omnia obediendum eſt DEO in omnibus illis, quæ Chriſtus nobis præcepit, maximè verò exercenda vera charitas. Hæc eſt ſumma eorum, quæ neceſſariò credere omnes tenentur, & facere, qui ſervari volunt. Vi hujus ſententiæ noſtræ à ſalutè arcentur primùm omnes Ethnici. Hi enim nec DEUM nec CHRISTUM norunt; & omnes Turcæ: hi enim & Chriſtum mortuum eſſe, ſic etiam eum ex mortuis reſuſcitatum eſſe, & ad dextram DEI ſedere negant, adeoq; eum nec adorant, nec invocant, nec deniqùe ex ejus ſolius præſcripto vitam & mores ſuos inſtituunt, ſed impuri Mahometis ſomnia & placita

placita Chriſti Evangelio præferunt. Deinde omnes Judæi. Hi enim J E S U M *expreſsè abnegant, extrà quem nulla eſt ſalus, & his ſimiles Judaizantes. Hi enim tacitè* C H R I S T U M *negant, dum eum vel ex mortuis reſurrexiſſe negant, vel ex mortuis reſuscitatum in cœlo otioſum eſſe blasphemant. Denique omnes, quicunque vel in unius, vel multorum peccatorum habitu, & conſuetudine hærent, quantumvis Chriſtum profiteantur, & quàm rectisſimè tandem de omnibus ſidei Chriſtianæ partibus ſentiant. Non negamus, multa etiam alia eſſe, in quibus homo Chriſtianus erudiri poſſit, & debeat; ſed hæc omnia non ſunt ejus generis, ut propterea a Chriſti Eccleſia arceri aliquis poſſit. Sunt enim omnia ita comparata, ut nec verum* D E I *& Chriſti cultum, nec veram pietatem tollant: Qualia ſunt, quæ de modo unitatis, quo* D E U S *unus eſt, quæ de Chriſti perſona, an ex duabus conſtet naturis, quæ de Spiritu S., an ita ſit in* D E O, *ut etiam ſit perſona? agitantur: an peccatum ſit originis; an homo mortalis creatus, nec ne: an omnia, quæ Sacramenta appellantur, talia ſint, & ad ſalutem neceſſaria ſint: an juſtificationis cauſa aliqua, vel effectum, aut conſequens ſint bona opera: an* D E U S *ante ſecula quosdam ad ſalutem, quosdam ad damnationem deſtinarit? & quæ horum ſunt ſimilia. Quanquam ſemper præſtat ab errore abeſſe quàm longiſſimè. Cùm rarò error ſit, qui peccati alicujus cauſa non ſit.*

X I. Specialiter accepta Hæreſis eſt Error in doctrina fidei. Error eſt, non tantùm ex mente *Auguſtini*, qui ſcribit in ſupra laudata præfatione *ad Quod vult* D E U M: *non omnis Error hæreſis, quamvis omnis hæreſis quæ in vitio ponitur, niſi Errore aliquo hæreſis eſſe non poſſit:* ſed & ex *Lamberti Danæi*, qui in prolegomenis ad illum Libellum addit: *Error eſt genus hæreſeos.* Conſpirant in hoc Pontificii Doctores, *Suarez*, *Laymannus*, *Bonacina*, *Eſcobar*, & alii. Error autem dicitur in doctrina fidei, ſive in illis, quæ inter articulos fidei computantur, quò quidem etiam referenda illa, quæ praxin proximè reſpiciunt, adeoque omnia dogmata Chriſtianæ Religionis ita ſunt comparata, ut circa illa hæreſis locum habere poſſit.

X I I. Cauſa hæreſeos eſt Diabolus, qui eligere fecit Evam contra revelationem divinam confeſtim in Paradiſo. 2. Corinth. 11. ꝟſ. 3. qui ut loquitur *Auguſt.* lib. 18. *de Civitate* D E I, cap. 51. *videns templa dæmonum deſeri, & in nomine liberantis Mediato-*

ris currere genus humanum, hæreticos movit, qui ſub vocabulo Chriſtianorum doctrinæ reſiſterent Chriſtianæ. Impellens eſt Curioſitas humana, Superbia & Inconſtantia, teſte Paulo, 2. Tim. 4. ꝟſ. 1. Joh. 3. ꝟſ. 9. 2. Petr. 3. ꝟſ. 16. Externa maximè Securitas hominum, & inprimis Miniſtrorum Eccleſiæ, dormientibus enim hominibus Diabolus ſeminat zizania. Matth. 13. ꝟſ. 25. 2. Theſſal. 2. ꝟſ. 10. 11 Apoc. 3. ꝟſ. 15. 16.

XIII. Latius expoſuit has cauſas *Petrus Ravanellus* ita ſcribens: *Cauſa efficiens hæreſis eſt, quà pœna eſt, juſtiſſima* Dei *voluntas, qui ſic verbi ſui contemptum ulciſcitur, & ſuos probat,* 1. Corinth. 11. verſ. 19. 2. Theſſalon. 2. verſ. 11. *quà peccatum eſt, cauſa ejus, tum, Satan, qui hæreſes excitat, tùm, Doctores falſi, qui eas ſubintroducunt,* 2. Petr. 2. ꝟſ. 1. *(nempe, tanquam miniſtri & os Diaboli) & vulgo vocantur hæreſiarchæ, atque ab Apoſtolo denotantur per authores diſſidiorum & ſcandalorum, circa doctrinam, quam didicimus,* Rom. 16. ꝟſ. 17. *Atque adeo, falſorum omnium Doctorum caput, nempè Antichriſtus, cujus etiam exercitum eſſe hæreſes, ait Chryſoſtomus, expoſit. alia in* Matth. *hom. 49. Rurſus hæc cauſa diſtinguitur, in impulſivam, qualis eſt, reſpectu Satanæ, malitia & odium veritatis, ex quo ſanam doctrinam corrumpere vel etiam evertere conatur,* Joh. 8. ꝟſ. 44. *reſpectu verò hominum ſeu doctorum falſorum, naturalis ipſorum corruptio (unde hæreſes recenſentur inter opera carnis,* Galat. 5. ꝟſ. 20.) *atque adeò, conſcientia mala, quæ eſt mater hæreſeωn,* 1. Tim. 4. ꝟſ. 2. *rebellio, cæcitas, avaritia, ambitio, &c. ut colligitur ex* 2. Tim. 3. ꝟſ. 2. *[collato cum v. 6.]* Tit. 1. ꝟſ. 15. 16. 1. Theſs. 2. ꝟſ. 5. 6. 2. Petr. 2. verſ. 3. *& inſtrumentalem, ut,* 1. κυβεία καὶ πανουργία πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, *id eſt, alea & veteratoria eorum ad inſidioſe fallendum verſutia,* Eph. 4. ꝟſ. 14. *confer.* 1. Theſſal. 2. ꝟſ. 3. 2. χρηστολογία & εὐλογία, Rom. 16. ꝟſ. 18. *atq; adeò,* λόγῳ κολακείας, *id eſt, ſermo aſſentatorius,* 1. Theſſal. 2. ꝟſ. 5. *ſeu,* πλαστοὶ λόγοι, *id eſt, ficti ſermones, quibus utuntur falſi doctores,* 2. Petr. 2. ꝟſ. 3. 3. *vana* Philoſophia (ἡ φιλοσοφία, καὶ κενὴ ἀπάτη) Col. 2. ꝟſ. 8. *unde Tertull. adverſ. Hermog. Philoſophos vocat hæreticorum patriarchas, vide eundem in hanc ſententiam de Præſcript. adverſ. hæret. & lib. 1. 4. 5. adv. Marc. item, Ambroſ.* in Pſalm. 118 *ſerm. 22.*

XIV. Subjectum Hæreſeως eſt homo, & quidem Chriſtianus, qui vult eſſe membrum aliquod Eccleſiæ, & titulo illo ſuperbit. Hæretici enim, quamvis non ſint de Eccleſiâ, ſunt tamen intra illam, neque Judæi, Muhamedani, vel Pagani hæretici dicuntur, ſed illis contra diſtinguuntur, & ſimpliciter infideles nuncupantur, unde etiam *Thomas* ſecuda ſecundæ quæſt. 11. art. 1. ſcribit: *Hæreſis eſt eorum, qui Chriſti fidem profitentur, ſed ejus dogmata corrumpunt*, ſecutus forſan *Tertullianum*, qui lib. 1. contra *Marcionem* cap. 1. dicit: *hæreticum eſſe, qui deſerto, quod prius erat, poſtea ſibi eligit, quod retrò non erat. Auguſt*. lib. 18. *de Civit. Dei*, cap. 51. ſecundò fundamentum fidei incurrens: quidam enim Hæretici in omnes articulos impingunt, quidam in unum vel alterum, ex quo tamen tota Catena luxatur, & ſicut error aliàs ſerpere ſolet, atque uno abſurdo dato plura ſequuntur, ita contingit quoque in hæreſi. Tertiò pertinax: inde *Auguſt*. lib. 18. de Civit. Dei, cap. 5. *Qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid pravumque ſentiunt, ſi correpti reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici fiunt.*

XV Non requiritur autem I. ut Subjectum errans habeat notitiam Erroris, atque ſciat ſe deviare, peccetque contra conſcientiam: cùm ſecundum Calvinianos etiam hâc ratione 1. omnes peſſimi hæretici, exempli gratia *Gnoſtici*, *Valentiniani*, *Marcionitæ*, *Manichæi*, *Arabici*, *Henric. Nicolaitæ*, *David-Joriſtæ*, *Franciſco Davidici*, *&c.*) non tantum ſeducti, ſed & ſeductores, ab hæreſi in judicio Eccleſiaſtico abſolvendi eſſent, quamdiu ipſis dicere liberet, ſe in conſcientiâ ita ſentire, nec aliter per conſcientiam Dei & per reverentiam Scripturæ debitam ſentire poſſe: Quandoquidem de occultis non judicat Eccleſia, nec hominum mentes inſpicere, aut καρδιογνωσίαν ſibi vindicare poteſt. Quia 2. idem φάρμακον omni infidelitati Judæorum, Muhammediſtarum, Gentilium, quin & craſſiſſimæ idololatriæ Dæmonolatrarum analogicè applicari deberet; & infideles ab idololatriæ, infidelitatis, ſuperſtitionis, apoſtaſiæ crimine abſolvi: quamdiu ſcil. proteſtarentur, ſe ita credere & agere ſecundum ſuam conſcientiam. Quia 3. hâc ratione tolleretur diſtinctio hypocriſis in formalem & craſſam; & nulla eſſet formalis hypocriſis aut deceptio proprii cordis, contra Jacobi 1. ℣. 26. nec II requiritur, ut & hæreſis committatur voluntariè, ſi ſermò ſit de volun-

tario directo, duplex enim illud eſt, de quo videndus *Suarez* pag. 248. ſect. 3. §. 2. III. Nec tandem, ut errans aliquoties ſit monitus, quò quidem referuntur verba Pauli Tit. 3. ℣ſ. 10.

XVI. Errare itaque cenſemus illos, 1. qui vel cum *Davide à Mauden* hæreticos illos eſſe dicunt, *qui ſcienter ſuſtinent quid contrarium ſacræ Scripturæ, aut definitioni Eccleſiæ, videlicet hominem non habere liberum arbitrium, opera bona non eſſe neceſſaria ad ſalutem, Sanctos eſſe honorandos: delectum ciborum eſſe ſuperſtitioſum, Sacramenta Chriſti nihil magis operari quam Sacramenta legis Moſaicæ, hisque ſimilia.* Cum 2. *Armininianis* aſſerunt, *in hæreſi voluntarium non ſufficere, ſed ſcientiam inſuper atque advertentiam requiri.* Cum 3. eodem *Davide à Mauden* opinantes, *de Ignorantia culpabili errorem habente contra fidem eſſe dubium, & diſtinguendam eſſe ignorantiam culpabilem ſeu voluntariam. Poſſe enim eſſe craſſam & ſupinam, qua quis non ex induſtria & propoſito, ſed ex quadam negligentia ignorat ea, quæ poteſt & debet ſcire. Poſſe etiam eſſe affectatam, quando quis de induſtria vult aliquid ignorare. Rurſus illam affectatam poſſe accidere ex tædio addiſcendi tantùm; & neutro modo aliquem eſſe hæreticum, quia ſic errans non offendat authoritatem Eccleſiæ tanquam pertinax & incredulus: licet offendat* DEUM *tanquam culpabiliter ignorans. Unde ſit magna differentia inter peccatum & hæreſin: Committentem enim homicidium aut adulterium ex ignorantia culpabili, non excuſari a peccato: ſed habentem errorem contra fidem excuſari ab hæreſi, quia illa includat eſſentialiter pertinaciam, qua nemo laboret non advertens ſe ſentire contra Eccleſiam, & porrò idem diximus.* II. Qui directè voluntarium requirunt, de quo *Suarez* pag. 285. ſect. 3. §. 8. ſcribens: *Nihilominus eſt tertia ſententia, quaſi media inter dictas, quæ docet, hæreſim non eſſe ſine voluntate directè eligendi privatam doctrinam, contrà doctrinam Eccleſiæ, ideoq; non poſſe eſſe hæreſim cum ignorantia, quæ talem voluntatē excludit, poſita autem ſufficienti ſcientia per talem voluntatem, ſeu electionem, ſtatim conſummari hæreſim abſq; temporis mora, vel alia admonitione. Hæc eſt ſententia communis Theolog. & Canoniſt. expreſſè D. Thom. 2. 2. quæſtione 11. artic. 2. ad 3. ubi optimè Cajetan. & alii moderni Banh. & Aragon. idem D. Thom. 1. part. quæſt. 32. art. 4. quatenus dicit, non committere*

tere hæreſim, qui errat, priùs quàm advertat, vel ſciat, contrarium eſſe ab Eccleſia definitum: idem ferè habet 1. ad Corinth. 11. *lect. 4. & ad* Titum 3. *lect. 3. eandem ſententiam tradit Alexand. Alenſ. 2. p. q. 161. membr. 1. ubi negat hæreſim committere, qui ignoranter, & non pertinaciter errat, excipit tamen errantem circa articulos fidei. Sed formaliter loquendo, non eſt exceptio vera: quomodo autem excuſari poſſit, infra dicam. Idem ſentit Panormitan. ubi ſupra, nam refert doctrinam Auguſtini, infra tradendam, & illam ſequitur dicens, ad hæreſim neceſſarium eſſe, ut quis velit adverſari doctrinæ Eccleſiæ. Unde cum ibidem ait committi hæreſim per ignorantiam, vel contemptum divinæ legis, non loquitur de ignorantia definitionis Eccleſiæ, ſed de ignorantia falſæ interpretationis ſacræ Scripturæ, ſeu divinæ legis: eandem ſententiam tenet Gabr. in 4. diſt. 13. q. 2. art. 1. notabili 3. & artic. 3. dubio 1. & 3. Durand. quæſt. 5. num. 6. Pal. quæſtione 3. art. 1. num. 4. & ex modernis Caſtro lib. 1. de juſta hæret. punit. cap. 1. circa finem, & clarius cap. 9. & lib. 2. capitul. 118. Cordub. lib. 1. quæſtione 17. §. 7. Vasquez 1. 2. diſput. 126. & Dried. libro de libertate Chriſtiana cap. 14. Præterea Canoniſtæ communiter in cap. Firmiter de ſum. Trin. & ſuper alia jura ſtatim alleganda, & alii, quos refert, & ſequitur Covar. lib. 3. Varia cap. 1. initio & Simanc. in inſtitut. titulo 31. num. 10. & toto titulo 48. Penha in 2. part. direct. cap. 1. comment. 1. deniq; conſentiunt communiter Summiſtæ, Sylveſter verbo Hæreſis initio, & Armil. numero 2. Angel. verbo Hæreticus initio, & Navarr. cap. 11. num. 22. Tolet. in Summ. libro 4. cap. 4. num. 7. quamvis libro 1. cap. 19. num. 2. primam ſententiam fuerit ſecutus, & hæc ſententia veriſſima eſt, oportet tamen illam per partes proponere, & confirmare.* III. Qui præviam monitionem requirunt, de quo puncto ita Cardinalis *Lugo* pag. 570. §. 159. & 160. *Hinc tamen dubitari ſolet tertiò, an ſatis ſit ad pertinaciam requiſitam, ſi quis ab Epiſcopo vel inquiſitoribus monitus, & correctus, eorum judicio non acquieſcat, ſed in ſuo errore permaneat. Prima ſententia affirmat, quam tenent Cardinalis, Bartolus, Penna, Farinacius, & alii apud Suarez dicta ſect. 3. num. 20; quibus adde Caſtrum Palao dicto tract. 4. diſp. 3. puncto 2. num. 6. Secunda ſententia negat id ſufficere, quia Epiſcopus, & inquiſitores non habent*

bent infallibilem veritatem in proponendo, nec ſunt regulæ certæ ex aſſiſtentia Spiritus ſancti; ſed poſſunt decipi, & decipere in rebus fidei: quare poteſt aliquis paratus eſſe ad credendum Eccleſiæ, licèt nolit credere Epiſcopo, & inquiſitoribus, quia Eccleſia non ſunt, ita cum Cano, Vasquez, & aliis Sanchez dicto cap. 7. num. 25. Valentia, Torres, Salas, & alii apud Dianam ubi ſupra Prima opinio negat. Tertia denique ſententia diſtinguit, & dicit, primam ſententiam veram eſſe in foro externo, ſecundam verò in foro interno; ita fere Suarez ubi ſuprà num. 21. Lorca, & alii, quos affert, & ſequitur Diana, loco citato. Ego tamen difficilè invenio quoad hoc differentiam inter forum internum, & externum. Quia vel propoſitio facta ab Epiſcopo, & Inquiſitoribus talis eſt, ut revera afferat obligationem credendi; & tunc in foro etiam interno erit pertinax, qui non credit, cùm reſiſtat fidei doctrinæ propoſitæ ſibi ſufficienter ad obligandum. Vel propoſitio non eſt talis, ut obliget in conſcientia ad credendum, & tunc ſicut in foro interno non erit pertinax, ſi non credat, ita neq; in externo debet talis judicari. Forus enim externus non judicat contra internum, niſi propter præſumptionem fundatam in aliqua circumſtantia externa ſufficienti ad præſumendum: ſi ergò propoſitio facta ab Epiſcopo, vel Inquiſitoribus, in illis circumſtantiis non eſt de ſe ſufficiens, ut obliget ad credendum, non debet etiam in foro externo judicari pertinax, qui ſtante illa propoſitione non credit.

XVII. Nec ſubſcribimus illis ex Pontificiis, qui negant *Catechumenum eſſe poſſe Hæreticum*, cum *Cajetano, Aragonio, Ugolino, Sayro, Sanctio, Toleto & Eſcobare, etiamſi pertinaciter erret*; ſupponunt enim, per Baptiſmum demum effici aliquem hominem Chriſtianum & membrum Eccleſiæ: ſupponunt, Eccleſiam eſſe ſpectabilem CHRISTI Rempublicam & congregationem fidelium, ſolenniter Profeſſorum, ut loquitur *Laymannus* & *Lugo*: ſupponunt cum *Eſcobare*, ex ſubjectione ad poteſtatem Eccleſiæ eſſe æſtimandam Hæreſeos capacitatem, unde ipſe *Laymann: fateri debemus, quod Catechumenus à fide* CHRISTI *recedens eſſentialiter non differat ab hæreticis, ſicut etiam rectè dicimus, quod æthiops eſſentialiter non differat ab aliis hominibus, qui non ſunt æthiopes:* & ipſe Franciſcus Suarez ad diſtinctionem confugit Fori interni & externi, ſcribens: *In hoc puncto, & ſequentibus diſtinguendum eſt de*

hæretico

hæretico tantùm in foro interno, ſeu divino, & de hæretico etiam in foro Eccleſiæ, ſeu de hæretico punibili, vel non punibili ab Eccleſia. Nam ſine dubio dari poteſt aliquis vere hæreticus apud DEUM, *quem Eccleſia punire non poteſt, ut conſtat de hæretico mere interno. Dico igitur primam ſententiam eſſe veram de hæretico vere tali quoad culpam, & quoad pœnam in foro* DEI, *quod apud me convincit ratio facta, cui Auctores contrariæ ſententiæ nihil reſpondent: cum tamen contra hunc etiam ſenſum ſentire videantur. Deinde Catechumenus, ſi vere credat, est aliquo modo Chriſtianus, tum quia* CHRISTO *unitur per fidem: tum etiam, quia ſalvari poteſt per baptiſmum flaminis, tum denique quia exterius confitetur* CHRISTUM, *dum ejus baptiſmum petit: ergò hoc ſatis eſt, ut vere dici poſſit Chriſtianus, ergò ſi poſtea ab hac fide per hæreſim recedat, retinendo aliquo modo fidem, & religionem Chriſti, jam ſub nomine Chriſtiano falſa dogmata profitetur vel ſequitur: ergo in re verè eſt hæreticus.* Nec 2. illi, qui hæreticum illum tantum dicunt, qui Articulum quendam fidei directè negat, non attendentes, quod, qui etiam per conſequentiam in fidei fundamentum incurrat, inter hæreticos veniat computandus, quæ quidem modernorum nonnullorum opinio. Laxè etiam agere cenſemus illos Caſiſtas, qui, *negantes Propoſitionem Theologicam*, opinantur, *non dicendos eſſe hæreticos: Quia ſtare optime poſſit, ut quis credat, quidquid à* DEO *revelatum eſt, cum negatione alicujus propoſitionis Theologicæ, eo quod ſibi non videatur rectè deduci ex principio revelato, & evidenti: vel ex eo, quòd principio evidenti non aſſentiatur. Ergo negare propoſitionem Theologicam, hæreſin non eſſe.* Ita *Aragon.* 2. 2. quæſtion. 11. artic. 2 *Sanch.* l. 2. Decal. cap. 7. num 33. *Suar.* de fide, d 19. ſect. ultim. num. 3. *quia hæreticus quis eſſe non poſſit, niſi objecto revelato diſſentiat: at concluſionem Theologicam revelatam non eſſe: ergo ejus negatio non eſt hæreſis.* Si verò inquiras, in qua peccati ſpecie debeat conſtitui? Mihi probabilius apparet, quod concludit ex illis primarius quidam, per ſe, & formaliter ad vitium curioſitatis ſtudioſitati oppoſitum in materia omnium graviſſima pertinere. Quia temere, & imprudenter conatur ille ſcire contra id, quod ab omnibus eſt receptum. Per accidens tamen ad hæreſim pertinere crediderim, negans enim in proximum periculum labendi contra fidem inducitur. Addiderim,

negantem Theologicam propoſitionem hæreticum præſumi. Quia nemo præſumitur eam negare, ex eo, quod principio evidenti, & evidenti illationi non aſſentiatur; ſed ex eo, quod non aſſentiatur principio ſupernaturali fidei. Quapropter ſi in illa negatione perſtiterit, tanquam hæreticus negans principium revelatum eſt puniendus. 3. Non illis quoque ex *Arminianorum* grege, qui de hæreſi volunt judicium ſuſpendi, *neque conſtare* dicunt, *quis ſit hæreticus, cùm ad illud vitium requiratur pertinacia, quam nemo in alterius mente videat, patente oculis actu illius, cui omnia ſunt reſupinata*, ut Paulus loquitur Ebr. 4. neque *Lugoni* ſcribenti: *Dubium eſſe poteſt, an requiratur pertinacia contra Eccleſiam, an verò ſufficiat, quod rejiciatur fides ſufficienter propoſita, licet nihil proponatur de ſenſu Eccleſiæ. Diximus enim ſuprà Diſp. 1. ſect. 12. non repugnare, quòd aliquid proponatur, ut evidenter credibile, & cum obligatione id credendi, quamvis non proponatur auctoritas Eccleſiæ: ſi quis ergo diſſentiret, peccaret quidem contra fidem peccato infidelitatis, & perderet habitum fidei infuſæ: an verò eſſet hæreticus, diximus hac eadem diſputatione ſect. 2. agentes de iis, quæ ad hæreſim requiruntur ex parte objecti, ad quem locum pertinet hoc dubium. Nam hæc circumſtantia non ſe tenet ex parte ſubjecti, ſed ex parte objecti, cui per diſſenſum contradicitur. Unde ibi diximus caſum eſſe metaphyſicum, ſi res ipſa ſit de iis, quæ non ad revelationem privatam, ſed communem ſpectant. Semper enim objicitur auctoritas contraria Eccleſiæ. Data tamen illa hypotheſi, eum non fore hæreticum propriè loquendo, quia hoc nomen ex uſu Eccleſiæ uſurpatur ſolùm ad ſignificandum eum, qui Eccleſiæ Catholicæ ſeſe opponit, quare conſequenter ille non incurreret cenſuras, & pœnas hæreticorum: Semper tamen in foro externo præſumetur hæreticus, quia non præſumetur pertinacia contra revelationem publicam, ſine pertinacia contra auctoritatem Eccleſiæ.*

XVIII. Materia ſive Objectum Hæreſeως eſt non tantùm illud, quod in quatuor Oecumenicis Conciliis definitum, quo ſenſu quidam accipiunt illud Imperatoris. lib 12 Codice de Hæreticis & Manichæis pronunciante; *Hæreticus eſt omnis non Orthodoxus*, qui lib. 2. Cod. de Trinitate, *Nicenæ fidei aſſertor* dicitur, & *Catholicæ Religionis verus Cultor*; multò minus Articuli in Symbolo comprehenſi,

prehenſi, minimè verò Omnipotentia Papalis, quàm qui negat, facilè excommunicationis fulmen incurrit, poſtquam enim ea, quæ ſunt fidei, univerſalis Eccleſiæ Authoritate determinata, ſi quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus ſecundum Pontificios cenſetur: *quæ quidem Auctoritas principaliter reſidet in Pontifice Summo*, ait Thom. 2. ſecundæ quæſt. XI. artic. 2. ſed omne dogma in Verbo DEI traditum, ex quo Principalia illa cenſentur, quæ Syſtema articulorum fidei integrant & conſtituunt.

XIX. Abſurdiſſimi itaque ſunt Pontificii Doctores, qui 1. *negant eſſe hæreticum cum Vasquezio, niſi credat ſe opinari contra Eccleſiæ Doctrinam, à quocunque judice moneatur:* qui 2. definiunt cum *Philippo à Sanctâ Trinitate* Hæreſin, quod ſit *Error pertinax Catholicæ fidei manifeſtè contrarius, in eo, qui fidem Chriſti profitetur, quia Eccleſia nec judicet nec puniat eum, qui non habet Errorem pertinacem &c.* p. 250. qui 3. denique, cum *Laymanno*, omnes illos hæreticos pronunciant, *qui univerſali Eccleſiæ, cujus Caput Romanus ſit Pontifex, ſe opponant, illiusque infallibilem in proponendis fidei Dogmatibus auctoritatem contumaciter negent.*

XX. Forma à quibusdam ſtatuitur Pertinacia, quod tamen ita ſimpliciter non eſt admittendum, tum quia hæreſis ſecundum Phraſin Scripturæ pertinacia non circumſcribitur, & formaliter dicit electum aliquod dogma citra revelationem ex propria cordis adinventione, ut etiam ex Doctoribus Pontificiis quidam agnoſcunt: tùm quia pertinacia potius inter conſequentia videtur referenda, quam conſtituentia, quanquam enim injectio diabolica motus primo primi adverſus veritatem fidei, ſcrupuli conſcientiam pungentes, dubitationes aliquæ, nondum hæreſin faciant, non tamen pertinacia formaliter illam conſtituit, tum quia in Antiquitate extranei & inimici Apoſtolis hæretici dicti ex diverſitate doctrinæ, quam unusquisque ſuo arbitrio adverſus Apoſtolos aut protulit aut recepit: ſed limitatè hoc intelligendum de hæreſi ſcil. conſummata, & illa pertinacia, quæ non tàm ex mora temporis, quàm renitentia mentis æſtimanda; nec malè Cardinalis *Lugo* rejectis rejiciendis: *Eſt aliquorum ſententia id exigens, atque adeò temporis durationem non modicam, in quo incorrigibilitas appareat; & obſtinatio contra monitiones, & correctiones adhibitas. Pro qua citari ſolent Syl-*

veſter verbo hæreſis 1. quæſt. 2. num. 5. & Archiadiaconus apud ipſum, dicentes: hæreticum eſſe, qui publicè, vel latenter diu in errore perſiſtit. Alii tamen eos explicant, quod loquantur non de culpa ipſa, ſed de præſumptione criminis, & pertinaciæ in foro Eccleſiaſtico. Eam tamen videtur docuiſſe Alciatus in l. 2. Cod. de ſumma Trinitate, num. 3. ubi ſic ait: Pertinacia eſt, quæ hominem hæreticum facit, quapropter ſi quisquam in Trinitate non recte ſentiat, niſi admonitus perſiſtat, hæreticus non eſt. Quod idem docuiſſe videtur Menochius volum. 2. Conſil. 149. num. 49. dicens: ut quis dicatur hæreticus pertinax, debet conſtare, quod fuit monitus, & inſtructus de veritate, & quod ea inſtructione ſpreta perſiſtat in eadem opinione. Pro quo citat Lupum, & Turrecrematam, quibus alii addunt Palatium, Rubeum in allegatione in materia hæreſ. §. 3. & fundari poſſunt in verbis Pauli ad Titum 3. hæreticum hominem poſt primam & ſecundam admonitionem devita. Et Auguſtini contra Manichæos relati in cap. qui in Eccleſia, 24. q. 3. dicentis, qui in Eccleſia Dei morbidum aliquid pravumq; ſapiunt, ſi correcti, ut ſanum rectumq; ſapiant, reſiſtant contumaciter, ſuaq; peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici ſunt. Sed revera Alciatus, & Menochius explicari adhuc poſſent, ſicut & alii; cùm enim Juriſtæ ſint, qui de foro externo ſolùm agunt, in eo ſolùm foro dicunt excuſari poſſe reum, ſi monitus non fuit nec correctus, paratus enim erat corrigi, & errorem deponere, ſi monitus fuiſſet. Cæterùm in foro Dei, qui corda ſcrutatur, ſi verè ille in corde paratus non erat ad errorem corrigendum, quippe ſciebat jam bene eum eſſe contra Eccleſiæ ſenſum, non excuſabitur ab hæreſis labe contrahenda ob defectum monitionis externæ. Communis ergo, & veriſſima Theologorum ſententia docet, eam monitionem, vel temporis diuturnitatem, aut moram non exigi, ut aliquis hæreticus fiat, & pœnas hæreticorum incurrat; ſed ſufficere, quod cum deliberatione plena errorem amplectatur, & exprimat, quem videt ab Eccleſiæ ſenſu, & definitione alienum eſſe. Ita Suarez dicta diſp. 19. ſect. 3. num. 23. Cajet. Vasquez, Valentia, & alii innumeri, quos afferunt, & ſequuntur Sanchez dict. cap. 7. num. 7. & Diana dicta reſolutione 36. qui benè ex aliis à ſe relatis obſervant contra Alciatum, & alios, nec etiam in foro externo requiri ſem-

per

per monitionem, & correctionem præcedentem, ut aliquis tanquam hæreticus, & pertinax puniatur, nec & quidem in praxi ſancti officii obſervari. Si enim aliunde conſtare poſſet ex ipſa doctrinæ notorietate, & qualitate perſonæ, aliiſque circumſtantiis, non potuiſſe Reum ignorare oppoſitionem illius doctrinæ cum Eccleſia, eo ipſo judicabitur hæreticus, & ad hunc finem interrogatur in judicio, an ſciret, quod id eſſet contra Eccleſiæ doctrinam, quod ſi fatetur, jam cenſebitur ſufficienter hæreſim & pertinaciam confeſſus. Ratio autem eſt clara, quia monitio externa ſolùm deſervire poteſt, ut errans advertat ad oppoſitionem ſui erroris cum doctrina Eccleſiæ. Si ergò id totum ipſe multò meliùs ſcit ex libris, & definitionibus Conciliorum, quam ex monitoris verbis ſcire poſſet, non eſt cur neceſſaria ſit alia monitio, ut pertinax ſit contra Eccleſiam. Neque etiam ad hoc alia temporis mora requiritur, cùm breviſſimè poſſit auctoritas & ſenſus Eccleſiæ cognoſci, & deliberatè contemni, ſicut in aliis peccatis contingit; & à contrario optimè arguitur ex actu fidei, quem breviſſimè poteſt homo elicere, & Eccleſiæ ſe reverenter ſubmittere, ejuſq; doctrinam amplecti; contrariorum autem eadem eſt ratio, nec plus temporis requiritur, ut ab Eccleſia pertinaciter recedas, quam ut ad eam conſtanter & firmiſſimè accedas. Nec obſtant verba Pauli in contrarium adducta, imò ut notavit Suarez, ſupponunt etiam ante monitionem eſſe jam hæreticum, dum dicit, hæreticum poſt primam & ſecundam monitionem devita. Monitio ergo requiritur ad juſtificandam ſeparationem, probata jam ejus incorrigibilitate, ne operam perdamus cum noſtro periculo, & ſine ſpe illum lucrandi. Addere poſſumus illud documentum dari Tito, qui, cum eſſet Epiſcopus, debebat, ut paſtor, quærere oves errantes, ut ad Eccleſiæ ovile reduceret. Aliis verò privatis ſalubriùs aliquando erit ſtatim hæreticum vitare, quem ſciunt non ex ignorantia, ſed malitia peccare; debent enim ſibi conſulere, & cavere, ne dum ſanare eum volunt, periculoſe inficiantur. Denique in eodem ſenſu Auguſtinus ſuprà adductus docet, conſtare ſatis de hæreſi illius, qui correctionem reſpuit, quia antea potuiſſet ignorantiæ prætextu ſeſe aliquando ſubdolè, aliquando veraciter excuſare.

XXI. Effectus eſt Excluſio è regno Dei. Unde Hæreſes dicuntur exitiales illis, qui illas ſequuntur, ἀπωλείας præcipitantes in

 Exiti-

Exitium æternum ſectatores ſuos, 2. Petr. 1. ℣ſ. 1. 2. 3. & inter Opera carnis computantur, quæ excludunt Regno Cœlorum Gal. 5 Apocal. 2. ℣ſ. 22. 23.

XXII. Fruſtra ſunt, qui tàm fœdam nolunt eſſe Hæreſin, ut à nobis deſcripta, & de conſeqentibus exitialibus fructibus dubitant: quanquam egregiè faciat 1. pro Lutheranorum infantibus, quod *Eſcobar* definit, ſcribens: *parvuli hæreticorum, qui ab initio falſa fide à parentibus inſtructi fuère, videntes eam ſua in Eccleſia publicari, & à majori parte vicinorum recipi, a crimine hæreſis excuſantur. Quia, donec illis ſufficienter ſit fides vera propoſita, eam recipere non tenentur: illa enim ignorantia invincibilis judicatur. Sanchez. libr. ſecund. Decal. cap. prim. num. octav. Aragon. 2. 2. quæſt. 11. art. 2. dub. ultim. Sancius in ſelect. d. 19. num. quart.* pro adultis 2. quod *Henricus Marcellius* prodit: *Quamobrem neque ullum ego illotum, qui à pace & unitate Catholica per voluntariam erroris profeſſionem ſeparati extremum obiere diem, quantumvis viſus fuerit, dum viveret, fuiſſe in errore pertinax, abſolutè damnatum pronuncio: uti neque eorum aliquem, qui etiamnum à* CHRISTI *corpore ſive ab Eccleſia ſejuncti ſuperſtitem in terra vitam degunt, quantàlibet obſtinatione videatur Spiritui S. & in Eccleſia & per Eccleſiam loquenti reſiſtere, veræ formalis hæreſeos cenſura aut nomine perſtringo, quia id nec ſcio, nec poſſum: Neq; enim mihi conſtat, utrum verè & propriè in errore pertinax ſit; an potiùs ignorantia, vel zelo indiſcreto, vel alia quavis ratione excuſetur.* Quo referimus illa *Davidis à Mauden* dicentis: *Ex his infero zeloſos quosdam ex ignorantia quadam falſo ſibi perſuadentes, ſuam ſectam veritati & Evangelio conſentaneam eſſe, ut plurimi ſunt in Germania, Anglia, Francia & Belgio, nati ex parentibus hæreticis, non eſſe cenſendos hæreticos, etiamſi ſummo ſtudio ſuam ſectam velint defendere: quia ex ignorantia peccant. Et ſimiles ſunt D. Paulo ante converſionem, qui de ſeipſo ſcribit, ad* Galat. 1. *Audiſtis converſationem meam aliquando in Judaiſmo, quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam* DEI, *& expugnabam illam, & proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum. Et tales idcircò miſericordiam ſæpius conſequuntur, ut convertantur, ut nobis idem Apoſtolus*

ſcripto

ſcripto reliquit 1. ad Timoth 1. *cum de ſe dicit: Miſericordiam DEI conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. Et hoc experientia ſæpe docuit in hiſce partibus. Memorabile eſt, quod mihi contigit ante annos undecim, cum requirerer à quodam Mercatore hujus urbis ſcriptum conficere, probatum teſtimoniis Scripturæ, quibus liqueret ſufficere communionem ſub una ſpecie, quod quidam vir magni nominis ſectæ Lutheranæ in Germania paratus eſſet Catholicam fidem ſuſpicere, ſi id ei probaretur: Conſcripſi aliquid compendioſè, maximè ex Bellarmino & Suarez, quod ad illum miſſum eſt. Et intellexi poſt paucas ſeptimanas ex dicto mercatore, illum cum totâ familiâ converſum à Lutherana ad Catholicam fidem. Et poſtea aliam ſalutationem ab eo accepi, qua indicavit moleſtiam ſcribendi non fuiſſe gratis ſuſceptam, quod ſexaginta eum eſſent ſecuti; quod ſignum eſt, tales paratos eſſe poſt meliorem inſtructionem veræ Eccleſiæ ſubſcribere, atque adeò non eſſe hæreticos tales illico dicendos.* De quo Exemplo fides ſit penes Authorem, cum nec facile credendum, illud contigiſſe, nec ſi contigit, qui cecidit, ſtabili pede fuerit. Quod 3. Caramuel pro Doctis reſpondet: *Baſanomenus Lutheranorum filius, & in Lutheranâ urbe natus, inter Lutheranos nutritus, magiſtros habuit & prædicantes Lutheranos; hic ubi primùm P. Valerianum, Magnum Capucinorum decus, & alios audivit inculcantes, vel eſſe redeundum ad Romanam Eccleſiam, vel recedendum à CHRISTO, fervidè inſurrexit & dixit: Chriſtianiſmus probabiliſſima Religio eſt, & ſub ipſo dantur ſectæ antiquiores, juniores, ſeveriores, benigniores, univerſaliores, minùs univerſales (& præcipuè Romana, Lutherana, Calviniana) QUÆ SUNT VERE PROBABILES. Ergo mihi Lutherano non eſt neceſſariò redeundum ad Romanam Eccleſiam, aut ſecedendum à CHRISTO. Nam præter Romanam Religionem, cui probabilitatē non nego, etiam Lutherana eſt Chriſtiana, & probabilis, & multò Romanâ benignior. Vim rationis jam penetras; jam vides, quò reſpiciat hæreticus. Tenet primò eſſe probabile, quod DEUS mentiri nequeat: ſecundò eſſe probabile, quòd revelârit ſacram paginam, &, ſi velit, ut ſic loquar, dictaverit: tertiò eſſe probabile, quòd eandem Romana Eccleſia benè exponat, & tamen addit, iis non obſtantibus harum antitheſes eſſe probabiles. Reſolutionem hanc ſic ille confirmat & dilucidat. Doctrina Ariſtotelis,*

ſtotelis, inquit, prout hodie traditur in Academiis Italicis, Hiſpanicis, Gallicis, probabiliſſima eſt: nec contra hanc ipſam probabilitatem militat mundi æternitas, & animæ rationalis mortalitas: nam iſti & ſimiles errores ſunt expuncti, nec jam traduntur à Chriſtianis Philoſophis. Hæc ipſa doctrina & ſchola Ariſtotelis in tres ſectas dividitur, Thomiſticam, Scoticam, & Nominalem; omnes probabiles, omnes celebres, omnes plauſibiles. Dicant Dominicani [noſtra ſchola Ariſtotelica eſt, & antiquior Nominali & Scotica: ergo redeundum ad ipſam, vel ſecedendum eſt ab Ariſtotele] Quid inde? Nam à Franciſcanis ridebuntur, qui æquo jure reponent, [vel admittendam eſſe Scoti ſcholam, vel relinquendum Peripatum] tunc enim argumentatio urgeret, cùm vel una ſub C h r i s t o *Religio, vel una ſub Ariſtotele ſchola demonſtrationes produceret. Nam ſi una ſecta demonſtraretur eſſe vera, reliquæ demonſtrarentur eſſe falſæ; in noſtro caſu, ait Baſanomenus, omnes has Religiones (Romanam, Lutheranam, Calvinianam) eſſe Chriſtianas & probabiles judico; & omnes has ſcholas (Thomiſticam, Scotiſticam & Nominalem) eſſe Ariſtotelicas & probabiles cenſeo; & hanc ob rem ratiocinio illo disjunctivo, vel redeundum eſt ad Romanam Eccleſiam, vel ſecedendum eſt à Chriſto, convinci aut urgeri non poſſum. Nec antiquitatem ipſe & Concilia generalia morabitur: hæc enim, ut ait, probabilia argumenta, & non evidentia miniſtrant: quoniam ſchola Ariſtotelis* C h r i s t i *Religione multò antiquior, & Academiæ Peripateticæ multò numeroſiores magiſtros habent, quàm generalia Concilia, & ſi licet P. Magno doctrinam Peripateticorum de errore & tyrannide arguere, cur non licebit Baſanomeno eſſe & cautiori? Cur non dicere, Romanam quidem Eccleſiam eſſe probabiliſſimam, adeoq; in foro interno eſſe ſecuriſſimam; & tamen hoc ipſo non obſtante Lutheranam, quam ipſe profitetur, eſſe etiam probabilem, atque æquè Chriſtianam ac ſecuram;* Imo Securiorem Omnino, Quoniam Minùs Probabilis Sententia, Si Benignior, Etiam Securior Est? *Cur non licebit addere, ſe eſſe in quieta conſcientia apud Lutherum, adeòque non teneri redire ad Eccleſiam Romanam, nec à* C h r i s t i *Religione ſecedere?*

DISPUTATIO UNDECIMA
De
SCHISMATE,

THESIS I.

AFfine Malum Hæreſi eſt Schiſma, deſcenditque ratione vocis à verbo σχίζω, & generaliſſimè loquendo Rupturam quandam ſignificat. Sic CHRISTUS Matth. 9. ỳſ. 16. dicit: *Nemo immittit Comiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus, tollit enim plenitudinem ejus à veſtimento,* καὶ χεῖρον σχίσμα γίνεται, *& pejor fit ſciſſura. Eraſmus* uſurpavit hîc vocem *Ruptura: Caſaubonus* exiſtimavit, σχίσμα notare propriè fiſſuram, quâ voce uſus fuit in Verſione ſua *Piſcator*, & uſurpatur hæc vox vel latius, notatque qualemcunque diſſenſionem, diſſidium, & opinionum pugnantium varietatem, atque ſic legitur, Joh. 7. ỳſ. 43. ubi ſchiſma dicitur factum in turba propter CHRISTUM, Principes enim, ut obſervat *Theophylactus*, unius ſententiæ fuerunt, nè JESUS reciperetur: nec non Joh. 9. ỳſ. 16. ubi Schiſma ſive diſſidium dicitur ortum inter Judæos propter ſermones CHRISTI; vel ſtrictius, atque deſignat diſſidium inter membra Eccleſiæ circa Religionem, vel illius decorum & ritus, quo ſenſu hanc vocem accepit Paulus 1 Corinth. 1. ỳſ. 10. ỳſ. 18. 12. 25.

II. Definitur à quibusdam, quòd ſit Seceſſio in Religionis negotio temeraria vel injuſta ab Unitate Eccleſiæ, vel quòd ſit voluntaria, temeraria vel injuſta Charitatis, & externæ conſociationis Eccleſiaſticæ viſibilis disruptio in partes non communicantes. Dicitur Seceſſio, quia eſt renunciatio Communionis, conjuncta cum voluntaria & corporali ab unitate ſeparatione, ut patet, tum ex 1. Corinth. 1. ỳſ. 10. 11. 12. collato cum cap. 3 ỳſ. 3. 4 ubi vox διχοστασία tanquam Synonymum occurrit, quam Paulus ab Hæreſi diſtinguit, Galat. 5. ỳſ. 20. nec non ex 1. Joh. 2. ỳſ. 19. ubi dicuntur tales egreſſi ex Eccleſia: tùm ex oppoſito Unitatis, quæ Communionem infert, & ſecundum *Henricum Gandavenſem* privationem Diviſionis, tùm ex Pontificiorum & alio-

rum Doctorum conſenſu. Jus quippe Canonicum ita loquitur, cauſ. 7. quæſt. 2. cap. adverſitas. *Schisma committit, qui ſe à bonis ſeparat.* *Lancellotus* lib. 4 tit. 4. *Schismatici ſunt*, inquit, *qui ſe ab unitate Eccleſiæ ſeparant per inobedientiam.* *Bonaventura* in explicat. Term. m. Theologicalium dixit: *Schisma eſſe illicitam disſenſionem eorum, inter quos deberet eſſe Unitas.* Conſulantur *Thomas 2. ſecundæ quæſt. 39.* art. 1. *Cajetanus*, *Bartholomæus Fumus in Armilla*, *Pighius in Hierarchia* lib. 3. cap. 8 Dicitur Seceſſio in Religionis negotio, ita ut ſub illo comprehendatur id quoque, quod ritus & Diſciplinam Eccleſiæ vel Eccleſiaſticam ſpectat, ut Exemplo *Vadianorum*, alii legunt *Audianorum*, illuſtratur à Doctoribus ex *Epiphanio* de hæreſibus, cap. 50. Dicitur tandem temeraria & injuſta; neque enim quævis seceſſio in Religionis negotio Schiſma, cùm ſit vox ἐκ τῶν μέσων, & quandoque ſeceſſio ſit bona & laudabilis, ut conſtabit ex dicendis. Ut autem Terminus à quo eſt Eccleſiæ unitas, ſive Unio partium inter ſe ſub externâ Communione, ita terminus ad quem eſt ſimplex ſubductio, vel unà novi cætus inſtitutio; neque tamen nomine Schiſmaticorum veniunt illi, qui prolapſi in Ethniciſmum, Mahumedaniſmum, aut Judaiſmum, quanquam gravius peccent, quæ res fortaſſe juxta *Maccovium* in cauſa fuit, cur temporibus Eccleſiæ Judaicæ nullum novum nomen inditum Schiſmati fuerit, quia quicunque tunc defecerunt ab Eccleſia, ita defecerunt, ut Idololatria eſſet manifeſta ſine ullo obtentu: quanquam expendendam relinquamus ſeceſſionem decem tribuum ad ſacra immutata à Jeroboamo, & varium illius Eccleſiæ ſtatum, in quantum contradiſtinctè ſe habuit ad Regnum Juda, Eccleſiam, in qua purior adhuc viguit, licet non omni tempore, cultus.

III. Malè itaque I. *Antonius Cucbus* Schiſma cum Hæreſi confudit libro 4. tit. 4. ſcribens: *Schismatici, id eſt, qui ab Unitate Eccleſiæ ſe dividunt, ſuos ſibi ſeorſim conſtituentes Sacerdotes (Abbas in Rubrica ex eod.) hæreticis annumerantur: Diſtincta* enim hæc eſſe ipſa Scriptura docet, nominum origo & uſus convincit, Patrum deſcriptiones oſtendunt: *Hæretici*, inquit *Auguſt.* de fide & Symbolo cap. 10 *de Deo falſa ſentiendo, ipſam fidem violant: Schiſmatici autem diſſenſionibus iniquis à fraterna charitate diſſiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus.* Inſufficienter II. *Duræus* Schiſma deſcripſit, quod ſit *qualibet animorum inter Chriſtianos disjunctio*,

ctio, ſcil. ut ſuis litaret opinionibus, Menſuram petiit non ab Objecto, ſed proprio ingenio, nec conſideravit, ſocios Religionis non acquieviſſe in animorum diſtractione, ſed cum *Petro Martyre* ſeparationem congregationis requiſiviſſe, & laxitati illius, antequam ſcriberet, fibulam poſuiſſe: Papaliter denique III. Schiſmaticum ad ſtatum Romanæ Tyrannidis deſcribit cum cæteris *Thomas Tamburinus*, quòd ſcil. *purus ſchismaticus* is ſit, *qui, cùm credat omnes articulos fidei, retrahat ſe ab obedientia ſummi Pontificis, ut eſt* C**HRISTI** *Vicarius, ac ſi ipſi ſubjectus non eſſet.* Quâ ſtante definitione omnis ille Schiſmaticus, qui non adorat Pontificem, & dicit: *Oraclo vocis terræ moderaris habenas, & meritò in terris crederis eſſe* D**EUS**, qui non agnoſcit caput Eccleſiæ præter Chriſtum, adeoque hoc corpus, quod præter illum pontificem veneratur, ut caput ſecundarium, eſſe monſtrum, qui non ſit ſervus hominum, contra Paulum à precii magnitudine ducentem argumentum, metuens, ne ſi non procumbat, conjiciatur in fornacem flammâ terribilem cum Daniele & ſociis, experiatur, quod *Lancellotus* ſcripſit: *Schiſmaticos excommunicationis pœnâ inſectantur Canones, etſi nec ſic reſipuerint, ab omni Miniſterio Eccleſiaſtico deponantur, adhibito etiam, ſi neceſſe ſit, Brachii ſecularis Auxilio, ad illorum Inſolentiam coërcendam, cum omnium etiam Bonorum confiſcatione.* Inſanit verò *Rodericus ab Arriaga* ſcribens: *Notant quidam, ipſum Pontificem poſſe fieri ſchismaticum, ſi ſe ſeparet à toto corpore Eccleſiæ, nolendo cum eâ communicare; ſed vellet ſibi novum aliquem cœtum congregare; quia tunc etiam ſcinderet unitatem Eccleſiæ, quam non ſolùm tenentur membra ſervare cum Capite, ſed etiam Caput ipſum cum membris. Non dubito, ſi id faceret Pontifex, eum futurum ſchismaticum. Mihi tamen moraliter videtur impoſſibile, ut id faciat ſine aliquâ hæreſi, aut illius apparentiâ: qualem enim quæſo novum cœtum prætenderet ſibi congregare? an ex non baptizatis? jam eo ipſo eſſet hæreticus; quia (ut ex Paulo conſtat) hi, qui foris ſunt, non ſpectant ad Eccleſiam: id etiam in Tridentino & alibi eſſe definitum ſuprà oſtendimus agentes de Eccleſiâ. Si verò cœtum illum vellet ex hæreticis ipſis congregare eorum errorem approbando, clariùs ſe oſtenderet hæreticum: hunc ergo caſum ut planè moraliter impoſſibilem omittimus. Utrùm autem, ſi Pontifex fieret publice hæreticus, aut ſchismaticus, deſineret*

ſineret eſſe eo ipſo Papa; an verò deberet adhuc intervenire Eccleſiæ declaratio, diximus ſuprà, dum de Pontifice egimus.

IV. Cauſa Schiſmatis eſt Caro, vetus in homine Homo: oſtendit hoc Paulus, Schiſmaticos vocando carnales, 1. Cor. 3. v. 3. 4. nec malè *Raynoldus: Ortum habent Hæreſis & ſchisma ſcil. ex hæreditaria labe peccati & nativa illa corruptela noſtra, quam carnem appellare ſolet Scriptura, quum eam in renatis opponit ſpiritui. Ita quia carnis hujus impuritas, etiamſi ſpiritus efficacia tanquam aqua eluatur, ex parte remanet in ſanctificatis, quamdiu mortalia corpora circumferunt: idcirco naſci poſſunt hæreſis & ſchisma in ſanctis* D*EI filiis, hæredibus cœleſtis regni: ſed conſummata in illis eſſe non poſſunt. Tum enim conſummantur, quum repudiatis ſalutaribus monitis, atque documentis, acceſſerit ad errorem & diſſenſionem ſuperba pertinacia. Id autem non contingit, niſi ubi caro ſpiritum debellat, & regnat peccatum, non inhabitat modo. Quod ſecus eſt in filiis* D*EI. Itaque Apoſtolus, poſtquam inter opera carnis enumeraſſet* διχοστασίας *(id eſt, ſchismata) & hæreſes, aſſeverat eos, qui agunt talia, non futuros regni* D*EI hæredes. De conſummatis loquitur hæreſibus, & ſchismatis, non naſcentibus: de operibus carnis, non de inceptis, de iis, qui agunt talia, qui faciunt; qui patrant; non qui moliuntur, & velut cogitant ſolummodo. Unde uſu quoque veniſſe videtur, ut ad diſtinguendum alterum ab altero, naſcentem* διαθέσει *& affectionem à conſummata* ἕξει *& habitu, hæreſis & ſchisma dicerentur ipſi tantum habitus mali: affectionibus verò generale nomen, alteri erroris, alteri diſſidii potius tribueretur. Quo modo & hæretici, ſchiſmaticiq; appellari ſolent, non qui leviuſculè errant, & diſſident, aut errare ac diſſidere primum incipiunt, ſed qui commonefacti, tamen defendunt errorem pertinaciter, ſeque contumaci diſſidio ſegregant ab Eccleſia, atque hujus rei exemplum & ratio manavit ex Apoſtoli quoque disciplina. Qui, quod Timotheo in præceptis dederat, ut denunciaret quibusdam, ne diverſam doctrinam docerent: ſin docere pergerent: neq; accederent ſanis ſermonibus Domini noſtri* J*ESU* C*HRISTI, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ, ab illis ſecederet: id ad Titum enuntiat his verbis, Hæreticum hominem poſt unam & alteram commonefactionem rejice. Et quamvis ipſo verbo ſchismatici non utatur, vim tamen verbi expri-*

exprimit, quum ait, Rogo vos fratres, ut ſpeculemini eos, qui faciunt διχοστασίας *præter doctrinam, quam vos didiciſtis, & declinate ab iis. Nam* διχοστασία *præter doctrinam Apoſtolicam facta, eſt diſſidium & ſeceſſio ejus, qui ſeorſim ſtat (quaſi dicas) ſeque ipſum ſegregat à fidelium cœtu. Qualis fuit illa Jeroboami, & Iſraëlitarum, quum Dane & Bethele victimas offerrent, diviſi à Judæis Jeroſolymæ in domo* D E I *ſacrificantibus. Qui verò ita ſegregant ſeſe ab Eccleſia, ejusque piam pacem rumpunt, ſunt ſchiſmatici: At hæretici, qui diverſum docent à doctrina divinitus accepta, & ſacram veritatem præfractè repudiant.*

V. Specialius *Optatus Milevitanus: Hîc in Africâ jamdudum populo in unitate manente, veſtis fuerat ſana; æmulâ manu inimici diſciſſa eſt: Pendebant quodammodo panni de una veſtis origine, & de una radice venientes. Ut quid ſe ſupra alterum pannum alter pannus extollit, cùm meliorem ſe probare non poterit? Quid enim ſi dicat contemptus pannus, quid te tantum extollis? Nonne pares crevimus? In manibus conficientium fuimus? Apud lotorem pariter mundati ſumus? Inimicus nos voluit ab invicem excidere; Adverſarius pulchritudinem noſtram voluit deformare; In parte veſtis adhuc unum ſumus, ſed in diverſa pendemus. Quod enim ſciſſum eſt, id ex parte diviſum eſt, non ex toto: cùm conſtaret meritò, quia vobis & nobis Eccleſiaſtica una eſt converſatio; & ſi hominum litigant mentes, non litigant Sacramenta. Denique poſſimus & nos dicere, Pares credimus, & uno ſigillo ſignati ſumus. Nec aliter baptizati quam vos. Teſtamentum divinum legimus pariter: unum* D E U M *rogamus: Oratio Dominica apud nos & apud vos una eſt; ſed ſciſſâ, ut ſuprà diximus, parte, partibus hinc atq; inde pendentibus, ſartura fuerat neceſſaria.*

VI. Specialiſſimè cauſas pertractat *Marcus Antonius de Domin.* Lib. 7. cap. 10. p. 158. & ſeq. & primam quidem ponit Hæreſin. *Nam*, inquit, *& qui talis hæreticus eſt, cum nolit Catholico Eccleſiæ ſenſui acquieſcere, ipſam Catholicam Eccleſiam contrarium docentem reſpuit, imo & damnat, & tanquam ab errante declinat, & fugit, atque ab ea ſe penitus ſeparat. Quinimo ipſa quoq; Eccleſia, cum penitus perverſum viderit, eum tanquam jam putrefactum membrum abs ſe rejicit, & ex albo fidelium expungit. Ille vero conventicula Eccleſiæ contraria colligere non deſiſtit, & in*

apertum ſchisma erumpit. Huc ſpectant illa Pauli, Hæreticum hominem poſt unam, & alteram correptionem devita, ſciens, quod ſubverſus eſt ejuſmodi, & delinquit, quia eſt ſemetipſo damnatus. In quæ verba ſic Hieronymus, νουθεσία autem commonitionem magis & doctrinam absq; increpatione ſignificat, legitur in latinis codicibus, (quod verum Papa quoq; Athanaſius approbabat.) Poſt unam & alteram correptionem, quod ſcilicet non ſufficiat tantum ſemel eum corripi, vel commoneri, qui aliquo ſit depravatus errore, ſed & ſecunda ſit ei adhibenda doctrina: ut in ore duorum, aut trium teſtium ſtet omne verbum. Quare autem poſt primam & ſecundam correptionem devitandus ſit, reddit cauſas, dicens: quod ſubverſus eſt ejuſmodi, & peccat, cum ſit à ſemetipſo damnatus. Qui enim ſemel bisque correptus, audito errore ſuo non vult corrigi, errare exiſtimat corrigentem, & è contrario ſe ad pugnas & jurgia verborum parans, eum vult lucrifacere, à quo docetur: propterea vero à ſemetipſo dicitur eſſe damnatus, quia fornicator, adulter, homicida, & cætera vitia, per ſacerdotes de Eccleſia propelluntur: Hæretici autem in ſemetipſos ſententiam ferunt ſuo arbitrio de Eccleſia recedentes: quæ receſſio propriæ conſcientiæ videtur eſſe damnatio. Inter hæreſin & ſchisma hoc intereſſe arbitramur, quod hæreſis perverſum dogma habeat: ſchisma propter epiſcopalem diſſenſionem ab Eccleſia pariter ſeparet, quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi poteſt diverſum. Cæterum nullum ſchisma non ſibi aliquam confingit hæreſim, ut recte ab Eccleſia receſſiſſe videatur.) Hæreſis igitur poteſt eſſe interdum parens ſchismatis, interdum vero filia: & tunc ſchisma eſt peſſimum, quando vel oritur ex hæreſi, vel parit hæreſim. Quod ſi prælatus alicujus Eccleſiæ incidat in hæreſim, poteſt quidem clerus & populus ipſius ſe ab illius communione ſubtrahere; & hæc ſubtractio, ſi prudenter, & cum debito moderamine fiat, ſchisma non eſt, ſed ſæpe debita, & neceſſaria ſeceſſio. Hi enim à ſola perſonæ illius communione, & ex legitima cauſa abſtinent, ab Eccleſia verò, ſive parte ipſius, ſive à membro ipſius vivo non ſe ſeparant, ſed à membro mortuo. Eſt tamen in tali caſu ſæpe ingens veri ſchismatis periculum, quoties nimirum Prælatus ille nondum hæreſis eſt juridice convictus, & damnatus, aut declaratus; quoties etiam ille adhuc cum Epiſcopali ſua poteſtate in ſua ſede ſedet, quoties demum

mum

mum habet ſequaces ſuos, qui ab ipſius ſtent partibus: tunc enim vere dividitur Eccleſia, & in fruſtra diſcerpitur. Exempla ſane priorum temporum, quæ ego obſervare potui, ubi ſe inferiores propria authoritate à ſuis ſuperioribus præpropere ſepararunt, omnia in verum ſchisma eruperunt. Gregorius Nazianzenus Epiſcopus ſenior, Gregorii Junioris pater, vir optimus ac religioſiſſimus, fraude & impoſturis quorundam Arianorum, quos benigne ſuſceperat, deceptus, incaute cuidam ipſorum ſententiæ ſubſcripſit. Ecce tibi ſtatim Monachorum indiſcreta caterva ab eo ſe indiviſis ſeparat, & Eccleſiaſticam abrupit communionem; Monachos pars magna civium ſequitur. Sed Gregorius filius ſua prudentia ſchisma ſedavit, & pacem illi Eccleſiæ reſtituit. Attamen ſchisma illud perperam factum fuiſſe & ſenſit, & opportuna admonitione ſatis declaravit, his verbis: Atque ut hæc brevi diſtinctione explicentur, ſic ſtatuo, nec ſegniorem quemquam eſſe debere, quam par ſit, nec ferventiorem: ita ut vel ob levitatem ad omnes ſe aggreget, vel ob temeritatem, & inſolentiam ab omnibus ſe removeat: (æquè enim, & iners ſegnities eſt, & mobilitas atq; inconſtantia à ſocietate & communione aliena) verum ubi apertè ſe prodit impietas, tum vero nobis faciendum eſſe, ut adverſus ignem & ferrum, & tempora, & Principes, ac denique prius adverſus omnia cominus feramus, quam, ut mali fermenti participes efficiamur, ac affectis aſſentiamur; nec quicquam perinde metuendum eſt, quam ne quid magis quam Deum *metuamus, ac propterea fidei, & veritatis, cum veritati ſerviamus, doctrinam perfide deſeramus. At cum ſuſpicio ſola animum noſtrum male habet, timorq; nullis certis argumentis immixtus, tum vero lenitatem potius quam celeritatem, & indulgentem demiſſionem potius, quam arrogantiam & contumaciam, adhibere convenit: multoq; melius, & conducibilius eſt, ut in communi corpore manentes mutuo nosipſos, tanquam alii aliorum membra, corrigamus, atq; corrigamur, quam ut præjudicio per ſeceſſionem facto, & authoritate per ſeparationem amiſſa, ex edicto poſtea, velut tyranni, ac non fratres, correctionem imperemus.) Arrogantia profecto & contumacia fuit in illis Monachis, tunc revera ſchismaticis, ex imprudenti & ſtulto zelo. Eadem fuit imprudentia Platonis Abbatis, & Theodori Studitæ, & aliorum. Sunt enim iſtæ quædam excommunicatio-*

nes.

nes. SECUNDAM ſchiſmatum, in doctrina ſcilicet diſputabili DISSENSIONES. *Sic enim perperam abjecti ſervata, quantum in ipſis eſt, cum ea Eccleſia, quæ illos abjecit, communione, & odio habentes ſeparationem, ſchismatici nequaquam ſunt, ſed veri Catholici, parati nimirum veritati parere, cum primum eliquate illam Eccleſia ipſa Catholica aperuerit: Solo enim corpore ab Eccleſiâ Catholica diviſi ſunt, non mente, non fide, non charitate, & quicunque his adhæret, ſchisma quidem auget, ſed omni ſchismatis culpa vacat, quæ tota in eam partem eſt refundenda, quæ iſtos ſtulte ac inprudenter à ſua communione abjecit, & ſeparavit; & cum ipſis pacem amantibus, petentibus, & cupientibus, pacem habere recuſat: impoſita nimirum illis conditione, ut doctrinam corrigant, quam illi bona fide veram putant, nec ab ea volunt cedere, niſi erroris legitimè & ſufficienter, per veras Eccleſiæ regulas, convincantur.* TERTIAM ex Nazianzeno quoque inter Catholicos, ſchismatum CAUSAM, HUMANA nempe CONSILIA, *quæ vel ambitio, vel avaritia ſuggerat, vel odium, aliave animi inordinata perturbatio, quæ tamen ſub larva fidei, & pietatis occultetur. Idem innuit Irenæus ſupra c. 4. n. 9. hujus. Quomodo vero ambitio, vel avaritia ſchisma tunc faceret, facile eſt intelligere. Invadebant olim animoſiores Epiſcopi, & humanis favoribus potentiores, aliorum Epiſcoporum ſedes, nobiliores, vel ditiores, quocunq; cogitato prætextu, præſertim fidei, alios deprimere, & ſe intrudere conabantur, & ſi non poſſent illos penitus abdicare, dividebant plebem, ſeditiones excitabant, alterq; contra alterum conventicula congregabant, & Eccleſias ſchismate diviſas detinebant.* QUARTAM CAUSAM, ſeu radicem ſchiſmatum dicit eſſe Prælatorum, Eccleſiaſticarumque regularum, hoc eſt, CANONUM CONTEMPTUM. *Tolle ſubordinationem, abſtuliſti etiam ordinem; ſublato vero Ordine Reſpublica omnis concidit, confuſio omnia permiſcet, cætus hominum nulli ſubſiſtunt, hominum ſocietates non erunt ſocietates hominum, ſed luſtra ferarum. Quod ſicut verum eſt in humana politia, ita etiam veriſſimum eſt in Eccleſia: Ecce adhuc viventibus Apoſtolis inter miniſtros Eccleſiæ, ſine quibus Eccleſia eſſe non poteſt, diſſenſiones, & contentiones in ſchismata Corinthi proruunt. Diotrephes etiam de Joanne Evangeliſta obloquens, primatum ſibi aſſumere nititur. Apoſtoli*

enim

enim miniſtros omnes, quos inſtituebant, ut in Eccleſiis ſacra miniſtrarent, pari ordinaria poteſtate Apoſtolica ipſi ordinariæ poteſtati, quæ eſt Epiſcopalis, æquali præditos in Eccleſiis, abſq; ulla inter ipſos diſtinctione, collocabant, ut ſumma charitate conjuncti in idem opus miniſteriale ex æquo incumberent. QUINTAM ſchiſmatum conſtituit INDISCRETIONEM AC IMPRUDENTIAM, aut etiam TYRANNICAM DOMINATIONEM PRÆLATORUM, *ſi injuſte aut imprudenter rejiciant, damnent, excommunicent, regant, ac potiſſimum ſi ſuperordinent, id eſt, ſi poſthabito ex levi cauſa, inanique ſuſcipione, ac propriæ tantum opinionis amore, uno Epiſcopo, alioquin legitime ordinato, aut ſaltem cujus ordinatio apertè nulla non ſit, ſed ſuis ſit innixa fundamentis, alium, invite præſertim, aut diviſe, & ſecundum notabilem partem diſſentienti, ſuperordinent Epiſcopum. Ubi enim ex tali Prælatorum imprudentia & vitio inardeſcunt ſchismata, tota eorum cauſa eſt in ipſos Prælatos refundenda, ſed interim diviſæ plebes, diviſique Epiſcopi & miniſtri tenentur ad unionem, quantum in ipſis eſt, ſe reducere.* SEXTAM & ultimam CAUSAM, aſſerit, eſſe EXTERNOS RITUS DIVINI CULTUS, *in quibus etſi uniformitas pulchra eſt in eccleſia, illa tamen neceſſaria non eſt. Ritus enim cum ſint humanæ traditiones, non divina lex, eccleſiæ variæ variis externis ritibus devotionem internam promovere voluerunt; eſt igitur ſumma ſtultitia, velle ad eosdem ritus omnes cogere, cum aliqui, quantum aliis proſunt, tantum aliis etiam obſunt: major vero adhuc ſtultitia erit, a communione eorum divelli, qui in ritibus non conſenſerint.*

VII. Objectum Schiſmatis eſt negotium Religionis, vel Dogma aliquod Chriſtianæ religionis, quod remotius fidem attinet, vel quod Sacramenta divinitus inſtituta aliquatenus tangit, vel quod Ceremonias, Cultum externum, & diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectat. Primi Exemplum habemus in *Novatiano*, Presbytero Romano, in Materia de pœnitentia, quam negavit deficientibus à fide; ſecundi Exemplum habemus in *Cypriano*, ſi Schiſmatici nomen illi tribuendum, qui ſenſit, Hæreticos tranſeuntes ad Eccleſiam eſſe repabtizandos, de quo ita *Auguſtinus* diſcriminans ipſum à Donatiſtis: *Illum*, inquit, *nævum in candore ſanæ animæ charitatis ubera contegebant: hanc autem fuliginem in iſtorum tartarea fœditate vul-*

tus impacatus oſtentat. Tertii Exemplum habemus in *Victore Papa*, Eccleſias Aſiaticas propter obſervationem Paſchatis diverſam à Romanâ Eccleſia excommunicante, de quibus videri poſſunt *Euſebius* lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 43. *Epiphanius* Hæreſi 59. *Theodoretus* de hæret. lib. 3. *Socrates* lib. 4. cap. 22. *Cyprianus* lib. 4. Epiſt. 2. *Sozomenus* lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 19.

VIII. Probè autem obſervandum, aliud eſſe Schiſma inchoatum, aliud conſummatum, de quo ſupra laudatus Anglus, Oxonienſis Academiæ Profeſſor Theologus. *Inter Corinthios Schismata fuiſſe, quum unusquisq; eorum diceret: Ego quidem ſum Pauli, ego verò Apollo, ego verò Cephæ, ego verò* C H R I S T I, *ſcriptum legimus: Schismata naſcentia atque diſſidia: nec enim ulterius ſæviiſſe lites ex ſecundæ epiſtolæ capite ſeptimo ſit veriſimile. Sed quum diceretur inter Carthaginenſes: Ego ſum Cypriani, ego Novati; & inter Romanos, Ego ſum Cornelii, ego Novatiani, res ad conſummata ſchismata excrevit, Novatique factio, & Novatiani, ſeſe utrobiq; à* D E I *populo ſegregavit. Cyprianus & alii Epiſcopi Africani Baptiſmum ab hæreticis adminiſtratum inanem eſſe cenſuerunt, ob eamque cauſam quoscunque ex hæreſi ad rectam fidem converſos, & ad Eccleſiam venientes rebaptizarunt. Quod etſi non fecerunt ſine diſſenſione quorundam è fratribus, è collegis ſuis, ſententiam ſaniorem de non rebaptizandis hæreticis retinentium: tamen neque hæreſis nota errori eorum eſt inuſta, neq; ſchismatis diſſidio: quia ſe gerebant non contentioſe in eo defendendo, quod minus ſolide refutatum verum eſſe rebantur, pacemq; cum fratribus fovebant, neminem judicantes aut à jure communionis aliquem, ſi diverſum ſentiret, amoventes, ut ipſi in exordio Carthaginenſis ſui Concilii loquuntur. Verùm quum Donatiſtæ eandem ſententiam contentioſiſſimè tuerentur, nec Baptiſmum modò iterandum aſſeverarent, ſed etiam deſererent communionem fidelium, ſeque ab illis, ut profanis, ſejungerent: error obfirmatus in hæreſin evaſit, & ex diſſidio factum eſt ſchisma: utrumq; confirmatum, teſte Auguſtino. Ita Philippenſes lapſi ſunt in errorem fidei: ſed homines modeſtiâ Chriſtianâ præditi errare potuerunt, hæretici eſſe noluerunt. Galatæ potuerunt eſſe hæretici propter pertinaciam in eo errore: & fuerunt quidem, niſi reſipuerent: Ebionæi fuerunt. Corinthii variorum* D E I *Miniſtrorum, alii*

hujus, alii illius admiratores & ſectatores, inchoarunt ſchismata: ac abſolviſſent forſan, niſi Apoſtoli authoritas & induſtria ſurgentes flammas oppreſſiſſet: Carthagine & Romæ Novatus Novatianusque cum ſuis ſectatoribus, qui Novatianorum inde ſunt adepti nomen, abſolverunt. Cyprianus cum Africanis ſuis Coëpiſcopis ab aliis Catholicis Epiſcopis diſſenſit erronee & iniquè: veruntamen nec ſchismaticus: Donatiſtæ verò ſchisma fecerunt, ruptâ Eccleſiæ unitate: ac in errore, cujus fuerant ſæpè admoniti & convicti, hæretice perſtiterunt. Quod ipſum reliquis item, de quibus dixi, contigit, ut qui impingerent in alterum. Nam & Ebionæi ad hæreſin ſuam adjecere ſchisma, habitis ſeorſim conventibus Eccleſiaſticis, ut refert Epiphanius: Et Novatiani, præter diſſidium, negarunt dandam eſſe lapſis pœnitentiam, & pœnitentibus veniam: unde ſchismatici, hæreticique furoris in Cypriani & Cornelii epiſtolis condemnantur: adeò utrumq; utrique conjunctum eſſe conſuevit; & quamvis ſchisma ſolum oriatur crebrò, vix tamen invaleſcit unquam ſine hæreticis: neque ferè quisquam præceps auſertur à fidei veritate, quin à veritatis cultrice Eccleſia diviſos quoq; cœtus, ſi contubernales nanciſcatur, habeat.

IX. Forma Schiſmatis conſiſtit in Diſtractione animorum & ſeceſſione, quam illuſtrant maximè Terminus à quo, & ad quem. Terminus à quo eſt externa Communio, quæ & præcedit, & ſecundum quam fit ſeparatio: Unio quippe interna non incurrit in ſenſus: Terminus verò ad quem eſt, ut ſuprà quoque monuimus, in Schiſmate negativo, ſeceſſio ſimpliciter talis & ſubductio citra alicujus cætus peculiaris Inſtitutionem, in poſitivo verò, Eccleſiæ peculiaris Effigiatio, tum conſociatio quædam, quæ legibus Eccleſiaſticis, & DEI verbo atque Sacramentorum adminiſtratione utitur ſeparatim, quod quâdam formula deſumta ex Scriptura dicitur *ſtruere altare adverſus altare*, ut nonnemo loquitur.

X. Effectus Schiſmatis eſt 1. Scandalum infirmorum. Rom. 15. ℣ſ. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 2. Detrimentum Reipublicæ Eccleſiaſticæ, ut conſtat ex 1. Corinth. 1. ℣ſ. 13. & cap. 12. ℣ſ. 25. 3. Periculum Salutis in ipſis Schiſmaticis, cùm enim deſtituantur Charitate, & illa in ipſis refrigeſcat, ſenſim quoque fides languere & expirare incipit, quo collimat Paulus 1. Corinth. 13. ℣ſ. 1. 2. 3. *Auguſtinus* ſcribens, *omnia illa, quæ laudantur in Eccleſia, nihil eis proſunt, quia*

conſcindunt Unitatem, tunicam illam Charitatis; ipſi Doctores quoque Pontificii, qui cum *Petro de Marca* agnoſcunt, *Schisma inveteratum deſinere in Hæreſin, nullum fuiſſe, quod non ſibi confinxerit aliquam hæreſin, ut rectè ab Eccleſia receſſiſſe videretur:* qui cum *Tamburino* Schiſmaticum impurè talem & determinatè talem diſtinguunt, & poſteriorem, utpote præter diviſionem addentem Errores, non tantùm Schiſmaticum, ſed & hæreticum dicunt: qui inter cognata Schiſmatis hæreſin referunt, quibus facem prætulit *Auguſtinus*, Donatiſtis objiciendo, quod Schiſmatis crimen hæreſin malè perſeverando feciſſent, Epiſt. 164. ad Emeritum.

XI. Graviter itaque peccant, qui deſultoria levitate recedunt à Communione Eccleſiaſtica: neque enim confeſtim diſcedendum, ſi tubera quædam & nævi in corpore alicujus Eccleſiæ appareant: non ſufficit Morum aliqua labes, non rituum aut Ceremoniarum diverſitas qualiſcunque, nec tandem Dogmatis alicujus non ita proximè attingentis fundamentum fidei ſenſus.

XII. De hâc ſeceſſionis Temeritate *Camero* ita diſſerit: *Temeritas ſeceſſionis deprehenditur, ut loquuntur, à poſteriori, ſi ejus occaſio levis ſit: erit autem levis, niſi vel inciderit gravis & intolerabilis perſecutio, vel ille cœtus, unde ſit ſeceſſio, laboret hæreſi, aut verò deditus ſit idololatriæ. Si enim perſecutio tolerabilis ſit, fiat autem ſeceſſio, non erit quidem illa ſeceſſio injuſta, ſed temeraria fuerit, & vero Schisma. Perſecutionem autem gravem dicimus, quæ vel vitam petit, vel ea, quæ ad vitam ſunt neceſſaria, quæ perſecutio ſi oboriatur, omninò ſecedendum eſt, non enim vel ſuadet, vel præcepit Dominus, ut perſecutoribus caput ultrò objiciamus, immò nos docuit exemplo ſuo, nos, ſi quando ejusmodi tempora ſunt, ſubducere furori eorum, qui nos perſequuntur. Cæterum gravis perſecutio non modò ea eſt, quæ ad vitam, & ad ea, quæ ſunt ad vitam neceſſaria, pertinet, ſed eſt item quædam perſecutio ſpiritualis, quæ pertinet ad animam, cujus generis eſt Anathematiſmus, excommunicatio injuſta & iniqua. Certè qui ex cœtu aliquo ejecti ſecedunt & ſe ſubducunt, ſeceſſerunt quidem illi, attamen non fecerunt Schisma: alioqui fuiſſent Schiſmatici, qui* C*HRISTO agenti in terris nomen dederunt, nam & illi ex Synagogis Judæorum ſunt ejecti. Sed tamen, ut hæc ſeceſſio legitima ſit, ſeu ei præbuerit occaſionem corporalis, ſeu ſpiritualis*

tualis

tualis perſecutio, oportet eam fieri ab invitis & dolentibus. Nam ſi ex gravi perſecutione quis arripiat avidè occaſionem ſecedendi, profectò quamvis ſeceſſionis occaſio fuit juſta, tamen fecit Schisma, ſed cujus non homines, ſed D*eus, conſcii ſunt, ut qui bello civili delectantur, etiamſi bonarum partium ſint, & juſtam habeant atque idoneam occaſionem belligerandi, tamen, quia lætantur ſibi oblatam occaſionem, eo perduelles ſunt & hoſtes patriæ. Secundò ſeceſſio temerè fit, ſi ſit quidam error in cœtu, unde ſeceditur, qui idem non ſit hæreſis, vel ſuperſtitio; ritus ſuperſtitioſus, qui idem non ſit idololatria. Nam ſi error eſt tolerabilis, ſi ritus, ſuperſtitioſus licet, ſit tolerabilis, non oportet fieri ſeceſſionem, quia, ut ſupra monuimus, niſi morbus ſit lethalis contagioſus, non eſt deſerendus æger, immò ne tum quidem deſerendus eſt, niſi ægrè admodum. Etiam ſeceſſio ſit temerè, cùm ſit ob morum corruptelas, quorſum illud* C*hristi pertinet, ſedent in Cathedra Moſis, facite, quæcunque dixerint vobis. Cujus rei hæc eſt ratio, quod, ubicumq; viget puritas doctrinæ,* D*eum in eo cœtu neceſſe eſt habere Eccleſiam, tametſi obrutam penè multitudine ſcandalorum. Itaque, qui ſeceſſionem faciunt ab ejusmodi cœtu, haud dubiè inde ſecedunt, ubi* D*eus colligit Eccleſiam.*

XIII. Interim quandoque fieri poteſt, ut tantum Malum regnet in Cætu aliquo, ut ſatius ſit diſcedere, quam μιάσματι contaminari, adeòque ne gangræna ſerpat, licita erit, imò neceſſaria ſeparatio, quod malum eſt vel Hæreſis in fide, vel Idololatria in Cultu, vel impietas in praxi & moribus, vel Tyrannis in Regimine, vel omnia ſimul ſumpta: non tamen hæc, niſi ferè ad ſummum venerint, urgent; non enim Temeritate caret diſceſſus ille, niſi mala ſint intolerabilia, & nimium premant, deſperata, & absque ſpe reformationis indeclinabilia, citra ſeceſſionem.

XIV. Hoc verò ſtatu rerum ſeceſſio non erit vitioſa, non Schiſma vocandum ſeparatio. Datur enim etiam ſeceſſio laudabilis, Eſa. 52. ℣ſ. 11. 2. Corinth. 6. ℣ſ. 17. Apocal. 18 ℣ſ. 4. ubi jubetur exire populus Dei è Babele; quod confirmatur inſuper Exemplo Sethi, qui ſe cum Poſteris ſuis ſeparavit à Caini propagine; Abrahami, qui egreſſus à Patria terra: ſeptem millium, qui tempore Eliæ genua ſua non incurvarunt Baali, Eccleſiæ fideliũ ſeſe ſeparantium à vitulis in Dan & Bethel, Credentium Apoſtolorum & piorum Ec-

cleſiam Judaicam deſerentium, Orthodoxorum Eccleſias Arianorum, Donatiſtarum, devitantium, denique teſtimonio Patrum *Cyrilli Alexandrini* in Levit. 14. ſcribentis: *Exiit a veritate, & exiit à timore* D E I, *à fide, à caritate: ſicut ſuperius diximus, quomodo per hæc quis exeat de caſtris Eccleſiæ, etiamſi per Epiſcopi vocem minime abjiciatur, &c. Vis tibi oſtendam & alium, qui à nullo ejectus eſt, & exiiſſe dicitur? Scriptum eſt de Cain, &c. Sunt tamen & qui bene exeunt, & beati ſunt, quia exeunt. Oſtendam etiam hoc de Scripturis: Scriptum eſt in Exodo; Omnes, qui quærebant, nomen Domini, exierunt ad Moſem extra caſtra. Iſti benè exierunt extra caſtra, quia ſequebantur Moſen; id eſt, legem* D E I, *& de aliis dicitur, exite populus meus. Ambroſii* itidem *lib. 6. comment. in* Luc. cap. 9 *Si qua eſt Eccleſia, quæ fidem reſpuat, nec Apoſtolicæ prædicationis fundata poſſideat; ne quam labem perfidiæ poſſit aſpergere, deſerenda eſt.* Nec non *Caſſandri*, qui concilè & doctè: *Non ſeparatio facit Schiſma, ſed cauſa.*

X V. Pœnas Schiſmaticorum Pontificii Doctores præcipuè tres recenſent: quarum prima eſt *Excommunicatio ſecundum Bullam Cœnæ Dominicæ*: ſecunda *privatio Regnorum, ſi peccantes ſunt Reges*: tertia *Irritatio Ordinationum ab his factarum, Dignitatum, Beneficiorum, & alienationum rerum Eccleſiaſticarum*; particulatim Cardinalis *Lugo* eas enumerat; quòd ſcil. illæ ſint *Excommunicatio ipſo facto, amiſſio poteſtatis, ordinis, Irregularitas, Inhabilitas ad Beneficia Eccleſiaſtica, privatio ipſo facto beneficiorum antea acquiſitorum, Suſpenſio Ordinationis factæ à ſchismatico; Irritatio Beneficiorum collatorum, Suſpicio de hæreſi, quam abjurare teneatur.* Formam autem abjurationis, qua & hæreſeus ſuſpicionem & ſchiſma, deſumptam ex capite, *quoties cordis primo* quæſt. ſeptima, habet *Sanctarellus* Tract. de hæreſi cap. 43. dubio primo num. 16.

X V I. Malè, nam I. Schiſmatici, maximè ſi nondum ſit conſummatum Schiſma, ad Charitatis vinculum, quod laxarunt, ſunt revocandi, blandè admonendi, fraternè compellandi, erudiendi per dextram informationem, non proſternendi confeſtim fulmine illo excommunicationis. vid. *Marcus Antonius* ſupra allegatus II. Reges non poſſunt privari illa Dignitate, quàm à D E O

accepe-

acceperunt, etſi ſe fædent ſchiſmate, nec Charitatis defectus in Subjecto facit excidere Regno eum, qui ſoli Deo tenetur rationem reddere ſuorum actorum; imò ſi Rex degenerans in hæreticum, non excutit per Errorem mentis Coronam, quæ etiam in phrenetico capite refulget, multò minus Axiomate dejicietur regio, ſi vinculum rumpat Charitatis. III. Ordinationes factæ à ſchiſmaticis firmitate ſuâ non carent, ſi modo aliqua Deo colligatur Eccleſia, & retineantur ſubſtantialia ac fundamentalia doctrinæ Chriſtianæ, ut maximè miniſterium non ſit ab omnibus erroribus liberum. Et ne quidem olim pro irritis habebantur ordinationes ab Arianis factæ. Refert *Luitprandus* l. 1. c. 8. *ordinatos à Formoſo Papâ, ab Sergio depoſitos, & iterum ordinatos fuiſſe. Quod quam malè egerit,* inquit, *pater ſanctiſſime, animadvertere poteris, quoniam & hi, qui à Juda Domini noſtri JESU CHRISTI proditore ante proditionem ſalutem ſeu benedictionem apoſtolicam perceperunt, eâ poſt proditionem propriiq; corporis ſuſpenſionem minimè ſunt privati, niſi quos improba fortè defœdarant flagitia. Benedictio ſiquidem, quæ miniſtris CHRISTI impenditur, non per eum, qui videtur, ſacerdotem infunditur Add. Chriſt. Juſtell. Cod. can. Eccleſ. univerſ. p. 143.*

XVII. Ex hactenus dictis diſpaleſcit, num Eccleſia Lutherana poſſit rea agi Schiſmatis? & ſanè nullo colore illius accuſari à quoquam poteſt, I. quia receſſio à Doctrina Papiſmi ut tali, non eſt ſchiſma, ſed opus laudabile, Deo placens & neceſſarium, neque reformatio, poſt fatigata media, in propriis provinciis, cœtibus & Eccleſiis, vitium, ſed officium; quis enim ſecundum *Caſſandrum*, Lib. de Officio Viri pii, *membro vitio vertat, ſi reliquo corpore laborante, & ſui curam negligente, ipſum ſui curam ſuſcipiat, non ut reliquo corpori inſultet, ſed curandi Exemplum præbeat, & ad imitationem invitet?* quod ſi facta fuiſſet ſeparatio à Doctrina ſana, ſchiſmatis poſſet accuſari, imò hæreſeως noſtra Eccleſia, ſed hoc hactenus oſtendere Pontificiis, utut ſaxum volverint, fuit impoſſibile, neque receſſionis nomine onerari poteſt, quod unionem non præſupponit, facta autem Excommunicatione jam deſiit Unio, jam abrupta & interciſa fuit per fulmen, non itaque receſſimus, quia jam diviſi fuimus, neque manus abſciſſa dicitur à corpore recedere, quæ jam diviſa, nec ulterius eidem adhærens. II. Quia non receſſerunt noſtri etiam

ab

ab Eccleſia Romana, ſed vi & per Excommunicationem fuerunt ejecti. Lutherus certè adhuc ſubſtitit intra Eccleſiam ab anno decimo ſeptimo Superioris ſeculi usque ad annum vigeſimum primum, nec quicquam fecit, niſi quod licuit, Indulgentiarum Quaſtum taxavit, de Pontificis poteſtate diſputavit, informationem ſolidam enixè deſideravit, imò contra ſchiſma proteſtatus fuit, & Bohemos ſecedentes reprehendit. Rugitus Leonis diſſipavit oves, &, ſi ſchiſmatis cauſa aperienda, non illa in nobis, ſed Pontifice quærenda, quod & noſtri oſtenderunt in Auguſtanæ Confeſſionis Apologia, ſcribentes: *Sævitia Epiſcoporum in cauſa eſt, quare alicubi diſſolvitur illa Canonica politia, quam nos magnoperè cupiebamus conſervare. Ipſi viderint, quomodo rationem* D E O *reddituri ſint, quod diſſipant Eccleſiam.* Addatur egregium ſimile *Halli* ita diſſerentis: *Hoſpes quidam invitarat ad ſe convivam unum aut alterum, tractaveratque laute ac benigniter. Conſederunt illi ſuaviter, comederuntque, & blande ſe mutuò exceperunt aliquandiu: In ſecundis (uti fit) menſis hoſpes propinat poculum, pomum apponit: exederat pomum vermiculus: inciditque forte in poculum aranea; videt conviva, abſtinetq; : Hoſpes urget: quin tu edis (inquit) bibisque? Atqui parum tutum eſt, regerit alter; vides hanc in poculo beſtiolam, in pomo illam? Ego appoſui, ego miſcui: In meam ſaltem gratiam exhauri, manduca: At ſine me (conviva inquit) eximere prius hanc araneolam, exſecare vermiculum; placet vinum, pomum placet, aranea, vermis non placent. Apage te (inquit hoſpes) plus æquo curioſum & delicatum; abi ingrate, qui noſtram flocci pendis amicitiam, apparatum contemnis! Simulque patinas paterasque convivæ in os furibundus intorquet, ſauciumque foràs ejicit: Dicite mihi auditores, uter horum violat hoſpitii leges? Conſedimus nos aliquando cum Romanis familiariter, opſonati opiparè. Aranea in poculo, in pomo vermis quid aliud ſunt, niſi in cultu ſuperſtitio, in fide maleſana Traditio? Placet ſine illis religio: Obtendunt nobis hæc hoſpites importunius. Nos recuſavimus: conſpuimur, vapulamus, ejicimur. Dediſſent modo nobis veniam, eruendi hanc araneam, hunc vermem, ediſſemus utiq; , bibiſſemusque lubentiſſime, renuerunt illi præfracte, ſuamque pertinaciam noſtræ ſaluti prætulerunt, convitiis nos impetunt, feriunt fulmine anathematum, damnant vivicomburiis.*

Quid

Quid nos interea faceremus? Audite cœlum & terra! Tuq; conditor idem & arbiter utriusque D E U S *omnipotens! ſine te tuosque Spiritus cœleſtes vocari in teſtimonium noſtræ innocentiæ: Coacti, abacti diſcedimus à communione Romana; vim nobis fecerant, qui diſceſſerant à ſe prius.* Ipſe *Caſſander* apertè: *Non negarim multos initiò pio ſtudio ad acriorem reprehenſionem quorundam manifeſtorum abuſuum impulſos fuiſſe, & præcipuam cauſam hujus calamitatis & diſtractionis Eccleſiæ illis aſſignandam, qui inani quodam faſtu Eccleſiaſticæ poteſtatis inflati, rectè & manifeſtè admonentes ſuperbe & faſtidioſe contempſerunt & repulerunt.* III. Non ſeceſſimus vel a corpore Eccleſiaſtico, ſi conſideres ut totum, neque à fidelibus ſingulis toto Orbe diverſis, utut à factione Papali diſceſſiſſe nos & diviſos animo egiſſe oſtendi poſſit. Manſimus nos in Unitate illa Catholicâ, in Communione cum cœtibus primorum ſeculorum, nondum ſuperinductâ labe contaminatis, in vinculo charitatis cum quibuscunque Eccleſiis particularibus etiam in Orbe; manſimus intra gremium illius Matris, utut pontificiâ Doctrinâ conſpurcatæ, quæ nos naſcentes excepit, & renatos C H R I S T O deſponſavit, in externâ etiam ſocietate, quam ſemel ingreſſi fuimus: quid? quod ab externis Templis non receſſimus, ſed in illis adhuc per D E I gratiam ſacra noſtra peragimus, imò nec à Doctoribus & Paſtoribus, qui è tenebris Papalium Dogmatum profecerunt ad Lucem Evangelii, & ex Scriptura ſuos inſtruxerunt ad Lucem Evangelii, & parati ſumus etiam ad officia Charitatis, Humanitatis, erga omnes & ſingulos etiam errabundos; nec quicquam hactenus etiam in hoc paſſi ſumus deſiderari in nobis. Quid? quod ſi cauſa facit ſchiſma, non ſeparatio, quis vitio verterit noſtris, quòd abſtineant à Communione cum Papa & παμμιαρῶν Clericorum factione, cùm & dominetur inter illos Hæreſis exitialis, ut conſtabit ex progreſſu, ſanè, ſi vel ſolus Articulus de juſtificatione hominis peccatoris coram D E O probè expendatur, fundamentum ſalutis noſtræ, non poterit non mens abhorrere à Papatu, Gratiam in Liberum Arbitrium, Meritum C H R I S T I in merita hominis, Imputationem in infuſionem prodigioſè commutante. Idololatria immanis ad Diabolum usque ſub ſpecie crucifixi deliteſcentis cultum: Impietas profunda contra omnia & ſingula præcepta Dialogi etiam ſecundæ Tabulæ, oſtendente noſtro B. *Thummio* in peculiari de hac Materia Tract. Tyrannis in conſcien-

ſcientias ſumma, quam demonſtravit proceſſus in Concil. Tridentino: Praxis Pontificum à primo tempore reformationis ad hoc usque punctum, fulmina & excommunicationes illorum, qui vel hiſcere volunt contra Omnipotentiam illam Papalem, Exilia, vivicomburia, ſanguinis profuſiones prodigæ, in Hiſpania, Anglia, Gallia, Germania, Belgio, ubi, teſte *Campanella*, tantum ſanguinis fuſum, quantum canales illorum aquæ vehunt. videatur *Marc. Anton. de Dom.* pag. 158. *§.* 81. quem ſupra produximus.

XVIII. Modus quoque, quem noſtri hic obſervarunt, culpari nequit; nam non vi, ſed ea ratione, qua Religio debet promoveri, res acta eſt, hoc eſt, ordine quem inſtituit DEUS: ut, qui ſunt in authoritate aliqua conſtituti, faciant ſinguli, quod eſt muneris ſui; Magiſtratus obeat munia Magiſtratus: qui iis funguntur muneribus, quæ ſpectant ad animam & conſcientiam, faciant itidem officium ſuum. Sed nec ullibi turbata eſt Respub. nec dejecti de Cathedra, qui fungebantur munere Eccleſiaſtico, niſi fortè ii dejecti ſint, qui deſeruntur ab auditoribus conſciis pravæ doctrinæ. Nam Magiſtratûs, & eorum, qui præſunt Eccleſiæ, diverſa ratio eſt. Magiſtratus enim nec poteſt, neque debet deſeri: debent deſeri, qui præſunt conſcientiæ, ſi minus rectè faciunt officium. Etenim omnis Magiſtratûs poteſtas, quatenus ſeſe exerit & facit ut ſentiatur, ad corpus tantum pertingit, & ad ea, quæ vocantur bona externa, (veteres dixerunt bona fortunæ,) quarum rerum jacturâ nullum fit detrimentum conſcientiæ: At qui præſunt Eccleſiæ, iidem conſcientiæ præſunt, itaque, ſi non faciant, quod ſpondet tanti muneris poſſeſſio, deſerendi ſunt, nam parendum DEO potius, quàm hominibus: ut, ſi quis Medicinam profeſſus, non curaret morbum, ſed exacerbaret potius, profectò foret deſerendus, & cooptandus in ejus locum alius, quia nihil debet eſſe antiquius ſanitate; quantò æquius eſt, ut eadem cautela adhibeatur, cùm agitur de ſalute animæ, & de DEI gloria? quanquam nihil opus eſt huc devenire. Nam ſingulari DEI providentiâ factum eſt, ut, unde cœpit iſta reformatio, ne in ordine quidem Eccleſiaſtico quippiam ſit turbatum, quia DEUS & animos Magiſtratus, & eorum, qui publicis muneribus fungebantur, ita permovit, ut conſpirarint & conſenſerint in unum: ut in Germania, in Anglia, nec Magiſtratus loco motus eſt, & qui authores fuerunt puritatis ſegregandæ ab impuritate, omnes muneribus fungebantur in Eccleſia, quæ id poſtulabant.

XIX.

XIX. Schiſmatica verò Pontificia Eccleſia fuit, cum propter electiones Pontificum toties in partes ſe ſcidit. Neutra pars à ſchiſmate abſolvi poteſt, quamvis penes alterutram fuiſſet legitima electio. Sic *Victor* Papa fuit κατ' ἐξοχὴν ſchiſmaticus, cum propter obſervationem Paſchatis, Eccleſias Aſiaticas ab unitate excluſas voluit. Schiſmatici etiam aliquo modo ſunt Ordines Monachorum, fraternitates & ſodalitia, ſtudiis, factionibus, vitæ inſtituto à ſe invicem diviſi: Nominatim *Recollecti* ſeu *Franciſcani Reformati*, qui à ſodalitio & corpore *Franciſcanorum*, quorum antiqua & prior erat poſſeſſio, nunc ſecedunt & ſeorſim colligunt. Schiſmatici debent eſſe *Papiſtæ Dominicanis*, aut *Papiſtis Dominicani*, cum à publico Eccleſiæ cultu per Papam & totam Eccleſiam Papalem definito, feſto ſcil. immaculatæ conceptionis MARIÆ, ſe ſeparant, & in Calendariis ſuis ſubſtituunt: Feſtum Sanctificationis. Quod ſi vox ſchiſmatis late ſumatur, ambitu ſuo comprehendit ſeparationem quamcunque Eccleſiaſticam per doctrinæ, aut vitæ, aut utriusque corruptelas. Sic Pontificii ſunt gemini ſchiſmatici, quippe qui idololatria & erroribus à Catholica Eccleſia & ab antiqua Romana diſceſſionem fecerunt, & adhuc in ea ſe obfirmant. Eat nunc *Raymundus Caron* Hibernus Th. Lector, jubilatus & proceſſum inſtituat ulterius ex capite ſchiſmatis adverſus Reformatos in Tractatu *controverſiam generalium fidei.*

DISPUTATIO DUODECIMA

De

SCRIPTURA,

THESIS I.

PRincipium THEOLOGIÆ eſt Scriptura Sacra, quæ definitur, quod ſit Verbum DEI, quod juſſu & inſtinctu illius ab Amanuenſibus Spiritus S. in Literas relatum, ut per illud Homines de rebus divinis informentur, fidem concipiant, & conſequantur vitam æternam.

II. Dicitur Scriptura Sacra 1. Verbum DEI, cùm enim Scriptura Sacra dicat complexum, quod ex materia & accidente ſcriptionis conſtat, ideòque rectè definitur per Verbum DEI, ut ver-

bum prædicatum ſive ore prolatum, quod itidem aggregatum quoddam ex ſenſu & ſono, Verbum DEI dicitur, & tantùm accidentaliter differt à ſcripto. Dicitur 2. juſſu & inſtinctu DEI ab Amanuenſibus Spiritus S. in Literas relatum, adeòque refertur illius Origo in juſſum, ſive apertum & externum mandatum, de quo conſtat ex Eſa. 30 ℣ſ. 8. Jerem. 36. ℣ſ. 2. Judæ ℣ſ. 3. 1. Joh. 1. ℣ſ. 1. & ſeq. Apocal. 1. ℣ſ. 19. & cap. 14. ℣ſ. 13. & in inſtinctum internum, Motionem divinam, Inſpirationem, ex quo πᾶσα γραφὴ dicitur θεόπνευστος. 1. Timoth. 3. ℣ſ. 16. Deſignatur cauſa Miniſterialis, quòd ſcil. fuerint Amanuenſes Spiritus S. calami quaſi illius, qui ipſo dictante, ſuggerente, communicante, ſcripſerint, & ejusdem motu locuti fuerint, prout docent verba Exod. 34. ℣ſ. 27. Matth 10. ℣ſ. 19. 20. 2. Petr. 1. ℣ſ. 21. Aperiturque formale illud externum, cum dicimus verbum in Literas relatum, ad quod digitum intendit Paulus γραφὴν commendando. 2. Timoth. 3. ℣ſ. 16. Dicitur 3. ut per illud homines informentur de rebus divinis, fidem concipiant, & conſequantur vitam æternam, & ita exponitur objectum tum perſonale tum reale, illud quidem hominum nomine: eſt enim Scriptura Epiſtola Omnipotentis ad ſuam Creaturam, ſive genus humanum, unde etiam CHRISTUS ad Lectionem Scripturæ illius animat, Joh. 5. ℣ſ. 39. toties ingeminat illud, Luc. 10. ℣ſ. 26. remittit homines vivos ad Scripturam, Luc. 16. ℣ſ. 29. hoc verò nomine rerum Divinarum, circa quas verſatur, quas proponit, revelat, & exponit verbis tantæ Majeſtati rerum convenientibus. Rom. 16. ℣ſ. 25. 26. 1. Corinth. 2. ℣ſ. 4. 12. 13. finis intermedius, nempe fides, quam ex Scriptura concipimus, de quo Eſa. 55. ℣ſ. 10. 11. Rom. 10. ℣ſ. 16. 17. 1. Corinth. 2. ℣ſ. 5. & tandem ultimus, qui eſt vita æterna, quò quidem reſpexit Eſaias cap. 8. ℣ſ. 20. CHRITUS Joh. 5. ℣ſ. 39. & ipſe Johannes capite 20. ℣ſ. 31.

III. Definitum hîc eſt Scriptura Sacra. aliâs enim Verbum DEI eſt vel ἄγραφον vel ἔγγραφον, vel orale vel ſcriptum, quod ratione œconomiæ diverſæ intelligendum, quia ſcil. DEUS, cùm vita Patriarcharum ad aliquot ſecula ſe porrigeret, ut natos natorum, & qui naſcebantur ab illis, informare, & ſincerè propagare poſſent ad poſteritatem veræ doctrinæ formam, prima in Mundi ætate voce cum illis, qui Eccleſiæ præerant, agere voluit, poſtea autem, decreſcente hominum ſucco & vita, ſcripto ſuæ voluntatis indicia adſtrinxit: nec

non

non ratione modi diverſi communicandi, quò reſpexit Paulus ſcribens Theſſalonicenſibus 2. Epiſt. cap. 2. ℣ſ. 15. *retinete doctrinam, quam accepiſtis, ſive per ſermonem,ſive per Epiſtolam noſtram.*

IV. Quam convenienter autem Eccleſiæ DEUS Sapientiſſimus hunc ordinem elegerit, attendenti facilè conſtare poterit. Ut enim in ſocietate domeſticâ Parentes primùm loquuntur cum Liberis, & adhuc teneros voce informant, paulatim autem increſcentes literis admovent & aſſuefieri volunt, interim adhuc concurrente orali monitione, tandem autem illos ſcriptis adſtringunt, ut etiam poſt fata habeant, unde ſapiant & ſciant, quid turpe, quid utile, quid bonum, quid malum: ita DEUS in domo ſuâ, ut Eccleſia in ſacris deſcribitur, in familia ſua, quam habet in his terris, progreſſus fuit, atque in prima mundi ætate uſus fuit vocali informatione, partim immediatâ, revelans ſcil. ſe Patriarchis, partim mediata, per illos ſc. exponens, quæ placerent; in altera, à Moſe ſcil. usque ad tempora Chriſti & Apoſtolorum vivam vocem & ſcriptionem conjunxit, illam quidem,ob imbecillitatis reliquæ conditionem, hanc verò propter profectus laudabiles, incrementa & intenſionem; in ultima denique poſt fata Apoſtolorum, menſura conſummatæ revelationis præſente ad Corpus conſtructum ex libris Prophetarum & Apoſtolorum in totum nos alligavit, & ita hoc ordine, his gradibus nos docuit, *ut quis erudit filium ſuum*, Deut. 8. ℣ſ. 5.

V. Ut autem DEUS hoc ordine progreſſus fuit, ita illud Verbum, quod voce promulgavit, non diverſum cenſendum ab eo,quod Scripto comprehenſum. Idem DEUS revelans hîc, eadem voluntas, idem Syſtema credendorum, eadem Eccleſia, quæ in Unitate fidei conſummatur, adeòque diviſio hæc non eſt generis in ſpecies, ſed ſubjecti in Accidentia. Quod liquidè conſtat, tùm quia Verbum divinum formaliter conſiſtit in manifeſtatione conceptus Divini, & τὸ enunciari vel ſcribi ſe habent ut differentiæ accidentales, prout eadem voluntas Regis vel voce poteſt exprimi, vel ſcripto, manente ejusdem ſenſus Uniformitate: tùm quia ταῦτα, hæc ipſa, quæ prædicarunt, non alia, non diverſa aut diſparata, ipſi θεόπνευστα dicunt ſeſe ſcripſiſſe, 1. Joh. 1. ℣ſ. 3. 4. 1. Corinth. 15. ℣ſ. 1. 2. 2. Cor. 1. ℣ſ. 15 tum quia idem fructus & Effectus Verbo prædicato & ſcripto tribuitur. Vita ſcil. æterna, cum fine intermedio Fide, de quo Joh. 5. ℣ſ. 34. & 39. cap. 20. ℣ſ. 31. & 1. Joh. 5. ℣ſ. 13. Unde

etiam ipſe Spiritus S. ut identitatem illam Verbi, ore prolati & in literas relati, indicaret, promiſcuè tum prædicationem & ſcriptionem, tum illius correlata, auditionem ſcil. & Lectionem, uſurpavit, & hæc inter ſe permutavit, Rom. 10. ỳſ. 5. 8. 2. Petr. 1. ỳſ. 19 20. Luc. 16. ỳſ. 29. & 31.

VI. Non tantùm itaque errarunt Hæretici veteres, qui Scripturam accuſarunt, *quaſi non ſit ex authoritate*, ut loquitur *Irenæus* Lib. 3. cap. 2. ſed etiam 1. Pontificii, qui negant Scripturam eſſe Verbum Dei abſolutè loquendo, & cum *Stapletono* aſſerunt, *Scripturam eſſe quidem vocem Dei, quando Eccleſia illam loquatur. In Relectione principiorum fidei, controverſia 4. quæſt. 5.* 2. Calviniani, qui malunt Scripturam definire per Teſtamentum cum *Aretio*, per Fœdus Dei cum *Rolloco*, per ſignum cum *Kekermanno*, per Inſtrumentum, juridice accepto Termino, cum *Antonio Walæo*, qui deſcripſit ita Scripturam, *quod ſit Inſtrumentum ſacrum, quo Doctrina Divina & ſalutaris à Deo per Prophetas, Apoſtolos & Evangeliſtas, fideliter, perſpicuè & plenè in Libris Canonicis V. & N. T. eſt tradita*; quæ partim Scripturæ naturam & indolem non exprimunt, partim de communi & concepta ſententia diſcedunt, partim diſtinctioni inter Verbum internum & externum velificant, & Scripturæ divinam Virtutem & Efficaciam derogant. Conſideretur hîc tantùm Definitio illa, ex *Walæo* producta, patebit illam ita eſſe conceptam, ut etiam Sociniani eam admittere poſſint. 3. Schwenckfeldiani, Wegeliani, Rathmanniani, qui Scripturam negant eſſe Verbum Dei propriè ſic dictum, quos ſequuntur moderni Quakeri, quibus Scriptura eſt *Eloquium, Hiſtoria, carnalis Litera, faſciculus abſurditatum.*

VII. Per Scripturam Sacram intelligimus hic principaliter totum illud Librorum Canonicorum Corpus, cùm aliàs tum diſtributivè hæc vox accipiatur, nempè pro Decalogo, Exod. 32. ỳſ. 15. 16. vel pro Exodo Joh. 19. ỳſ. 36 Rom. 9. ỳſ. 17. vel pro Libro Regum, Rom. 11. ỳſ. 2. 3 pro Pſalmo, Matth. 21, ỳſ. 42. Joh. 13. ỳſ. 18. pro Libro Prophetico, Marc. 15 ỳſ. 28 Joh. 7. ỳſ. 42. cap. 19. ỳſ. 37. Actor. 8. ỳſ. 32. pro toto Veteris Teſtamenti Codice. Matth. 22. ỳſ. 29 Luc. 24. ỳſ. 27. & 32. Joh. 2. ỳſ. 22. cap. 5. ỳſ. 39. cap. 20. ỳſ. 9 Rom. 1. ỳſ. 2. tùm collectivè pro tota Scriptura, conſtante Libris V. & N. T. ut 2. Timoth. 3. ỳſ. 16. commodè autem hoc

nomine

nomine utimur ad facem præviam Chriſti, qui in plurali hâc voce utitur, Joh. 5. ℣ſ. 39. in ſingulari, Joh. 10. ℣ſ. 35. quem ſecutus Paulus 2. Timoth. 3 ℣ſ. 16 adjecto Epitheto, quo Paulus quoque eam ornavit, Rom. 1. ℣ſ. 2. nec non 2. Tim. 3. ℣ſ. 15.

VIII. Communis eſt vox, & eâdem deſignatur ἀντίγραφον, ἀπόγραφον, Verſio, ita tamen, ut ἀναλόγως competat illis, & ordo aliquis hîc ſit non negligendus. Nam ἀντίγραφα Prophetarum & Apoſtolorum dicuntur Scriptura Sacra originaliter, ἀπόγραφα fideliter ex illis deſcripta radicaliter, Verſiones materialiter; illa quidem continebant Divinum ſenſum ita, ut etiam Prophetæ & Apoſtoli ſcribentes fuerint infallibiles, & Calami Spiritus S. Iſta eundem ſenſum expreſſerunt interveniente manu miniſtra alicujus, qui illo axiomate, quo Prophetæ & Apoſtoli ornati, non gaudebat. Hæ quidem ſenſum exponunt, ſi ſint probæ, ſed verba & phraſes non retinent, cum Linguâ originariâ, quæ in Autographis prævaluit, in Apographis fuit retenta.

IX. Non admittimus ergò illos, qui diſtinctionem Verbi in ἄγραφον & ἔγγραφον ita accipiunt, ac ſi eſſet generis in ſpecies, quo quidem ſenſu peccant Judæi, quibus nihil tritius, nihil frequentius, quam Diſtinctio inter Legem oralem & ſcriptam, (quos Pontificii ſequuntur, qui hâc diſtinctione eludere tentant, quicquid pro Scripturæ dignitate producitur:) Elogia illa ad Verbum quoddam ἄγραφον obliquantes. II. Illos, qui ordinem Divinum turbant, & Scripta obtrudere ſatagunt Eccleſiæ ὑποβολιμαῖα, quæ ante tempora Moyſis ſint exarata, & crepant vel cum *Rabbi Abraham*, Librum quendam ab Adamo ſcriptum fuiſſe de Divinitate, quem ſecutus fuerit Abel, de quo videndi *Boiſſardus* in *Triſmegiſto*, *Ambroſius Theſeus in Introductione*, nec non *Maſius in Joſuam*, vel Henochi Monumenta, de quibus *Druſius*; qui exiſtimat, Librum illum adhuc hodiè extare apud Judæos, quia *Menachemus Ricinenſis* eum aliquoties laudet, alii volunt *Capnionem* noſtrum illum à *Mirandulano* grandi pecunia emiſſe, de quo *Jacobus Bolducus* quoque Capuccinus Pariſienſis miras finxit præſtigias, quaſi Syracides cap. 44. ℣ſ. 19. dicens: *Teſtamenta Seculi poſita ſunt apud illum, ne deleri poſſit diluvio omnis caro*, reſpexerit ad illum Librum Enochi & conſimilia. III. Illos, qui cum *Iſaco Pererio* declamitant ex Lib. 4. cap. 2. p. m. 197. *Quis aſſerere audeat, divinorum Authorum* ἀντίγραφα

ipſa

ipſa, perplexa quamvis & ænigmaticè ab illis ſcripta, ad nos eadem transmiſſa, qualia, dictante D e o *ipſo, voluminibus Sacris commiſſa ſunt? negari certè non poteſt, quin ſint apographa, quæ loquuntur in Libris Joſuæ, Regum, Paralipomenon.*

X. Hactenus de definito. In ipſa autem definitione deſcribitur Scriptura Sacra per Verbum D e i, θεόφθογγον ſcil. notaturque cauſa illius efficiens principalis, quod ſit D e u s Trinunus, tum ſi conſideretur ſecundum Materiale ſuum, tum ſi conſideretur ſecundum formale Scriptionis. Prius conſtat de Patre, ex Ebr. 1. ℣ſ. 1. de filio 17. 25. cap. 32. ℣ſ. 24. cap. 48 ℣ſ. 16. Joſ. 5. ℣ſ. 13. 14. 15. cap. 6. ℣ſ. 1. 2. Judic. 6. ℣ſ. 11. cap. 13. ℣ſ. 3. 4. 5 cap. 11. ℣ſ. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. Marc. 1. ℣ſ. 14. De Spiritu ex 2 Samuel. 23 ℣ſ. 2. & 2. Petr. 1. ℣ſ. 21. poſterius conſtat, quia primo exemplo præivit, & legem ſuam duabus inſcripſit tabulis immediatè Exod. 24. ℣ſ. 12. c. 31. ℣ſ. 27. Eſa. 8. ℣ſ. 12. cap. 31. ℣ſ. 18. mandato imperavit expreſſè, in V. T. quidem Exod. 34. ℣ſ. 27. Eſa 8 ℣ſ. 1. Jerem. 30. ℣ſ. 2. cap. 63. ℣ſ. 2. & 28. Habac. 2. ℣ſ. 2 in N. T. verò Matth. 28. ℣ſ. 29. Actor. 15. ℣ſ. 28. Judæ ℣ſ. 3. Apoc. 1 ℣ſ. 11. cap 14. ℣ſ. 12. quia denique inſpiratione ad ſcribendum movit, acti quippe à Spiritu S. ut ſancti homines D e i locuti ſunt, ita ſcripſerunt, ut tota Scriptura propterea audiat θεόπνευςος. 2. Tim. 3. ℣ſ. 16.

XI. Deviant itaque à vero, qui exiſtimant, citra mandatum Divinum ſuſcepiſſe ſcribendi munus, quo inprimis illa *Bailii* tendunt ſcribentis: *nullum expreſſum & ſpeciale mandatum id faciendi videmus, ſed tantùm juſſiſſe, ut prædicarent; de Salvatore conſtat, ne unum quidem Caput ſua manu ſcriptum reliquiſſe. Qui ſcripſerunt, variis occaſionibus bonis & ſanctis impulſi fuerunt. S. Matthæus, teſte Euſebio lib. 3. hiſt. cap. 24. occaſionem Evangelii ſcribendi ſumpſit ex eo, quod poſt Evangelium prædicatum gentibus, de diſceſſu cogitans, bonum & utile judicavit, aliquod doctrinæ ſuæ memoriale relinquere iis, à quibus abſcedebat, idq; poſt multos annos à Domini paſſione elapſos. Idem author lib. 2. cap. 15. ait, S. Marcum, non proprio motu, vel ex Petri mandato ad ſcribendum incitatum fuiſſe, ſed rogatu & ſollicitatione ſola Romanorum. De Luca agens lib. 3. cap. 24. teſtatur, ut calamo manum admoveret, ſtimulatum fuiſſe, quia non pauci ſe ingerebant ad ſcribendum multa, quæ neſciebant, ut ſenſim ſerpentibus*

tibus incertis & dubiis, veritatis ſplendorem opponeret. Adde, quod meliorem partem eorum, quæ ſcripſit, auditione & traditione didicit. Ad Joannem quod attinet, non ſcripſiſſe usque ad extremam ſenectutem teſtatur, idque cum urgeretur ab Aſiæ Epiſcopis, ad retundendam Ebionitarum hæreſim. In Apocalypſi quidem legimus, Angelum mandaſſe, ut ſcriberet ſingulares quasdam revelationes, ſed non integrum volumen, in quo univerſa fides noſtra includeretur.

XII. Impulſivam cauſam ſi deſideres, aſſignari poteſt illa primò, ex parte Dei, Amor ille inſignis erga populum, quem in V. T. ſibi elegerat, & genus humanum, ut conſtat ex Pſalm. 147. ꝟſ. 19. 20. nec non Eph. 1. ꝟſ. 9. Ex parte Prophetarum & Apoſtolorum vitæ Brevitas, quia illi ad tempus prophetabant & docebant, & cum periodo vitæ quoque ſermones ſuos finiebant, & nihilominus omnes gentes docere debebant, Matth. 28. ꝟſ. 19. Denique ex parte Eccleſiæ illius conditio, quæ quamdiu peregrinatur in his terris, Luce viali & quidem conſtanti opus habet, ne ſubventaneis traditionibus deciperetur, in amplitudine ſua remigio Calami & Scripturæ conſervaretur, & in menſura illa cognitionis, quæ decet virilem ætatem, ſtabiliretur, quò quidem reſpexit Lucas cap. 1. ꝟſ. 2. & 4. Et ita ſanè aliàs quoque comparatum eſt in hominum vita, ut, quæ volumus perennare, poſteritati prodeſſe, incorruptè communicare aliis, Scriptis adſtringamus, notis æternis illigemus. Si Hieronymus ad legendas Scripturas cohortationem ſoli Paulino dixiſſet, Paulinus ſolus habuiſſet fructum, nos ab illa nullum. Nunc tot ætatibus eandem ſcripſit, quam multos excitavit, ut *diſcerent in terris, quorum ſcientia perſeverat in Cœlis.*

XIII. Cauſa Miniſterialis in ipſa quoque Definitione indicatur, quod ſcil. illius Locum expleverint Amanuenſes ſacri, nempe Moſes & Prophetæ in V. T. de quo Luc. 16. ꝟſ. 29. 2. Petr. 1. ꝟſ. 19. in N. T. Evangeliſtæ & Apoſtoli, 2. Petr. 3. ꝟſ. 15. Judæ ꝟſ. 3. inter quos fuit ultimus Johannes, qui Linguâ & manu, voce & Scripto finiit dicta, & ſcripta obſignavit.

XIV. Iniqui ſunt igitur in Amanuenſes Sacros I. Pontificii, qui cum *Alberto Pighio* audacter pronunciant: *Quis certos nos reddidit, vera eſſe & certa, quæ ſcribunt, omnia de* Christo, *præſertim Marcus & Lucas, quæ nunquam viderunt, ſed crediderunt,*

narrantibus aliis &c. 2. Calviniani, qui Evangeliſtas & Apoſtolos accuſant erroris cum *Witakero*, lapſûs cum *Vorſtio*, Mendacii cum *Junio*. 3. Sociniani, qui aſſerunt, *alium è ſacris Scriptoribus alio rerum veritatem melius tenuiſſe, obnoxios lapſibus memoriæ fuiſſe* θεοπνεύςȣς.

XV. Materia Scripturæ eſt vel circa quam, vel ex qua. Circa quam ſunt res divinæ, ſive divinitus revelatæ, de quibus ſupra. Materia autem, ex qua Scriptura, tanquam totum ex partibus, corpus ex membris conſtat, ſunt Libri Canonici V. & N. T. quorum diverſa lingua, & quidem Librorum V. T. Ebræa, quos complexus fuit Chriſtus univerſos, diſtribuendo illos in Moſen, Prophetas & Pſalmos, Lucæ 24. ℣ſ. 44. vel dividendo in Moſen & Prophetas Matth. 7. ℣ſ. 12. cap 11. ℣ſ 13. cap 22. ℣ſ. 40. Luc. 16. ℣ſ. 29. & 31. Libri verò N. T. græcâ; qui ſolent diſtingui in Hiſtoricos, quatuor ſcil. Evangelia & Acta; Epiſtolicos, Pauli ſcil. Petri, Jacobi, Johannis & Judæ Scripta, & propheticos, Apocalypſin ſc. Theologi.

XVI. Hallucinantur ergò 1. Pontificii, qui præter Canonicos, quos Eccleſia Judaica & primitiva Chriſtiana recepit, plures volunt eſſe in Canone, & Apocryphos genuinis exæquant. 2. Qui aliquos Libros Canonicos periiſſe aſſerunt. 3. Anabaptiſtæ, qui partim nolunt Scripturam V. T. Chriſtianis eſſe debere Canonicam, fidei ſc. vitæque regulam, ut primus docet articulus colloquii *Franckenthalenſis:* partim Apocryphos V. T. nimium extollunt, partim de IV. Libro Eſdræ nimis auguſtè pronunciant, & illum pro principio fidei agnoſcunt: quibus pollicem premunt Schwenckfeldiani, Wigeliani, & alii fanatici, cùm tamen deſtituatur Liber ille notis & characteribus Divinitatis, fabulas Judaicas ferat, & linguâ illâ non ſit ſcriptus, quâ aliàs Canonici V. T. Libri fuerunt concepti & editi.

XVII. Ut autem Formam Externam diximus eſſe ſcriptionem, in quantum ſcil. ἀγράφῳ contradiſtinguitur, ita internam dicimus eſſe ſenſum Divinum, cum verborum anima ſit ſenſus & mens loquentis vel ſcribentis, & quod in verbo hominum aliàs obſervatur, hic quoque obtineat, ſcil. ut nucleus ſit ſenſus, cortex Verbum prolatum, aut in literas relatum, & per ſe pateat, ſenſum Divinum eſſe id, quod Verbum Divinum in eſſe ſuo conſtituat, ita ut ex hoc ſit Verbum DEI, & ab omni alio, e. g. humano, diſtinguatur.

XVIII. In formam hanc peccant 1. Pontificii, qui partim

cum

cum *Thoma* 1. part. quæſt. 1. art. 10. *Alphonſo à Caſtro*. lib. 1. *adverſus Hæreſes*, *Becano in Theol. Scholaſtica parte* 2. *Tract.* 1. *cap.* 3. *q.* 5. unius dicti ſtatuunt plures ſenſus literales: partim cum *Tannero* dividunt ſenſum Scripturæ in Literalem & Spiritualem, qui vel Tropologicus vel Allegoricus vel Anagogicus, & commentarios ſuos ita adornant, ut inſpergant quandoque aliquod ex hisce variationibus, maximè verò ſe hoc artificio commendare voluit *Martinus Delrio*, ſic contexens Canticum Canticorum, & ſub totidem figuris exhibens; partim cum *Bellarmino* & cæteris, fontes corruptos eſſe, & turbidè fluere, opinantur, & Verſioni vulgatæ præ illis deferendum cenſent 2. Calviniani, qui defendunt, DEUM non ſemper velle id, quod in verbo expreſſit & mandavit, ſed ſæpè contrarium, & inter voluntatem Signi & Beneplaciti tanquam oppoſita diſtinguunt. 3. Arminiani, qui ex hominum judicio & menſura perſpicaciæ ſenſum Scripturæ ſuſpendunt, illum ſæpius incertum eſſe aſſerunt, & libertate prophetandi januam aperiunt ad Atheiſmum, *Apologiæ c.* 24. 25.

XIX. FINIS eſt, ex noſtra Definitione, Hominum ad fidem & ſalutem æternam perductio. Non quorundam, ſed ex intentione DEI omnium Hominum, cùm neminem DEUS arceat ab hoc fonte, omnes etiam Linguis & locis diſtinctos per varias verſiones invitet, ut quondam per Apoſtolos, quorum ſonus exiit in univerſum Orbem, per græcæ Linguæ Electionem, quæ paſſim regnabat Rom. 10. ℣ſ 13. & ut fidem generaret in cordibus hominum, DEUS Verbum ſuum illa Efficacia inſtruxit, ut pertingat ad diviſionem usque animæ & Spiritus &c Ebr. 4. ℣ſ. 12. atque Chriſtum introducat, in quantum habet rationem Evangelii, Spiritumque conferat, de quo graphicè Paulus, Galat. 3. ℣ſ. 2. & eadem Epiſtola 4. ℣ſ. 19 nec in fine intermedio ſubſiſtit, ſed ad ultimum quoque collimat & perducit, qui eſt Salus & vita æterna, quod docet ipſe Chriſtus Joh. 5. ℣ſ. 39. ipſe Joh. Theologus eundem aſſignans finem, Joh. 20. ℣ſ. 31. denique Paulus Gentium Apoſtolus, Tim. 2. 3. ℣ſ. 15.

XX. A fine & Scopo Scripturæ recedunt 1. Pontificii, dum volunt: illam traditam eſſe tantùm, ut eſſet fidei & vitæ aliquod commonitorium, non utriusque perfectus Canon & Regula. Et omnes illi, qui aſſerunt, Chriſtum Eccleſiam ſuam non à Chartaceis ſcriptis pendere, nec membranis Myſteria ſua committere voluiſſe; 2. Calviniani, qui intrinſecam virtutem, generandi fidem, Verbo ſcripto denegant;

rogant; Schwenckfeldiani, Wigeliani, Mennonitæ, Enthuſiaſtæ, Fanatici, Quackeri, qui partim præter vim ſignificandi nihil agnoſcant in verbo DEI, partim illud planè rejiciunt & contemnunt, adeò quidem, ut ex modernis illis trementibus apertè quidam profeſſus fuerit, *ſe poſſe ſcribere ut Paulum*, nec ad omnes fuiſſe directos libros V. & N. Teſt. Nationes & populos, ſed quosdam tantùm, *nec ullum ex illis fuiſſe vel Eccleſiæ, vel ulli Hominum in Anglia deſtinatum*. 3. Libertini, qui Scripturam inter fabulas referebant, ſi quis allegaret illam, explodebant, & in tantum adhibebant, in quantum aliquod dictum ipſis favere videbatur, Matthæum vocabant fœneratorem, Petrum Abnegatorem, Johannem Juvenem ſtolidum, Paulum Vas fractum, quibus quidam ex Quackeris acceſſerunt, qui Scripturam dixerunt Cauſam omnis Miſeriæ & Diſſenſionis in rebus Eccleſiaſticis & Politicis, nec pacem ſperandam, donec omnia Exemplaria Bibliorum flamma illuminarentur.

DISPUTATIO DECIMA TERTIA

De SCRIPTURÆ DIVINITATE,

THESIS I.

QUanquam Scripturæ Divinitas eſſe deberet extra omnem controverſiæ aleam, maximè regenitis, qui nec dubitare poſſunt nec debent circa hoc punctum, tum propter principii conditionem, quod certum, notum, & firmiſſimum eſſe debet; tum propter Effectum præſentem regenerationis, ex quo ad cauſam facilis acceſſus: qui enim regeneratur, ex verbo regeneratur, unde divina hæc facultatum omnium Immutatio non poteſt non indicare Verbi Divinitatem, ſeminis hujus ſingularitatem, ex quo regenitus; tùm propter peccati turpitudinem, qui enim dubitat de Religionis fundamento, & DEO revelanti non aſſentitur, eundem arguit, & vel potentiam vel benignitatem vel veracitatem ejusdem pulſat; atque ſibi ipſi viam ad Epicuræiſmum & Atheiſmum ſternit: urget tamen Carnis noſtræ imbecillitas, Hæreticorum Verſutia, Diaboli

boli indefeſſum ſeductionis ſtudium, ut non operam ludant ſed utilem præſtent Eccleſiæ, qui Argumenta in ſubſidium Veritatis Divinæ conquirunt, &, quod non bruto aſſenſu feramur in Codicis ſacri præeminentiam, ut calumniantur nonnulli, luculenter & ſalutariter oſtendunt.

II. Carnis quidem imbecillitas ſæpius requirit fulcimentum. Ut enim in perpetua lucta ſumus conſtituti, adverſante vetere Homine novo, ut tenebræ adhærent menti quanquam converſæ, ut diffidentiæ radix in originali, quod inhæret, malo, ita contingit, ut ſæpius depugnandum quoque ſit Chriſtianis contra dubitationum fluctus & inſultus, tenebris opponenda Lux Veritatis Cœleſtis, in radiis ſuis illuſtris, & figendum pectus atque muniendum, ne vento circumferatur inſurgente contrario: ingraveſcunt ſæpè calamitates, & ex illis dubitationes, num in gratia DEI? num filii altiſſimi? num candidati vitæ æternæ? quibus ipſum fundamentum petitur, ex quo hæc habemus dogmata de gratia, de filiatione noſtra, de vitæ glorioſâ perennitate; ſubminiſtranda itaque fulcra, quibus innitamur, argumenta ſubſternenda, quibus Animus dejectus attollatur.

III. Vafrities & verſutia hæreticorum ſtimulat ad hunc Laborem ſuſcipiendum. Nam & veteres & moderni vel in totum Codicem, vel in partes illius, ſpicula ſua direxerunt. *Scripturam*, inquit *Tertullianus de præſcriptione*, *vel planè non recipiunt*, *vel adjectionibus & traditionibus ad Diſputationem inſtituti ſui invertunt*, *vel non recipiunt integras*, *& ſi aliquot integras*, *nihilominus diverſas expoſitiones dari poſſe contendunt*. Ita Manichæi Libros V. T. in univerſum reſpuebant, quibus præluſerunt Simoniani, Baſilidiani, Marcionitæ apud *Irenæum* lib. 1. cap. 20. 22 29. Nicolaitæ & Gnoſtici, teſte *Philaſtrio in Catalogo Hæreticorum* cap. 127. Pſalmos Davidis, ut Humana vel profana cantica, contemnebant; alii Eccleſiaſten Vanitatis arguebant, alii Canticum Canticorum inter nupta Carmina & Amorum incentiva referebant, eodem *Philaſtrio* obſervante cap. 132. & 133. Patrum noſtrorum memoria Anabaptiſtæ, infelix genus hominum, in Colloquio *Franckentalenſi* Libros V. T. noluerunt ſimpliciter admittere. Jeſuitæ cum *Grezero* cornicari cœperunt, & quærere, unde ſcis Scripturam eſſe divinam? Quakeri & illius furfuris in Anglia furere in Codicem ſacrum, Biblia V. T. quæ tamen ſub *Cromwellio* milites non aliter quàm arma

ſua ſecum portabant, &, ut ille ex utroque Cæſar, ex utroque milites eſſe voluerunt: itaque os maledicum iſtiusmodi Hæreticis obſtruendum, & demonſtrandum, Scripturam eſſe Verbum DEI, argumentis ſolidis, quibus illorum audacia reprimatur, piorum Conſtantia in fide corroboretur.

IV. Diaboli denique Studium nos vult eſſe indefeſſos in hoc opere. Utitur ille ignitis tentationum telis, ut fatiget electos, cumque Scriptura ſit panoplia illa, ex qua adverſus illum ſtamus armati, nihil illi magis inviſum, tanquam Patri mendacii; eò itaque tendit, ut Scripturam evertat, eò ſua dirigit molimina, ut labaſcere in animo incipiat fundamenti ſoliditas, quo obtento actum eſt de pietate, de Chriſtianiſmo, de Salute æterna. Cùm itaque intellectus humanus rationibus, quas ipſe ſæpius non videt, non attendit, vel etiam eruere nequit, ab aliis magis ſolertibus in medium productis, illuſtretur, informetur, utile & neceſſarium erit habere in promptu, vel ex propria induſtria, vel aliena, quæ Clypeum fidei ornant, robora Chriſtiano militi adverſus Diabolum addunt.

V. Accedit tot Hominum in Gentiliſmo Miſeria: ſi enim circumferas Oculos per Aſiam, Africam, Americam, quot Myriades videbis per-devia contendentes ad Orcum? Quot ignaras veræ viæ? quarum Numerus quantum excedat Chriſtianorum, ſuprà ex *Brœrodio* inſinuavimus: quibus ſanè ſi Biblia commendentur, habent unde proficiant ad ſalutem: quapropter oſtenſa Gentiliſmi vanitate, impietate, abſurditate, veteris Religionis & ſectæ falſitate, ad veritatem facilior erit aditus oſtenſo DEO, ut in natura ſe ſpectandum exhibet, ad Methodum Pauli, de quo Actor. 14. vſ. 15. cap. 17. vſ. 15. *Juſtini Martyris in parænesi ad Gentiles, Clementis Alexandrini, in Protreptico:* ad DEUM revelatum liberior acceſſus, & cùm ille in Scripturis ſeſe manifeſtarit, demonſtrandum erit, hunc Librum præ aliis eſſe notis quibusdam Divinitatis inſtructum, ut de DEO ſapere incipiat ex DEO gentilis ejusque verbo, vel ſi non admittat Gentilis inveteratæ religionis Examen, propones eidem Codicem Sacrum, commendabis illum tanquam Librum, in quo Lux Divina fulgeat, voluntas Summi Imperatoris expreſſa habeatur, via indicetur ad Beatitudinem ſolidam & perennem. Certè niſi hominis naturam exuerit Gentilis, deſiderabit, petet, leget, cùm omnes homines ſecundum *Ariſtotelem* naturâ ſcire deſiderent, & ipſa Curioſitas nobis

bis congenita impellat, legendo itaque aut ipſe deprehendet characterem Divinitatis, & Spiritus S. per lectionem erit fœcundus, mentem ſenſim illuſtrabit, & per Verbum, quod inſtar pluviæ de Cœlo deſcendentis, quæ nunquam redit vacua, efficax erit, aut cum illo cœco homines ambulantes vidente ſub tegmine arborum. Marc. 8. ỳ. 24. requiret, ut notæ Divinitatis oſtendantur, adeoque opus erit argumentis, quæ petitioni ſatisfaciant, & ad convictionem colliment.

VI. Præivere Exemplo Patres, Priſcæ Eccleſiæ Lumina, quibus non ſufficit, Chriſtianos in fide confirmare, ſed & ad gentium animos & corda duriora hac Methodo graſſari, & Bibliorum per varias conquiſitas rationes commendatione ὄρεξιν accendere, volupe fuit. Laborarunt in hoc argumento *Origenes contra Celſum, Tertullianus adverſus gentes, Cyrillus contra Julianum, Theodoretus de Cura græcarum Affectionum; Clemens Alexandrinus in ſtromatibus, Theophilus Antiochenus, Cyprianus, Auguſtinus de Civitate* DEI, *Lactantius, Euſebius*, & inprimis *Junilius, Epiſcopus Africanus.*

VII. Primum itaque, quod pro Scripturæ Divinitate militat, eſt Criteriorum complexus, cùm non uno radio fulgeat Scriptura, ſed pluribus, & inſtar Solis cujusdam Lumina ſua diſpenſet, & Divinitatis indicia aperiat. Alterum eſt Teſtimonium illud Spiritus S. internum, qui ut *in omnem Veritatem ducit*, teſte Chriſto, Joh. 16. ỳſ. 13. etiam ducit in Veritatem Scripturæ, eandem inſinuat, confirmat & obſignat, de quo plura in ſequentibus. Tertium Conſenſus hominum, in Divinitatem Scripturæ conſpirantium: quanquam enim humanum teſtimonium nequeat generare fidem divinam, cum altius hic requiratur principium, nihilominus nòn contemnendum eſt in ſuo ordine, & veritati ancillari commodè poteſt, nec facilè rejiciendum, quod tot hominum unanimitate roboratur, maximè, ſi non tantùm teſtentur ſinguli, ſed & Cœtus integri, Eccleſia collectiva & repræſentativa, Catholica & particularis, imò ipſi hoſtes, quibus quandoque vis veritatis ea exprimit, quæ cauſæ noſtræ conducunt.

VIII. Ut itaque primum expediamus, obſervamus 1. radium Antiquitatis, quo maximè ſe commendat Scriptura, quam Chriſtiani tanquam principium fidei exoſculantur: pandit quippe ſe in illa 1. Antiquitas Materiæ. In Scriptura Origo rerum, totius mundi initia

tia nobis proponuntur, geſta antiquiſſima, rudimenta prima artium, politiæ, Oëconomiæ, Eccleſiæ. 2. Antiquitas cauſæ miniſterialis & Amanuenſium: Moſes enim antiquiſſimus Scriptor, qui omnes Gentilium Hiſtoricos, Philoſophos, Oratores, & Poëtas antevertit. 3. Antiquitas formæ externæ, concepta quippe eſt Scriptura Linguâ Ebræa, quæ ut ſimpliciſſima, ita inter cæteras prima, ut perfectiſſima, ita princeps, docente *Rabi Azaria* & *Samuele Arcuvolto.*

IX. Non admittimus ergò 1. illa Pontificiorum, quæ vellicandæ Antiquitati opponunt, cauſantium, *non poſſe illam eſſe Divinitatis argumentum certum, partim quia non poſſit demonſtrari eſſe propria Librorum ſacrorum, cùm nemo omnium aliorum Libros excuſſerit, ut pronunciare certo poſſit, in ſola Scriptura geſta ab origine Mundi tradi; partim quia ipſo facto arguatur, non eſſe propria Librorum ſacrorum, cùm Japones & Sinenſes habeant Libros, quibus dicant ab Exordio Mundi Hiſtoriam deſcribi, partim quia falſum, omnes gentilium Hiſtorias cum aliquibus ſaltem Canonicis Libris tùm V. tùm N. T. collatas eſſe recentes.* 2 Illa gentilium, qui non admittunt Moſen primum Scriptorem, ſed cum *Plinio æternum Literarum uſum* objiciunt; *Sethianorum*, qui ſeptem Libros Adamo attribuunt, quibus *Cluverius* calculum addit *lib.* 11. *Germaniæ Antiquæ* cap. 14. *ad Phædrum Platonis* reſpiciens: illa Chronologorum quorundam, qui vel ad columnas illas, quibus artes & Diſciplinæ fuerint inſcriptæ, cum *Joſepho* ſe recipiunt, vel *Enochi* Scripta obtrudere ſatagunt. 3. Non illa, quæ Philologi quidam de Lingua ſuperiore Ebræâ, & prærogativâ Antiquitatis eidem palmam præripiente diſputant.

X. Omnia enim hæc caduca. Nam 1. tamdiu ſtamus in Aſſertione noſtra, quamdiu Adverſarii non ex aliis oſtendunt idem Antiquitatis Criterion. Prima enim rerum initia in Moſaicis libris proponi ipſa evidentia textus docet: alii itaque producendi erunt Libri, qui vel origines rerum altius repetant, vel paria cum noſtris dicant Moſaicis ſcriptis; ſi prius, falſitatis aliunde redargui poterunt, & etiam rejiciendi erunt, utpote contradicentes Codici ſacro: ſi poſterius, demonſtrandum erit, non eſſe furtim ſublecta, & ex Libris Moſaicis ſubducta, quæ illi produnt, imò eo ipſo, quo conſpirabunt in primordiorum recenſione cum Libris ſacris, Conſenſu ſuo veritatem illorum ſtabilient; nec probabunt, ullos tales extare Libros, quos

provi-

providentia Divina, utpote ad hominis informationem ſalutarem deſtinatos, non paſſa fuiſſet látere per tot ſecula, aut tanto Benignum Numen defraudaſſet humanum genus Theſauro; imò ſi producerentur iſtiusmodi Libri, qui in recenſione Originum compares Moſaicis, nihilominus prævalerent hi ex prædictionibus de rebus longè poſt futuris, tanquam ſtellis undique inſigniti, quales nequeunt in aliis oſtendi, eo ipſo, quo futurorum prænuntiatio Omniſcientiæ Divinæ, ad extra progredientis, luculentum & infallibile eſt Indicium. 2. Japones & Sinenſes habere Libros, quibus Hiſtoria Mundi deſcribatur, & quidem incorruptè, probabiliter non dicitur, etiam ex mente ipſorum Pontificiorum. Num enim concedent, Gentiles gaudere eadem veritatis poſſeſſione, quâ Eccleſia eminet? num non illis etiam illa ſua Cuſtos depoſiti commiſſi, Verbi ſcil. Divini? num à θεοπνεύστοις credibile eſt ſcriptos illos Libros, cùm extra Chorum Prophetarum & Apoſtolorum nulli fuerint? num quibus intellectus obtenebratus, Mens ſubdita Sathanæ Imperio, in medio Gentiliſmo potuerunt ſcribere, quæ non niſi ex revelatione Divinâ innoteſcunt? Cornicantur tamen Pontificii, & Japonum atque Sinenſium Libros opponunt: At quos? *Vedam* ſcil. cujus Antiquitas dubia: *Confugtium*, de quo ipſe *Trigautius lib. 1. de expeditione Chriſtianâ apud Sin. cap. 4. invenio quingentis quinquaginta annis, uno ante* CHRISTUM *in Lucem prodiiſſe, & annis amplius LXX. vixiſſe, quatuor ille Antiquorum Philoſophorum volumina concinnavit, ipſeque quintum ſuo Marte conſcripſit, hos Libros quinque doctrinas appellavit. Præter hæc quinque volumina è duobus tribusve Philoſophis, Confugtio ſcil. ejusque diſcipulis in unum volumen redacta ſunt varia, nullo ordine præcepta, ſimilia, ſententiæ. Id volumen, quia Libris quatuor continetur, Tetrabiblion appellarunt. Hi novem Libri ſunt Bibliothecarum Sinenſium antiquiſſimi, & è quibus propè reliqui prodierunt.* Et num *Confugtius* cum Moſe comparandus in ætate? num divinitus inſpirata, quæ ex Philoſophis congeſſit? num prima rerum initia ponunt infallibiliter illi Libri, qui in unum Volumen redacta, nullo ordine præcepta, ſimilia & ſententias continent? 3. Utique omnes gentilium Hiſtoriæ collatæ cum Libris Canonicis etiam N. T. recentes quoque dicuntur, non quidem quoad ſcriptionis actum, tam abſurdus enim nemo erit, qui aſſerat, ante Apoſtolos non exaraſſe quædam Profanos, ſed quoad

Conſenſum veritatis, quæ enim in N. T. libris prodita, illa non ſunt diverſæ Religionis, ſed ejusdem, quæ in antiquiſſimis Moſaicis Libris continentur, teſte Paulo, Act. 26. verſ. 22.

XI. Ad alterum illud gentilium & profanorum quorundam Literatorum Commentum reſpondemus 1. falſum eſſe, æternum fuiſſe Literarum Uſum, aſſertum ab illo, qui Mundum credidit æternum; & defecit per ignorantiam circa Inventorem, rejectum non tantùm à *Franciſco Sacchino in Protreptico*, & illuſtri *Mornæo*, ſcribente: *Stupor! æternas condidit Plinius Literas, inde novæ convincuntur. Quod ſi verò conſtat de origine artium, Legum, Rerumpublicarum, de inventione commercii, victus, Literarum ipſarum, id eſt de Civilis & ruſticæ rudis & politæ vitæ initio, an malumus nos in homine, imò in humano genere æternam ignorantiam, æternas tenebras, quam pueritiam, quam auroram, quæ tempore profecerit, & invaluerit, confiteri?* adde quæ *Macrobius* habet contra hanc Opinionem, *lib. 2. cap. 10. in ſomnium Scipionis.* Libri à Sethianis Adamo tributi ſunt conficti, ut Alphabethum illud & Characteres, quos exhibent *Jacobus Bonaventura Hepburnus, Angelus Roccha, Claudius Duretus, Theſeus, Ambroſius ex Comitibus Alboneſii*, qui variant in figura, in Conjecturis, in Subjectis. Columnæ illæ, quarum meminit *Joſephus Lib. 1. cap. 3.* nobis videntur, ut *Hieronymus* de cellulis LXX. interpretum loquitur, mendacio exſtructæ. Quis enim credat, Diſciplinam rerum Cœleſtium & ornatum earum fuiſſe primam & præcipuam Curam Patrum Sanctiſſimorum? cùm Cainiticæ potius factioni poſſet hoc tribui. Quis credat, hæc inſcripta fuiſſe, & non potius neceſſarium oraculum de Semine Mulieris, contrituro caput ſerpentis? quanquam nec hîc conſpirent Scriptores, aliis aſſerentibus, artes tantum Mathematicas, aliis, Diſciplinas omnes inſculptas fuiſſe hiſce lapidibus? quis credat, unam fuiſſe lateritiam, alteram lapideam, cùm & lateritia in Diluvio potuerit concidere, & lapidea dimoveri, utraque tum in Diluvio, tum in Incendio vel durare vel labefactari. Et num uni eadem an diverſa inſcripta fuerunt? num tantæ capacitatis, ut Diſciplinæ vel unius fundamenta ſufficienter in illis potuerint exhiberi? Lapideam ſuperfuiſſe in Syria dicitur, ſed non probatur. Concedamus verò, aliquid eminuiſſe ex lapide in illâ terrâ, num evictum erit à Setho fuiſſe profectum? & cur quæſo nemini viſa hæc Columna, nullus

locus particularis à Joſepho eidem aſſignatus. Henochum denique ſcripſiſſe, nullo conſtat indicio, prophetaſſe illum refert Judas, verſiculo decimo quarto, à quo ad Scriptionem nulla decurrit conſequentia: ſanè *Eupolemo* & *Artabano* profanis Scriptoribus ſi aſſurgendum, admittendum erit, Moſen literas primùm à ſe inventas tradidiſſe Ægyptiis, unde deinde Phœnices acceperint, à Phœnicibus Græci per Cadmum: videatur *Ludovicus Vives in lib. 18. de Civit. Dei, cap. 39.* Ponamus autem, antè Moſen fuiſſe Literarum uſum, Scripta fuiſſe quædam, Diaria fuiſſe quibusdam, ut vult *Caſpar Sanctius*, Moſen, ut *Don Joſephus Antonius Gonzales de Salas, Eques Hiſpanus*, ſentit, cùm accingeret ſe condendæ Scripturæ, fatiſcentes Characteres, in aptiorem formam & Uſum concinnaſſe, & jure quaſi poſtliminii vindicaſſe, nihil obtinebitur contra Antiquitatem Divini Scriptoris, cùm longè aliud ſit, ante Moſen extitiſſe aliquid ſcripti in Uſum vel Politicum vel œconomicum, aliud, aliquid in Uſum ſacrum. imò, conceſſo etiam hoc poſteriori, aliud pro Eccleſia præſenti illius temporis, aliud pro Eccleſia ad certam gentem reſtringenda, & noviſſimis temporibus toto Orbe dilatanda; nihil ſanè ante Moſen ſcriptum, quod Deus Canonicum eſſe voluerit, quod juſſerit ſcribere, quod Eccleſiæ ſuæ in Regulam fidei & vitæ deſtinarit.

XII. Tertium illud à Præſtantiſſimis Philologis diſcuſſum. Ludibrium certè debent doctis, qui vel Phrygum Linguam cenſuerunt antiquiſſimam, ut *Pſammetichus*, vel Gothicam, ut *Salicæus*, vel Belgicam, ut *Goropius Becanus.* Speciosius agunt, qui vel Phœniciam vel Syram vel etiam græcam præferunt, ſed tamen fruſtra, cum & ſimplicitas, & perfectio, & nominum antiquiſſimorum origines ſtent pro Ebrææ prærogativa: & in hoc quidem argumento conſpirant Judæi, *Rabbi Azarias, Jarchi, Abarbanel,* & Chriſtiani, *Rollocus, Crineſius, Fullerus, Mercerus, Buxtorfius,* & alii.

XIII. Manet itaque fixum. Scripturam Antiquitate præſtare cæteris omnibus, nec opponi poſſe vel inſanam Ægyptiorum Chronologiam, quæ merito Græco *Diodoro* fabuloſa cenſetur lib. 1. Vel fabuloſam Theologiam poëtarum Græcorum, quæ ipſis inter Græcos ſapientioribus debuit impietatis ſuæ ludibrium: vide *Plinium Natur. Hiſt. lib. 2. cap. 7.* & *Luciani Dialogos Deorum.* Con-

certationem Antiquitatis exhibent *Joſephus* Judæus contra *Appionem:* & Apologiæ Patrum contra Gentes pro Religione Chriſtiana.

XIV. Secundum Divinitatis Criterion eſt Materiæ in hoc Codice contentæ & propoſitæ Sublimitas. Sive enim illam conſideres generatim, ſecundum contenta, deprehendes in illa talia, *quæ animalis Hominis captum longè tranſcendunt, & non niſi Spiritualiter dijudicari poſſunt*. 1. Corinth. 2. ℣ſ. 14. ſive ſpectes illam ſecundum Legem & Evangelium, ad quæ omnia referuntur, nil niſi Divinum emicabit. Lex ſanè perfectiſſimum agendorum eſt Compendium, quod ſummam hominis perfectionem requirit, ſummam Sanctitatem exigit, & adimpleta talem ſiſtit, in quo nullus nævus culpari poteſt, quò digitum intendit quidem ipſe Salvator, Matth. 22. ℣ſ. 37. 38. 39. Evangelium Affectum DEI benevolum exhibet, & tantam Myſteriorum ſegetem, quam nullus Intellectus humanus vel invenire vel ſerere potuit, quò reſpexit Paulus, Eph. 3. ℣ſ. 8. 9. 18. 19. ſivè ſpectes ſigillatim Hiſtoriarum ſingularitatem, viſionum varietatem, Typorum ſuavitatem, Promiſſionum & comminationum, Benedictionum & Maledictionum, præmiorum & pœnarum gravitatem, infallibilitatem, æquitatem. vid. Syracidis, cap. 24. ℣ſ. 32. & ſeqq.

XV. Meritò itaque repudiamus illas Pontificiorum recalcitrationes, qui 1. opponunt, non eſſe hoc univerſale per totam Scripturam, quæ multis locis talia Myſteria non tractat, præſertim in V. T. ubi bellorum & præliorum frequens eſt commemoratio. 2. Summa noſtræ fidei Myſteria dici à Luthero abſurda, impoſſibilia, nihil, quî itaq; infallibiliter & neceſſariò Intellectui Divinitatis opinionem de Scripturâ ingenerare poſſint? 3. Multos etiam ex Apocryphis eadem tradere Myſteria, v. g. incarnationis, & Trinitatis, & tamen à nobis negari, eſſe Libros Canonicos, ut evidenter pateat ex Evangelio Bartholomæi, Nicodemi &c.

XVI. Nihil enim contra Veritatem Sophiſmata, utut ſpecie quâdam deformes buccas tegant. Nam 1. à Statu Controverſiæ abluditur: non enim Quæſtio eſt de ſingulis partibus, ſed de toto Corpore Scripturæ: quis autem negabit, in toto illo Syſtemate ſacro, ſicut hâc in parte hoc vel illud Criterion effulget, ita in aliis partibus Myſteria ipſa ſuâ Majeſtate ſe commendare, & Codicis Divinitatem oſtendere? Num quia Sol non ubique eodem gaudet Lucis gradu, partes habet obſcuriores, obſervante *Athanaſio Kirchero*, non ex illuſtrio-

ſtrioribus partibus illius nobis ſufficiens Lumen de Luce inſita admiranda certificans effulget? prodit ſe vita in homine per membra varia variè; in pedibus per locomotivam, in ſtomacho per concoctionem, in ſenſibus & Intellectu per objectorum apprehenſionem & dijudicationem, in Lingua per Sermonem, & ſic in cæteris; ita vis Divina, vita Scripturæ, quam ex Deo habet, hâc in parte per hoc indicium & hoc modo, aliâ per aliud & alio modo ſeſe manifeſtat; Nec obſtant recenſiones Bellorum & præliorum, tum quia illi ipſi Libri præter hæc Myſteriis abundant, ut conſtare poteſt ex Lib. Moſaicis, Joſuæ, Judicum &c. tum quia in illis ipſis bellis & Præliis admiranda Providentiæ Divinæ proponuntur; tum quia quamplurima Typicum, adeòque μυστηριώδες quid continent, operoſè hoc ipſum quandoque Pontificiis Interpretibus etiam in Commentariis, quanquam non ſemper feliciter, oſtendentibus. 2. Obvertitur id, quod pro nobis militat. Si enim ſumma fidei Myſteria abſurda, impoſſibilia, nihil, non itaque à Spiritu humano; ſi hæc Myſteria nihilominus, utut rationi diſſona, cohærent, tot hominum myriades in aſſenſum pertraxerunt, ſimplices & eruditos, altioris erunt ordinis, quàm illa, quæ mens humana elucubrare poteſt; ſi deniq; non infallibiliter & neceſſariò intellectui Divinitatis opinionem de Scripturâ ingenerant præciſè & ſecundum vires naturales relicto, cum tot hominibus non opinionē ſed fidem ingenerarint Divinitatis inſitæ Scripturæ, Comitem habent Spiritum, qui perſuadet, præſidium ab alio, quod Verbo Divino proprium. 3. Myſteria, quæ traduntur in Apocryphis Libris, non niſi ex Scriptura ſunt deſumpta, nec immediatæ revelationis; præterea non ita exhibentur, ut non putamina miſceantur, ex quibus ingenium humanum & fallibilitas Scriptorum facilè deprehenditur; deniq; non fuere iſtiusmodi Scriptores tantæ authoritatis, ut primitiva Eccleſia illos agnoverit pro θεοπνεύστοις, nec deſunt inter plures, qui tales notari exiſtimant à Luca, & inventum illorum improbari, cap. 1. ℣ſ. 1. Bartholomæi & Nicodemi Evangelium etiam ſecundum Pontificios inter ſubventaneos fœtus ſunt referenda, ſanè in poſteriori leguntur nomina Trinitatis & peccati originalis, quæ novitatem Scripti indicant, recenſentur mira de Veronica, Muliere ſcil. illa, quæ ſanguinis fluxum paſſa; de Duna & Geſta Latronibus cum Chriſto crucifixis, de Longino Milite, de Enocho & Elia, tempore Anti-Chriſti venturis, quæ propudioſè fabuloſa.

XVII. Tertius, Character Divinitatis eſt ſtyli & ſermonis ſingularitas. Relucent in hoc Syſtemate Librorum & Simplicitas & Gravitas dictionis, Comitas & Majeſtas, Imperium in ſummos & imos, citra omnem reſpectum perſonarum. Deuter. 17 ℣ſ. 15. 16. lenocinii humani Contemptus, & tale dicendi genus, quod apud nullum Scriptorem profanum reperitur, *fulminibus & tonitruis venerabile*, ut loquitur *Hieronymus*, *vivum & vegetum*, ut docet *Chryſoſtomus*, *attemperatum rerum ſublimitati & hominis infirmitati, per apertiora fami occurrens, per obſcuriora faſtidium detergens*, ut demonſtrat *Auguſtinus Lib. 2. de Doct. Chriſtian.* capit. 6. cujus Verba notatu digna ita ſe habent: *Sed multis & multiplicibus obſcuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt aliud pro alio ſentientes, quibusdam autem locis, quid vel falſo ſuſpicentur, non inveniunt: ita obſcurè quædam dicta denſiſſimam caliginem obducunt. Quod totum proviſum divinitus eſſe non dubito, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio revocandum: cui facilè inveſtigata plerumque vileſcunt. Quid enim eſt quæſo, quod quisquam dicat, ſanctos eſſe homines atq; perfectos, quorum vita & moribus* C*HRISTI* *eccleſia de quibuslibet ſuperſtitionibus præcidit eos, qui ad ſe veniunt, & imitatione bonorum ſibimet quodammodo incorporat: qui boni fideles & veri* D*EI* *ſervi deponentes onera ſeculi ad ſanctum baptiſmi lavacrum venerunt, atq; inde abſcedentes conceptione ſancti Spiritus fructum dant geminæ charitatis. i. e.* D*EI* *& proximi: quid eſt ergo, quàm, ſi hæc quisque dicat, minus delectat audientem, quam ſi ad eundem ſenſum locum illum exponat de canticis canticorum, ubi dictum eſt eccleſiæ, cum tanquam pulchra quædam fœmina laudaretur: Dentes tui ſicut grex detonſarum, aſcendentes de lavacro, quæ omnes geminos creant, & non eſt ſterilis in eis, num aliud homo diſcit, quam cum illud planiſſimis verbis, ſine ſimilitudinis hujusmodi adminiculo, audiret? Et tamen neſcio quomodo ſuavius intueor ſanctos, cum eos quaſi dentes eccleſiæ video præcidere ab erroribus homines, atque in ejus corpus emollita duritia quaſi demerſos manſosque transferre. Oves etiam jucundiſſimè agnoſco detonſas, oneribus ſecularibus tanquam velleribus depoſitis, & aſcendentes de lavacro, i. e. de baptiſmate, creare omnes geminos, duo præcepta dilectionis, & nullam eſſe ab iſto ſancto fructu ſterilem*

video. Sed quare ſuavius videam, quod ſi nulla de divinis libris talis ſimilitudo promeretur, cum res eadem ſit eademque cognitio, difficile eſt dicere, & alia quæſtio eſt. Nunc tamen nemo ambigit, & per ſimilitudines libentius quæque cognoſci, & cum aliqua difficultate quæſita multo gratius inveniri. Qui enim prorſus non inveniunt, quod quærunt, fame laborant. Qui autem non quærunt, quia in promptu habent, faſtidio ſæpè marceſcunt. In utroque autem languor cavendus eſt. Magnificè igitur & ſalubriter Spiritus Sanctus ita ſcripturas ſanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiant.

XVIII. Sed nec hoc indicium videtur curioſis ſatis luculentum, partim quia, licet omnes Sacri Scriptores Spiritu S. impulſi, ſcripſerint tamen non omnes eodem ſtylo, imò neque iidem ſemper eodem ſermonis genere ſint uſi, quod docere poſſit Pauli Epiſtola ad Ebræos, quæ Stylum ab aliis diverſum habeat, Johannis Evangelium, Epiſtolæ & Apocalyſis: partim quia non ex ſermonis ſingularitate Libri Canonici ab Apocryphis unius cujusque ſupercilioſi Critici Cenſura, ſed multò magis Spiritu & ſententia per legitimum Eccleſiæ judicium diſtinguantur: partim quia, ſi ſtyli Majeſtas tàm infallibiliter patefaceret Scripturam, poſſit meritò quæri, cur in Epiſtola Jacobi Stylus Calviniſtis ſit divinus, Lutheranis Apocryphus, & cùm in omni Literatura Criterium à ſtylo lubricum & fallax eſſe ſoleat, quanto magis in Divinis, ubi Spiritus S. loquitur prout vult. Verbum DEI aliquando ſub aſpectum prodire *non in ſublimitate ſermonis vel ſapientiæ.* 1. Corinth. 2. *v*ſ. 10. *non in Sapientia Verbi*. 1. Cor. 1. *ſed in Sermone contemptibili.* 2. Cor. 10. eſſe, qui ob ſolam concinnitatem ſtyli rejiciant Librum Sapientiæ è Libris Divinis.

XIX. Fruſtra autem hæc opponuntur. Nam 1. in ipſa Styli diverſitate Uniformis relucet Majeſtas, quæ totum Corpus Doctrinæ ſacræ exornat. Emineat Eſaias dicendi Majeſtate, num propterea inferior illo erit Amos, qui pollet reprehenſionum Legalium gravitate? ubique nitet Divinum quid, Eloquentiam Demoſthenis & Ciceronis longè poſt ſe relinquens; gaudeat alio dictionis genere Epiſtola ad Ebræos, quàm cæteræ electi Organi, num non & illud ipſum

Divini-

Divinitatis quoddam exhibet indicium; clariore quidem & ſplendidiore, obſervante *Flaccio*, uſus eſt in illa Phraſi, Divina tamen, & non absque cauſa, quia hanc Epiſtolam exaravit non ad unam Eccleſiam, aut perſonam, ut cæteras, ſed ad totam gentem Ebræorum, tunc per Orbem diſperſam. Illuſtrius quippe loquendi genus adhibemus, cum coram frequentiori Auditorio dicendum. Ubique autem Paulus ita loquitur, ut *nullam in ipſo Platone ſimilem grandiloquentiam, quoties libuit illi Myſteria detonare, nullam in Demoſthene parem* δεινότητα, *quoties animos vel motu judicii Divini perterreſacere; vel commonefacere, vel ad contemplandam* D E I *Bonitatem attrahere, vel ad pietatis & miſericordiæ officia conſtituit adhortari*, comperiſſe ſeſe fateatur *Chryſoſtomus*. Johannis Evangelium, Epiſtolæ & Apocalypſis, ut à cæteris ſcriptis aliqua ratione & à ſeipſis differre non negamus, ita hoc ex argumento, cui ſtylus attemperatur: Evangelium Sublimitatem Divinitatis Meſſianæ verbis convenientibus, Epiſtolæ Charitatis fomenta, dictionis ſuavitate, Apocalypſis fatorum Eccleſiæ profunditatem, charactere Prophetis familiari exponit, nullibi absque Divinitatis nota: &, ut non obſtitit ſermoni Apoſtolorum Divino, quod alii aliter locuti ſunt, & magnalia D E I enunciarunt: Johannes & Jacobus *Filii* ideò *tonitrui* dicti à Chriſto Marc. 3. ℣. 17. ita non obeſt illa varietas ſpecialis Divinæ ſingularitati, quam in ſtylo habent communem θεόπνευστι. 2. Stylum eſſe indicium aliquod, etiam in profanis authoribus de qualitate Scriptionis nos informans, nemo ſanus negabit; quî itaque non in Divinis, in illis, qui planè alio dicendi genere uſi: ſi non ex ſingularitate ſermonis Libri Apocryphi à Canonicis diſtinguuntur ſuperciliosi Critici uniuscujusque cenſura, ſed multò magis Spiritu & Sententia per legitimum Eccleſiæ Judicium; Ergò diſtinguuntur, utut non uniuscujusque ſuperciliosi Critici cenſura; ergò ſtylus eſt indicium Divinitatis diſcernens Apocryphos & Canonicos. Si denique Eccleſia diſtinguit Libros Canonicos & Apocryphos, aut diſtinguit inter illos ex Authoritate aut ex indiciis: ſi prius, ſumit ſibi, quod non competit, cenſuram exerit in id, quod ſupra eam, irrationabiliter agit, & brutificare intendit: ſi poſterius, etiam ſtylus erit indicium, quo Eccleſia Divinitatem Librorum ſacrorum & diverſitatem ab Apocryphis oſtendit. 3. Ineptè opponitur, ſtylum in Epiſt. Jacobi eſſe Calviniſtis Divinum, Lutheranis Apocryphum: num

enim

enim Lutherani non agnoſcunt Divinitatem hujus Epiſtolæ quoad rem & verba. Si ad Lutherum digitus intendatur, num ἀκρισία emergentis è Papatu opponenda nativæ indoli Epiſtolæ? Vitium in Intellectu Luminibus verborum, quæ in hac Epiſtola renident? pronuntiatum qualecunque Judicio probè confirmato? Ipſe Lutherus ita concludit: *non impedio, quo minus alii hanc Epiſtolam tanti faciant, quanti volunt:* à ſtylo petitum Criterium eſſe fallax & lubricum in omni Literatura, vix admitti poteſt, inprimis ſi alia quoque adhibeantur, quæ occurrunt. Spiritus etiam loquitur ut vult, ſed ita tamen, ut ubique loquatur divino modo & ſermone, qui Spiritum prodit, nec, ſi à ſe removit ſublimitatem ſermonis Paulus vel ſapientiæ profanæ, qualem Eloquentiam affectabant Oratores Corinthii, qualem Sapientiam crepabant Philoſophi illius Urbis, derogavit ſibi ſtyli ſingularitatem Divini, ſed fortiter aſſeruit eodem cap. ℣ſ. 4. & 12. 13. *Sapientiam Verbi.* 1. Corinth. 1. calamiſtratam ſcilicet Elegantiam ſtyli negavit, non Eloquentiam, quæ θεοπνεύστως decet, quam *Auguſt.* in illo agnovit. *Lib. 4. de Doct. Chriſt. cap.* 2. *&* 20. atque ex Rom. 8. ℣ſ. 33. 2. Corinth. 6. ℣ſ. 4. luculenter oſtendit: & num non eo ipſo loco allegato ex 2. Corinth. 10. Adverſariorum etiam teſtimonio Epiſtolæ Paulinæ fuerunt graves Majeſtate & pondere, & fortes vi atque Efficacia ſingulari, tonantes minis, fulminantes pœnis. Styli concinnitas & ſingularitas differunt, nec ex illo Capite principaliter Liber ille Sapientiæ è numero Canonicorum fuit excluſus, ſed partim, quia falſa quædam prodit & aſyſtata cum verâ Hiſtoria, & ſtatu Salomonis; partim quia græco conſignatus eſt idiomate, cum Libri V. T. non niſi Ebræo fuerint exarati; partim quia, ut notavit *Hieronymus*, *affectatum dicendi genus Author adhibuit*, de quo videatur laudati Patris præfatio illi Libro præfixa.

XX. Quartum eſt Παναρμονία ſive Conſenſus Scripturæ admirandus. Conſpirant omnia in hoc Corpore, concinunt cuncta longè ſuavius, quàm in quocunque Organo Muſico ſoni diverſi. Liber V. T. ejusdem Oëconomiæ reſpondet. Scripta N. T. cum ſcriptis V. T. ita conveniunt, ut nulla in tota compage poſſit oſtendi Contradictio; unde Zacharias eò reſpexiſſe creditur, dicendo: locutum DEUM eſſe *per os*, non ora, *Prophetarum.* Luc. 1. ℣ſ. 70. Paulus Scripturam V. T. exhibens ſub ratione unius non plurium Librorum Ebr. 10. ℣ſ. 7. nec ſive ad doctrinam attendas, diverſitas eſt in

diverſis Libris, vel ad Hiſtoriam, quod non rei Veritati & aliorum Librorum dictis conſentiat.

XXI. Miſſos itaque facimus Pontificios, qui hic quoque negotium nobis faceſſunt, cauſando. 1. Si quoad Verba Scripturam ſpectemus, ſæpius in ſpeciem illam ſibi contradicere, quàm contradicendi conſuetudinem jam olim Manichæi objecerint Scripturæ, aliique hæretici, & ejusmodi contradictiones in ſpeciem collegiſſe quoque *Becanum* de Judice controverſiarum, quæ antilogiæ ſine judicio Eccleſiæ in æternum non conciliandæ. 2. Si tam manifeſtus ſit Scripturæ conſenſus, cur Theologi ejusdem etiam Religionis tam acriter de uno vel altero puncto illius digladientur. 3. Etiam in profano Libro mirificum poſſe eſſe doctrinæ Concentum omnium Partium.

XXII. Primò enim à ſtatu controverſiæ receditur. Quæſtio eſt de veræ contradictionis abſentiâ. Quam ſtolidum itaque opponere præſentiam contradictionum apparentium? num enim hæc oppoſita? num hæc ſimul conſiſtere nequeunt, Harmonia ſcil. & apparens contradictio? an non eo ipſo, quo contradictiones Scripturæ dicuntur apparentes, negantur eſſe veræ? Manichæi Scripturæ conſuetudinem contradicendi objecerunt cum cæteris hæreticis, quia noctuæ ad Solem caligarunt, & propter præjudicia mentis corruptæ non potuerunt diſcernere inter tenebras & lucem, nebula involuti penetrare nobile verum. Ille ipſe *Becanus*, qui tot contradictiones apparentes collegit, conſenſum Scripturæ integro Libro ſtabilivit, & in Lib. de Analogia V. & N. T. ſuffixo operibus ſuis denuò recuſis, nihil aliud egit, quàm quod aliàs decet Theologum, Principii Divini tenacem, oſtendendo conſpiraſſe omnia, quæ in V. T. Libris prodita, cum illis, quæ in N. T. Scriptis expoſita, patuiſſe in Novo, quod latuit in Veteri, reſpondiſſe Umbræ corpus, Typis veritatem. Conceſſo verò, illam Contradictionum apparentium nubem non poſſe diſſipari, niſi ab Eccleſia, vel illis, quibus oculi ſunt illuminati, adeòque potentes diſcernere nigrum & album, verum & falſum: manet tamen Harmoniam illam eſſe indicium Divinitatis, Scripturæ inſitum, utut ad oſtendendam illam concurrat Miniſterium Eccleſiæ: intercedant illi, qui loca in ſpeciem contraria conciliare poſſunt. 2. Fingamus, ut quidem Pontificii volunt & opponunt, in profano aliquo Libro mirificum Doctrinæ concentum in omnibus partibus; num propterea impoſſibile, ut non legétes illum

in

in uno aut altero diſſentiant? ſanè qui hoc negat, negat id, quod in Solis menſa poſitum: audiantur vel ſoli interpretes Ariſtotelis, etiam circa unicum aliquem Librum occupati, in quo nulla, ſi ex mente Authoris exponatur, diſſonantia, & patebit, quantumcunque Author non fuerit diviſus à ſe, tamen diverſos trahi in ſenſus, ab illis, qui diverſis agitantur opinionibus. Si diſſentiant Theologi in aliquo Religionis negotio, non id obeſt conſenſui Scriptorum ſacrorum, qui in ſe conſtans eſt & ſemper permanet, ſed vitium eſt in illorum mente, quæ vel non attendit ſufficienter, vel occupata putat ſe videre, quod non videt, vel aliâ parte laborat, illâ, quæ attendit, ſimpliciter adhæret verbis, in ſenſus indagine prævalente. Sunt duo vel plures, qui inſtrumentum audiunt Muſicum, imbiberunt etiam quasdam cantilenas diverſas, vel ſacras vel profanas, poteſt fieri, ut alius exiſtimet, modulos Muſicos referre cantilenam hanc, alius aliam, cùm tamen non niſi unam reſonet, quam uberior attentio deprehendit. 3. Ponamus in profano Libro mirificum Doctrinæ concentum omnium partium, non tamen obſtabit huic Divinitatis indicio. Concentu enim nitimur tot diverſorum hominum, diverſis linguis utentium, diverſis in locis, diverſis temporibus, diverſis occaſionibus, diverſos ad populos ſcribentium, materiam non rationi perviam, ſed humanam mentem longiſſimè tranſcendentem pertractantium: ad quem conſenſus unius Libri gutta ad Oceanum. Falſum præterea, tam mirificum conſenſum in profano Libro poſſe oſtendi. producantur tales, & de illis diſpiciemus: ſanè non tantùm Scriptura docet, *omnem hominem eſſe mendacem*, Pſalm. 116. ſed & ipſa Experientia docet, quæ ab humano ingenio profecta, manu noſtra, non cohærere, ſed redolere ſuam originem: num verò non obloquuntur, qui ita cornicantur, Patrum doctiſſimo, *Auguſtino, Lib. 8. de Civit.* DEI, *cap. 14.* graviter ſcribenti: *Quis duos aut tres inveniet, qui labore literario monumenta ſuorum Dogmatum reliquerunt, tanquam ex ſuo ingenio, inter quos cuncta, quæ ſenſere, conveniant? Quanta enim eſt concertatio, & repugnantia ſumma inter Philoſophos? Alii aſſerebant unum, alii plures mundos: ipſumq; unum, alii ortum eſſe, alii ortum non habere: alii interiturum, alii ſemper futurum: alii nutu divino, alii fortuitò & caſibus agi dicebant. Alii rurſum immortales eſſe animas, affirmabant, alii mortales: & qui immortales, alii, revolvi in beſtias, alii nequaquam. Qui vero*

mortales, alii morte interire poſt corpus, alii vivere etiam poſtea, vel paululùm, vel diutius, non tamen ſemper. Sic alii ſummum bonum conſtituebant in corpore, alii in anima, alii in utroque, alii etiam extrinſecus poſita bona ad animam & corpus addebant. Similiter, alii non ſemper, alii nunquam credendum putabant. Has & alias penè innumerabiles diſſenſiones Philoſophorum, ait, quis unquam populus, quis ſenatus, quæ poteſtas, vel dignitas publica terrenæ civitatis, dijudicandas, & alias probandas ac recipiendas, alias improbandas repudiandasq́; curavit? ac non paſſim ſine ullo indicio confuſeque in gremio ſuo habuit tot controverſias hominum diſſidentium, non de agris & domibus, vel quacunque pecuniaria ratione, ſed de his rebus, quibus aut miſerè vivitur aut beatè?

XXIII. Præluſit *Dionyſius Areopagita*, vel quicunque alius ſub nomine illius ſcribens: *Hos libros qui ſanctè legerit, in eis unam atque uniusmodi conſenſionem, & quaſi conſpirationem animadvertet, ut quæ profecta ſunt ab uno divinoq́; ſpiritu. Hinc rectè in mundo poſt antiquiorem illam traditionem,* μετὰ τὴν ἀρχαιοτέραν παράδοσιν, *Novum Teſtamentum prædicatur, hoc, ut opinor, divino & hierarchico ordine declarante, vetus quidem Teſtamentum divina* JESU *opera dixiſſe, novum autem perfeciſſe. Atq́; illud quidem in figuris deſcripſiſſe & adumbraſſe, hoc autem præſentem monſtraſſe veritatem, præſertim cum & illius prædictionis veritatem hujus effectio confirmaverit, & divinorum verborum divina facta ſint ſumma.*

XXIV. Succedat *Origenes*, qui *libro* 4. περὶ ἀρχῶν hæc habet: *Si in omnibus hiſtoriæ libris fuiſſet conſequentia cuſtodita, & ordo ſervatus, habentes continuatum intelligentiæ curſum, non utique crederemus, eſſe aliquid in Scripturis ſanctis intrinſecus, præter hoc, quod prima fronte indicatur, incluſum. Iſta de cauſâ procuravit divina Sapientia offendicula quædam, vel intercapedines intelligentiæ fieri hiſtorialis: impoſſibilia quædam vel inconvenientia per medium inſerendo, ut interruptio ipſa narrationis, velut obicibus quibusdam legenti reſiſtat objectis, quibus intelligentiæ hujus vulgaris iter, ac tranſitum neget, & excluſos nos revocet ad alterius initium viæ: ut ita celſioris cujusdam, & eminentioris tramitis, per anguſti callis ingreſſum, immenſam divinæ ſcientiæ latitudinem pandat.*

XXV. Conſimilia legimus in *Chryſoſtomo* homilia in Mat-

thæum

thæum ita differente: *Hoc ipſum maximum eſt teſtimonium veritatis. Si enim ex toto, & in omnibus conſonarent, & cum nimia diligentia, & cura; atq; ad tempora, ac loca omnia uſque ad ſingula æqualiter verba concurrerent, nemo inimicus crediviſſet unquam, quin illi communi ad decipiendum conſilio congregati, quaſi ex humana quadam conſpiratione Evangelium condidiſſent: non enim ſimplicitatis fuiſſe tam ſolicitam conſonantiam judicarent. Nunc vero, quæ videtur in rebus exiguis diſſonantia, ab omni illos ſuſpicione defendit, & ſatis clarè ſcribentium exiſtimationem tuetur.*

XXVI. Conſpirat *Johann. Damaſcenus*, qui ſcribit: *Unus & idem* Deus, *quem tum vetus, quum Novum Teſtamentum, prædicat; quique in Trinitate laudatur & celebratur. Hæc quippe Domini vox eſt. Non veni ſolvere legem, ſed implere. Ipſe enim ſalutis noſtræ, cujus cauſa omnis Scriptura, atque omne myſterium extitit, negotium egit. Ac rurſus: ſcrutamini Scripturas, &c. Atque etiam Apoſtoli verba hæc ſunt: Multifariam multisque modis, &c. Quocirca, per Spiritum Sanctum & lex, & Prophetæ, & Evangeliſtæ, & Apoſtoli, & Paſtores, & Doctores verba fecerunt. Ex quo fit, ut tota divinitus inſpirata Scriptura, procul dubio utilis ſit. At proinde nihil præclarius, nihil animarum ſaluti conducibilius, quàm divinas Scripturas perſcrutari. Quemadmodum enim lignum plantatum ſecus decurſus aquarum: ita etiam anima divinæ Scripturæ fluentis irrigata ſaginatur, fructumq; tempeſtivum, hoc eſt rectam fidem, profert; ac perpetuò virentibus foliis, id eſt* Deo *gratis actionibus, exornatur.*

XXVII. Tandem *Petrus Cluniacenſis* concludit hoc modo: *Evangelium toti veteri inſtrumento teſtimonium dat, & ejus inſuper authoritatibus, ea ipſa, quæ prædicat, confirmat. Nonne* Christus *in Evangelio authoritatem V. Teſt. ſuâ authoritate firmavit, quando poſt reſurrectionem diſcipulis omnibus apparens, dixit, oportebat omnia impleri, &c. Nonne eadem indiſſolubili vinculo confirmavit, quando iisdem diſcipulis in Emaus euntibus, dixit: O Stulti & tardi corde, &c. Et quid ultra exigitis? an non ſufficit vobis tanta tamq; præclara authoritas, quà Chriſtus legi Moyſi, quà Prophetis, quà Pſalmis, non confusè ſed diſtinctè teſtimonium perhibuit: quando primò legis, deinde Prophetiarum, ad ultimum Pſalmorum de ſe & in ſe impleri importuiſſe docuit.*

XXVIII. Addimus non tantum Conſenſum ſacrorum Scriptorum inter ſe, ſed & cum profanis, in quantum aliquæ adhuc ſtricturæ veritatis inter illos, obſervatum á noſtris: Creationis meminit *Ovid. lib. 1. metamorph.* longævitatis patrum in mundo primigenio *Manethon Ægyptius*, *Beroſus Chaldæus*, allegante *Joſepho* & aliis. Diluvii, *Beroſus* & alii, quorum verba *Joſephus* lib. 1. antiq. cap. 4. recenſet. *Noæ* (quem volunt bifrontem *Janum*) & filiorum ejus, *Beroſus*, *Herodotus*,& alii. Turris Babylonicæ & ſubſecutæ confuſionis linguarum, *Ber. lib. 4.* Excidii Sodomitici ſeu lacus Aſphaltitis, *Plin. lib. 5. cap. 15. 16. Juſt. lib. 36.* Abrahami, *Beroſus*, *Hecatæus*: circumciſionis, *Herod.* l. 2. *Strabo* 16 lib. *Diodor. Sicul. Cornelius Tacit.* lib. 2. Iſraëlis, Judæ, & Joſephi, *Juſtin.* lib. 36. Moſis, *Juſtin. ibidem: Cornel. Tacit. Diodor. Sicul. Trebellius in vita Claudii*, *Strabo* lib. 16. Introductionis populi Iſraëlitici in terram Canaan, *Procopius lib. 4. de bello Wandal. Strabo lib. 16.* Salomonis, *Dionyſ. Caſſius Nicæus.* Stragis Sennacheribicæ, *Herodot. lib. 2.* Meſſiæ Regis è Judæis prodituri, *Sueton. in vita Veſpaſiani*, *Suidas* & alii Infanticidii Herodis, *Macrobius*: Crucifixionis, *Cornelius Tacitus*, præternaturalis eclypſeos, quæ Chriſto in cruce expirante viſa eſt, *Dionyſ. Areopagita, & Phlegon, Olympiadum ſupputator*, referente *Euſebio*. De quo tamen quid ſentiendum, in ipſo conflictu aperiemus, & in ſequentibus dabitur de illo diſſerendi Occaſio.

DISPUTATIO DECIMA QUARTA
De
SCRIPTURÆ DIVINITATE,

THESIS XXIX.

SUbmittimus quintam notam, Vaticiniorum ſcil. Profunditatem. Inveniuntur in Scriptura oracula & prædictiones Propheticæ atque Apoſtolicæ de rebus maximis, nullius creaturæ perveſtigationi expoſitis, longiſſimo tempore antè promulgatæ, & poſtea eventu certiſſimo comprobatæ, quæ non niſi omniſcii Numinis indicium, ad hoc ipſum provocantis, Eſa. 41. ỳſ. 22 23 26.

cap.

cap. 43. ℣ſ 9. Relucet in illa Vaticinium de Semine Mulieris contrituro caput Serpentis, Gen. 3. tot ſeculis intercedentibus completum. Prædictio Cataclyſmi, annis centum viginti antè, quàm Mundus eo perderetur, à Noacho, Gen. 6. Annunciatio deſcenſus Poſteritatis Abrahamiticæ in Ægyptum, & Servitutis in ea, nec non Liberationis poſt annos quadringentos demum futuræ. Gen. 15. Definitio annorum ſterilitatis & ubertatis à Joſepho facta. Gen. 41. Venturi Meſſiæ, ablato Sceptro, & terræ Sanctæ in poſteritatem Diſtributionis, Lux Sereniſſima in annoſo Sene Jacobo, Gen. 49. Oraculum Joſuæ maledicentis familiæ reſtauraturi mœnia Jerichuntis, quinto & amplius poſt ſæculo ſub Achabo adimpletum. Manifeſtatio Nominum, Joſiæ, ante Ortum illius Regis, poſt tria ſecula demum nati. 1. Reg. 13. ℣ſ. 2. Cyri, poſt centum annos in Lucem prodituri, Babylonios ſubacturi, Judæis Libertatem remeandi in terram Patriam conceſſuri. *Eſa.* 44. & 43. Vaticinium de famis tempore, per Eliam 1. Reg. 17. de periodo Samariæ, per Eſaiam. cap. 7. de termino μετοικεσίας & captivitatis Babylonicæ annis 70. definito, per Jeremiam cap. 29. De vaſtitate Ægypti deſitura poſt 40. annos, per Ezechielem cap. 29. de ſucceſſione ſummorum Imperiorum, & Ordine Monarchiæ Babylonicæ, Perſicæ, Græcæ & Romanæ, per Danielem cap. 2. & 7. nec non Tyrannide Antiochi, cap. 11. de Meſſia trucidando, ſuſcitando, exaltando, cap. 9. collato cum Eſa. cap. 53. ſummatim omnium Prophetarum de Meſſia & vocatione Gentium dicta, ad quæ revocat Petrus Actor. 3. ℣ſ. 22. 23 24. & cap. 10. ℣ſ. 43. In Libris N. T. occurrunt Prædictiones Chriſti de Effuſione Spiritus S. in Apoſtolos, Exitio gentis Judaicæ, diffuſione Evangelii per Orbem, Calamitatibus ultimorum Temporum, exactè eventu comprobatæ, Apoſtolorum, de ciborum diſcrimine, conjugii contemptu, Anti-Chriſti ortu, qualitate, actionibus, loco, retentione, fatis Eccleſiæ, usque ad Cœleſtis Hieroſolymæ deſcenſum, Veritatis Meridie illuſtratæ, de quibus videndæ Epiſtolæ Pauli, & maximè Apocalypſis Theologi.

XXX. Non obſtat, quod Profani reponunt, habuiſſe etiam Gentiliſmum ſua Oracula, Hammonium, & Dodonæum, & Pythium, præ cæteris celebria fuiſſe, Æſculapium apud Epidaurios, Podalyrium apud Daunios, Amphiaraum in Oropo, Trophonium in Bœotia, Orpheum in Lesbo, Mopſum apud Argonautas, Megiſtiam apud Spartanos, Apollonium Thyanæum apud Epheſios, Helenum

num & Lycaona apud Trojanos, Calchantem apud Agamemnonem, Tireſiam apud Thebanos, Aruus apud Thuſcos, Muſæum & Amphionem apud Athenienſes, Olenum, Calenum & Spurinam apud Romanos, Druidas apud Gallos, Gymnoſophiſtas apud Indos, Caraibes adhuc apud Braſilienes, Caliphas apud Turcas: fuiſſe prodita Vaticinia de Gyge, de Philippo Macedone, de Cypſelo & Attalo, & alia de bellis & victoriis quam plurima: Secundo, quod *Porphyrius* maximè contra Danielem excepit, nempe *non eſſe genuinum illius Scriptum, auctorem ſub Antiocho vixiſſe, neq; tam prædixiſſe futura, quàm præterita recitaſſe.* Quod tertiò *Jodocus Kedd* in Theatrum producit *Sybillas, quarum Libri pro divinis agnoſcendi, ſi vaticinia prodant Numen Omniſcium, Libri alicujus Authoritatem Divinam aſſerant vel ſtabiliant, cùm & illi iſtiusmodi vaticiniis ſint referti,* quem Socii juvant quærendo, unde conſtet Vaticinium illud Eſaiæ de Virgine conceptura Filium eſſe infallibiliter impletum, *non ex V. T. quia eo tempore nondum impletum, non ex ſolo Novo, unde enim conſtet Novum Teſtamentum, quod Oracula Prophetarum impleta teſtatur, eſſe divinum? Eccleſiam præterea, antequam extaret ulla Litera N. T. infallibiter cognoviſſe & credidiſſe hoc Vaticinium, & hanc Veritatem etiam per vocalem traditionem ad nos usq; propagaſſe: igitur, licet omni Scriptura careremus, tamen nos ejus rei non ignaros fore. Deinde hæc ipſa Scripta N. T. certò non cognoſcenda Canonica, niſi ab Eccleſia fuiſſent recepta & approbata. Si enim aliquis neget Evangelium Matthæi, Lucæ, Johannis, eſſe illa eadem, quæ revera ab iſtis Scriptoribus olim fuerint literis conſignata, & dicat, illa periiſſe, & alia in locum ipſorum cum eorum Nomine ſubſtituta eſſe, non niſi ad Eccleſiæ teſtificationem eſſe refugium, ad quam etiam Auguſtinus provocarit Lib. 32. contra Fauſtum.*

XXXI. Nam 1. non, ſi ſimia edit actiones humanis ſimiles, ceſſant actiones Humanæ eſſe indicium rationis, infallibile humanæ naturæ documentum, nec Spiritus tenebrarum affectaſſet prædictionem futurorum, niſi illam Argumentum Divinitatis, quàm ſibi ita conciliare ſtuduit, ſecundum communem notionem ſuppoſuiſſet; opus itaque tantum diſcerniculo, nec ſe ita tegere poteſt Sathan, quin non ex parte pateſcat. Oracula quidem in Gentiliſmo ad Divina comparata vaneſcunt. Nam Hammonium non tam Verbis,

quàm

quàm nutu & ſignis ſuboſcuris reſpondebat, apud ipſos Romanos propterea, teſte *Strabone*, poſtpoſitum aliis Divinationum generibus, ex avibus, extis & ſimilibus; infami mendacio ſe proſtituit, Alexandrum filium Jovis nuncupando, quem ex Philippo genitum fuiſſe tota Græcia novit: ex Idolo horrendo quærentes decepit. Donæum in Epiro ad quercus & arbores, ad columbas & lebetes remiſit, ex quibus facilè conſtare poteſt, quantæ fuerit Majeſtatis. Pythium ex capris laſcivientibus evaluit, mulieribus inſanis imbecillioris ſexus miniſtris Myſteria ſua propalavit, & ab hominibus fuit coercitum, vi & minis ad reſponſa compulſum: Pythia enim nolente reſpondere Herculi, Cortina rapta, vel tandem vocalis eſſe cœpit coacta: & ſic de cæteris, de quibus obſervant Hiſtorici, quòd plerunque exili voce vel ſono reſponſa dederint, ut gracilitate vocis ſubveniretur mendaciorum fœditati. Fuiſſe Vates in Gentiliſmo, & adhuc inter Barbaros, evidens eſt, ſed qui prædixerint aliquot poſt ſæcula futura, nulli oſtendi poſſunt, qui vaticinati mente placida & cum ſenſu rerum futurarum, quas pandebant, nulli demonſtrari poſſunt, mente enim abrepti loquebantur; unde Plato μαντείαν vult dictam quaſi μανίαν: qui vera ſemper clara & certa ediderint, nulli inveniri poſſunt, etiam ſi in medio die Lucerna illos quæſiveris luminoſa. Vaticinia, ſi quæ edita fuerunt vel ab Oraculis vel illorum miniſtris, vel ab aliis quibuscunque, laborarunt vel falſitate, vel ambiguitate, vel alio vitio, & , ipſis gentilibus fatentibus, fuerunt *tacitæ ſortes ambage malignæ.* Apollo ipſis Ethnicis dictus eſt λοξίας, quaſi λοξὸς obliquus & diſtortus. Pythia dicta fuit φιλιππίζειν: Oraculum Athenienſibus, exercitum in Siciliam miſſuris, imperavit adhibere Sacerdotem Heſychiam, quo ſignificavit, ut quieſcerent, cùm illi ſoliciti eſſent de Sacerdote tali, qui Reſponſa daret, & , quid agendum eſſet, ſignificaret; Græcos & Italos veteres Saturnalia celebraturos juſſit adhibere φῶτ, quæ vox cùm hominem & cereum ſignificet, illi mactarunt hominem, cùm Diabolus vellet cereum, vel potius, ut illi ambiguitate deluſi ad crudelitatem animarentur. Diocletiano à Druide Gallicano dictum, Imperator eris, ſi Aprum occideris, quem ille in ſylvis quæſivit, cùm ageret in Aula: adde reſponſa Crœſo data: quam itaque abludant à Majeſtate, quanta involuta ſint ambiguitate, quanta vafritie, & decipiendi miſeros homines arte, nulli non obſcurum eſſe poteſt. Unde *Cicero lib. 2. de Divi-*

natione, *jam ad Te*, inquit, *venio*, *Sancte Apollo*; *Tuis oraculis Chryſippus totum volumen implevit*, *partim falſis*, *ut ego opinor*, *partim caſu veris*, *ut ſit in omni Oratione ſæpiſſimè*, *partim flexiloquis & obſcuris*, *ut Interpres egeat Interprete*, *ſors ipſa referenda ſit ad ſortes*, *partim ambiguis*, *& quæ ad Dialecticam referenda.* Et quid omne illud Umbrarum genus, quod Sole orto justitiæ coactum eſt expirare, vaneſcere, non ſine inſigni Vanitatis documento? *ex quo enim* D E U S *humanos induit artus*, *Delphica damnatis tacuerunt ſortibus Antra*, de quo videri poteſt *Oratio noſtra de Oraculorum Silentio*, ubi prolixius hoc argumentum pertractavimus. 3 Quæ *Porphyrius* oppoſuit Danieli, apertè falſa ſunt, nam non tantùm ea habet, quæ ſub Antiocho ſuſtinenda, ſed & quæ ſeris temporibus implenda; prædixit ille Excidium Meſſiæ, abominationem deſolationis, & Romani Exercitus Hieroſolymam cingentis figuram exhibuit, cap. 9. à Judæis in Canone fuit agnitus, religioſiſſimis circa libros ſacros: ipſi Alexandro Magno à Sacerdotibus Vaticinia fuerunt oſtenſa de victoria adverſus Perſas, Pellæi Juvenis de ſucceſſibus contra grande Imperium. Retudit hanc audaciam *Euſebius Cæſareenſis Epiſcopus* tribus voluminibus, *Apollinarius* magno libro, & ante hos ex parte *Methodius*, nec non *Hieronymus* in præfatione ad Danielem. 2. Sibyllæ Argumentum noſtrum non concutiunt: partim quia, ſecundum quoſdam, liquidò demonſtrari nequit, tales, ut quidem deſcribuntur, extitiſſe; partim, quia, ſi admittatur, non tantùm fuiſſe in rerum natura, ſed & vaticinitas eſſe, de Meſſia tamen Oracula prodidiſſe, nondum erit evidens; partim quia illa Vaticinia, quæ circumferuntur græcè & latinè edita, & in manibus noſtris verſantur, ad quæ quidem Adverſarii provocant, manifeſtè ſunt ſuppoſititia, utpote longè illuſtriora Prophetarum divinitus inſpiratorum prædictionibus, & longè poſt adventum Domini conſcripta: unde etiam *Jacobus Capellus* in eam deſcendit ſententiam, poſt quam Errores in Verbis, fabulas in rebus oſtendiſſet, à *Montano*, vel Prophetiſſarum illius aliquâ tempore *Antonini Pii* hæc fuiſſe procuſa, tùm quia *Montanus* ſe Prophetam mentitus fuerit, tùm quia *Phryx*, Author autem hic Phrygiam plurimùm laudet, & primam ex aquis emerſiſſe fabuletur, tùm quia Nomen D E I circumloquatur, Numero 1697. nomen Ἰησοῦς, Numero 888. Poſito autem, Sybillas vaticinatas de Chriſto, admittenda eſſe ea, quæ ipſis adſcri-

adſcribuntur, nihilominus non labaſcet noſtrum iudicium, niſi demonſtretur, illâs hæc non aliunde habuiſſe, non facem prætuliſſe ipſis Biblia, quæ Eccleſiæ Cimelium, vel ab illis ipſis lecta, vel per converſationem cum Ebræis quoad materialia communicata, vel à Majoribus ſubminiſtrata: adeòque manebit hoc Axioma Scripturæ proprium, quæ etiam non prævia ſuppoſitione factæ Revelationis radicaliter & originariè Vaticinia exhibet & proponit. 3. Non facit ad rem quæſtio de teſtimonio Eſaiano, unde conſtet eſſe infallibiliter impletum? abludit enim à ſtatu controverſiæ: de toto Syſtemate Librorum Biblicorum diſputatur, unde conſtet illud eſſe Divinum, ubi meritò urgentur vaticinia, quia non unum & alterum tantùm in illo renidet, ſed iiſdem illud abundat: ponamus itaque alicujus Vaticinii complementum non poſſe conſtare vel ex V. T. Libris, vel ex N. T. ex conditione Materiæ, quia eſt de re ſenſibus non obvia, quale quid nativitas ex incorrupta Virgine: num propterea aliorum Vaticiniorum veritas non faciet pro Divinitate Codicis ſacri, quorum complementum non tantùm aperuit N. T. Librorum Teſtimonium, ſed etiam ipſa rerum Meridies Experientia? qualia jam ſupra produximus de Joſia, de Cyro, & de ipſo Meſſia, ablato Sceptro Judaico naſcendo. Secundò utique conſtat impletum hoc eſſe Vaticinium Eſaianum ex N. T. Matth. 1. v͏ſ. 23. Poſito autem nec ex ſolo V. T. nec ex ſolo N. T. poſſe haberi hujus Vaticinii certitudinem, tamen ex collatione utriusque facilè innoteſcere potuit illa, quia in V. T. editum fuit illud ut implendum, in N. T. Libris autem habetur factum & complementum: in V. T. poterat cognoſci, ut infallibiliter complendum ex conſenſu ſubſequentium Prophetarum idem intimantium, ex complemento Vaticiniorum, quæ illi de alio aliquo publicabant argumento, e. gr. captivitate Babylonica ſolvenda poſt LXX. Hebdomadum decurſum ipſo facto deprehenſâ, quo reſpexit Jeremias cap. 28. v͏ſ. 9. In N. verò T. completum deprehendi potuit, quia cætera prædicta completa, & illa ipſa utriusque collatio vaticinium & Eventum oſtendit. 3. Si Vaticinium hoc de filio Virginis accipiatur aſſociatis cæteris de hoc Argumento agentibus, & circumſtantias temporis, loci & cæteras deſignantibus, quis negabit ex comparatione prædictorum, & in N. T. Libris notatorum Veritatem eluceſcere? cùm iſtiusmodi circumſtantias nec negare poſſint etiam illi, qui Scripturæ Divinitatem vel non

admittunt, vel etiam impugnant. Fruſtra regeritur, unde ſcis N. T. quod Oracula Prophetarum impleta teſtatur, eſſe Divinum? quia præter illum Conſenſum cum veteri gaudet ſuis quoque criteriis, & quidem hoc ipſo quoque, nempe Vaticiniorum Majeſtate, quæ, qui in poſtremis ſæculis vivimus, Experientia didicimus, eſſe impleta. Eccleſiam, antequam extaret ulla Litera N. T. infallibiliter cognoviſſe & crediſſe hoc vaticinium largimur, num verò complementi acceſſio non magis illuſtravit, & ita Divinitatem Scripturæ comprobavit, & ex eventu Lux Eccleſiæ N. T. affulſit? num non juxta vel poſt traditionem vocalem etiam ex ipſa Scriptura N. T. ſibi reſpondentis? Tandem hæc ipſa Scripta N. T. non cognoſci, certò eſſe Canonica, niſi ab Eccleſia fuiſſent recepta & approbata, nunquam concedemus, cùm inſitis inſtructa ſint Divinitatis Characteribus, quæ ſi Eccleſiæ innoteſcunt legenti, quî non Anagnoſti etiam mentem cuicunque, animumque advertenti? præcedit reſpectu ipſius Eccleſiæ Lumen Divinitatis emicans è Scripturis receptionem & approbationem, nec recipiendo & approbando Divinitatem nobis oſtendit, ſed confirmat, & quidem Teſtimonio longè inferiori illo, quod ex ipſo hauritur Divinitatis fonte. Subſtitutionis periculum facilè declinatur eo ipſo, quo in his ipſis Libris, quos terimus, illæ renident Divinitatis notæ, Eccleſia iiſdem permota conteſtante, quæ ſi nullis documentis ſubnixa his libris teſtimonium exhiberet, ἀλόγως teſtaretur, nec fidem facilè, inprimis apud extraneos, impetraret. *Auguſtinus* verò ad ipſa hæc indicia remittit, quæ à noſtris prædicantur, ipſi Pontificii *Franciſcus Suarez*, & *Bellarminus* illa producunt: in loco antè laudato contra *Fauſtum* agit de ſucceſſione gloriantem, & ex eadem Pharetra contra ipſum tela retorquet: nec malè laudatus Pater. *Authoritas divinorum librorum, vera ſe narraſſe præterita, & his, quæ futura prænunciavit, cum tanta veritate implentur, oſtendit.* Et lib. 18. cap. 40. *Cui, narranti præterita, meliùs credimus, quàm qui etiam futura prædixerit, quæ præſentia jam videbimus.* *Jamblichus* etiam & *Porphyrius* Philoſophi Platonici affirmant, *Prædictiones de rebus remotis, neq; arte, neq; natura, ſed tantùm inſpiratione fieri.*

XXXII. Sextum γνώρισμα Divinitatis eſt Efficacia Scripturæ planè eminens per demonſtrationem Spiritus & potentiæ, Rom. 1. ℣. 16. 1. Corinth. 2. ℣. 4. oſtendit illa homini ex lege profunditatem

tatem originariæ corruptionis, quæ omnes fibras facultatum infecit, conſcientiam pungit, accuſat, terret, & peccatorem de commiſſis & omiſſis validè convincit, proſternit. *penetrantior quovis gladio ancipiti vim ſuam exerit, & ad diviſionem usq; compagum & medullarum pertingit*, Ebr. 4. ℣. 10. Errores in Religione, cultu & ritu vel extantes vel etiam poſſibiles & futuros caſtigat, reprimit, confutat, Regnumque Sathanæ potentiſſimè expugnat, Zachar. 13. ℣. 3; Act. 16. ℣. 16. fidem Auditoribus, invictam conſtantiam Confesſoribus ingenerat, adſpirat, Rom. 10: ℣. 14. Actor. 6 ℣. 10. & ſeq. ſolatia in afflictionibus, ignitorum telorum à Diabolo emiſſorum conglobatione, mortis agone, ineffabilia inſinuat, inprimit, conſervat, Pſalm. 119. ℣. 92. Eſa. 38. ℣. 16.

XXXIII. Non labefactant hanc notam, qui 1. opponunt Scripta profanorum motus animi cientia, & affectus hominis alterantia, ut quidem conſtat de *Virgilii Æneide*, in qua lectum Didonis fatum ad lacrymas usque *Auguſtinum* permovit. 2. In *Alcorano* & *Amida*, quorum ille Mahumedanos concitat ad venerationem ſignis externis luculentam; hic verò Japonios extra ſe quaſi rapit & accendit. 3. Arianorum Scripta & ſermones, qui tempore *Valentis* Imperatoris totam Gentem Gothorum à Paganiſmo converterunt, teſte *Freculpho in Chronico* Tom. 2. Lib. 4. cap. 20. Non quatiunt vim Veritatis quoque, quæ Lojolitæ reponunt 1. ſi hoc Criterion ſit indubitatum, qui fiat, ut Epiſtola S Jacobi Calviniſtarum animos tàm mirificè afficiat, & Canonica aurâ afflet, Lutheranis autem mentibus nil niſi apocryphum, & olim etiam ſtramineum, odorem habeat, cur *Johanni Arndio*, ejusque aſſeclis in Lunæburgico Ducatu Lutheranis tam diverſos motus à noſtris motibus cieat? 2. Non negari, magnam vim ineſſe Scripturis Divinis, ſed apud eos maximè, qui eſſe Divinas jam abundè cognoverint. 3. Etiam in aliis nonnullis præſertim Patrum Scriptis eſſe penetrabile totum, & quidem ſæpè adeò, ut apocrypha nonnulla, & cum majori voluptate legantur, & majori facilitate credantur, quàm verè canonica & Divina: quis è Lutherano populo non vehementiſſimè afficiatur lecto Tobiæ, Judith, Syracidæ & Sapientiæ Libro, & tamen Lutheranis eſſe apocrypha, quantumvis magnâ poteſtate polleant ad animos concitandos. Non 3 quæ alii addunt, nempe dari, qui negant ſe ſentire aliquos ex Scriptura motus, Efficaciam nullàm deprehendere Gnoſticos, non

in Pſalmis, Marcionitas nihil in V. T. veteres Rabbinos non in Jobo, Manichæos nihil in quatuor Evangeliſtis, Cerinthianos nil in actis Apoſtolicis, Ebionitas nihil in Epiſtolis Pauli agnoviſſe virtutis. 2. Dari Librum, qui careat illa Efficacia, Canticum ſcil. Canticorum, qui ſi offeratur homini ad libidinem proclivi, non mel ſed venena exugat. 3. Non conſtare nobis, illum animi guſtum ſenſumque eſſe divinum, non illudere, ut quidem in aliis hoc contingat.

XXXIV. Sed hæc Efficaciæ Divinæ Axioma Scripturis proprium non tollunt. Nam 1. utut etiam aliqua Immutatio Animi oriatur quandoque è Lectione libri profani, oratione pathetica, deſcriptione alicujus rei geſtæ probè adornata; maxima tamen diverſitas deprehenditur in ipſis motibus: illi enim, qui è profanis oriuntur, hoc habent ex objecti qualitate, quod vel horrore terret, vel amænitate movet; naturaliter enim aliâs ad triſtitia triſtes, ad læta lætos nos exhibemus: at qui in nobis ſurgunt motus, è libris ſacris, non tàm ex objecti conditione, quàm Spiritus aſſiſtentia & influxu oboriuntur: qui è profanis ſubſiliunt ſubſiſtunt, inter ſteriles vel lachrymas ex affectu compaſſionis, vel evanidi gaudii momenta, at qui è divinis pullulant, imis humani Cordis tentatis ad ſolida proficiunt, pœnitentiam operantur, totum hominem immutant, DEUM ſentire faciunt, & profundam abyſſum corruptionis arguentem, & remedia ægro ex Evangelio in lætitiam ſalutarem ſuppeditantem; aliter itaque Sues, aliter catuli olent. 2. Mahumetani & Japonii moventur lectione Librorum, quo motu nondum oſtenſum: inſaniunt Diabolo correpti & furunt, *Phœbi nondum patiens immanis in antro bacchatur vates*, num propterea quicquam decedit Prophetis? imò num non hoc ipſo indicio diſcernuntur? poſito etiam non tàm facilè diſcerni poſſe ex Efficacia Libros Sacros & Spurios illos Barbarorum, num cætera erunt paria? num alia quoque indicia illis cum Scripturis communia? imò num non ex aliis quàm facillimè conſtare poteſt? e. gr. Coranum non eſſe niſi fabularum Centonem, Nequitiæ compendium. 3. Si ab Arianis Gothi fuerunt converſi, non fuerunt ab illis converſi, in quantum Ariani, quomodo enim Converſio fieri poteſt, quæ opus Spiritus S. per Dogma aliquod Scripturis adverſum, quod pervertit? ſed converſi ſunt, in quantum illi, utut hæretici, ſuppeditarunt ipſis alia Chriſtianæ Religionis principia, quæ

 hære-

hæreticæ opinioni prævaluerunt; præterea ſi *Socratem*, *Sozomenum* & *Theodoretum* conſulamus, Gothi ab Arianis non fuerunt converſi, ſed poſt ſuſceptam ex Sacro Codice fidem Chriſtianam corrupti, ſeducti & perverſi. Levia ſunt, quæ ſecundò opponuntur de Epiſtola Jacobi, non enim vitium aliquod oculi demit cognoſcibilitati objecti: num quia ille è cæcitate emergens ad lucem vidit homines tanquam arbores, Marc. 8. ℣ſ. 24. ipſis detraxit hominibus? num non ſufficientia in illis fuerunt indicia, ex quibus potuerunt ab arboribus diſtingui? Infallibile Divinitatis argumentum qui negat eſſe Efficaciam Scripturæ, negat ſe eſſe Chriſtianum, cùm ex hoc converſus, & propterea non niſi ſenſu Efficaciæ convictus, & immutatus; nec magna vis Scripturis ineſt tantùm, ſed Divina, nec apud eos, qui Divinas jam abundè cognoverunt, ſed intrinſecè, & quoad ſenſum, ſive actum ſecundum penes iſtos, qui abundè cognoverunt; quanquam etiam ſeſe exerat in primo quandoque propoſitionis Exordio, ut conſtat ex Actor. 2. ℣ſ. 37. & ita influat, ut carne, & ſanguine victis, in rebus aliàs illis adverſantiſſimis de obſtreperis quoque triumphet, & Cardiarchiæ gloriam conſequatur. In Patrum Scriptis & apocryphis libris quicquid eſt penetrans, debetur verbo Canonico, *quod penetrantius quovis gladio ancipiti*, Ebr. 4. unde & vis illa eidem originalis & primæva; majori facilitate credi Apocryphos quàm Canonicos, ſi de voluptate & Fide Divina intelligatur, falſum: quomodo enim majori voluptate poteſt legi, & majori facilitate credi id, quod ex aliqua parte humani Spiritus & falſitatis indicia prodit. 3. Qui ex hæreticorum perditiſſimorum judicio concludunt, tenebras Luci obvertunt: non permovit vel Gnoſticos Pſalmorum Davidicorum Lectio, vel Marcionitas V. T. Librorum propoſitio, quia intus exiſtens prohibet alienum, præjudicia obſunt veritati; non ſentit criterium, qui narcoticis omnem ſenſum obtudit, non vim Scripturæ, qui DEUM ſeculi excæcantem mentes intra viſcera pectoris admiſit. 2. Qui Canticum Canticorum Efficacia privare intendunt. Introducitur Sponſa, proprietatibus inclyta, quæ in procacem non cadunt puellam; Sponſus animarum candidus & rubicundus, electus præ millibus, qui Eccleſiam ſuam dilexit, pro illa ſe tradidit, & lavit eam ſanguine ſuo. num verò hæc pietatis, an libidinis ſunt incentiva vel fomenta? ictericis omnia apparent flava vel pallida, bilioſis omnia ſunt amara, non de-

fectu

fectu objecti, ſed corruptione ſubjecti; & quomodo hæc opponuntur Cantico, cùm etiam poſſit ex aliis Libris ſacris à profano in Libidinis argumentum vocari una atque altera particula. Audiant, qui ita laſciviunt, *Euſebium: Sicut Agnum demonſtrante Joanne velut Joannis gratia ſunt lex & Prophetæ, ſic etiam quæ in divina Scriptura ſignificantur; at ſicut ſecundùm legem erant Sancta Sanctorum nullus præterea erat locus, ſic & præter Cantica Canticorum nullam licet expectare interiorem, aut recentiorem promiſſionem.* E Pontificiis *Martinum Delrio* ita diſſerentem: *Breviter; quem decebat, Dei amor in Eccleſiam quantus, nobis proponere, & viciſſim nos ſingulos, qui Eccleſiæ membra ſumus & ſponſi divini ſingulares ſponſæ, ad amoris pariationem, atq; (ut cum veteribus loquar) hoſtimentum invitare: Scopus hujus libri eſt & ſic, non totam modò Eccleſiam, ſed & quamlibet animam ſponſo Christo per amorem conjungere. Sic omnes Patres cenſuère: & ideò quidam illorum de differentia duplicis amoris, divini & terreni, multa præclarius, quàm vel Plato, vel Plotinus, vel quiſquam gentilium, diſſeruerunt, præſertim Origenes in Prologo, Philo Carpbatius & Aponius initio lib. 1. in Cant. Deinde & illa ratio occurrit, hunc amorem & judicium Dei de Eccleſia valde efficaces ſtimulos habitura, ut quam tanti Deus fecit, non ſua, ſed noſtri cauſa; nos quoque ferventiùs amemus, & religioſiùs colamus. Quis enim non inflammetur cogitans, tantillam fuiſſe Domino cœli ac terræ, ut, non dicam Rex ejus, Dominator, Caput & Pontifex, ſed frater, Sponſus, Amaſius, Procus dici voluerit? ut de ſe cani juſſerit, quæ ardentem & impotentem quendam amorem planiſſimè præ ſe ferant? non mirum tamen id in Salomone, hoc eſt pacifico, cùm Paci nihil conjunctius, nihil familiarius, quàm amor ſeu charitas, his enim verbis (ut ait Origenes) nihil nos vetat uti promiſcuè.* Et ex noviſſimis *Gregorium Ferarium: Advertendum*, inquit, *hoc Canticum ſic eſſe Canticum, & Drama, ut quoque ſit egregia, & valde excellens Prophetia. Nam non ſolum tangit varia, quæ Synagogæ contigerunt, & quæ debebant contingere antiquis ſæculis: Sed quoque ſignificat, quæ debebant contingere, ut Meſſias veniſſet in carne;* & poſtea: *Et habet, plus quam ulla alia Prophetia, quæ ſpectant ad illius reductionem ad Sponſum, & quæ peraget, ut fuerit reducta. Tangit quoque prophe-*

tice multa de Eccleſia, ut futura erat in gentibus, illiusque gloria, & magnitudine, ut genuinam interpretationem hujus mirabilis Cantici aſſequamur. Denique ſciendum eſt, inſeruiſſe Spiritum Sanctum in hoc Cantico omnia præcepta vitæ ſpiritualis: non ſolum quia, quæ dicuntur de Sponſa Eccleſia, ſæpe habent locum in Sponſis particularibus, in hac ſcilicet, & illa anima: ſed quoque quia adhibuit tales allegorias, quæ præbent occaſionem innumerabilium documentorum, quæ ſpectant ad mores, illosque informant: Unde nulla eſt Scriptura, in qua Patres, & Vitæ Spiritualis Magiſtri magis ſint, & verſentur frequentius, dum mores inſtruunt; pluraque eruant ad docendum, quid cavendum, & quid faciendum, ut evadamus perfecti, & quod perfectio in nobis depoſcat. 3. Si non conſtare poteſt, illudi, vel conſuli nobis ex lectione Scripturæ, per efficaciam, quæ actu ſe probat animis noſtris, etiam non conſtare potuit, illuſum, an conſultum fuerit auditoribus orali Verbo Chriſti & Apoſtolorum: præter ſcriptionem enim nihil additum Libris ſacris, adeoque ſic omnis vis verbi divini etiam prædicati elidetur; non conſtare poterit, num à Digito DEI ſint motus Conſcientiæ, nec ne, qui vel accuſant, vel excuſant, ſemper enim Luſciniæ ſua erit cantio, Corniculæ replica, unde ſcis hos motus eſſe divinos? nec tantâ pauperie laboramus in Theologia, ut non indicia ſubminiſtrare poſſimus, quibus divini ab humanis motibus diſcernantur; num enim illi, qui ex Scriptura cientur motus, non ad ima cordis penetrant, & faſtidium peccati ingenerant? Num non tranquillitatem Conſcientiæ ſauciatæ conferunt, & in amicitiam cum DEO perducunt? num non animum à caducis abductum ad Cœleſtia ſublimant, ut tanquam Cervus DEUM ſitiat anima, & in illo tanquam ſummo Bono conquieſcat? num verò in humanis vel Diabolicis motibus non ſemper aliquid, ex quo tanquam ex ungue vel hominem vel Leonem infernalem deprehendere poſſis. Malè conſultum eſſet Eccleſiæ, ſi nûllis documentis inſtructa eſſet, ſtramen à frumento diſcernendi: Si DEUS in Regno naturæ non defecit, & indiciis ipſa corpora ſignavit, ut gemmam à vitro diſtinguere poſſit artifex, qui in majoris negotii momento, quod ipſam Beatitudinem æternam ab ipſo hominibus deſideratam, tot mediis procuratam, concernit, nos deſtituat?

XXXV. Septimum Indicium Divinitatis Scripturariæ eſt Duratio & Conſervatio ſtupenda. Obluctantur huic Codici maximè

Diabolus, utpote per quem Regnum illius minuitur & diſſipatur, homines ſibi & naturali corruptioni relicti, quos caro perpetuo incredulitatis tenet conſtrictos vinculo, & in Renitentiam exaſperat, unde Dæmonis Satellites, Reges, Principes, & alii, enixè in id incubuerunt, ut abolerent iſtiusmodi libros. *Antiochus Epiphanes*, undique eosdem conquiri & exuri curavit, 1. Maccab. 1. ỷ. 50. Romani Imperatores, inter quos ſævior cæteris *Diocletianus* cum ſacris Chriſtianorum ſummo ſtudio omnes voluit exciſos. Ipſe Pontifex Romanus iniquus fuit illis, & ſuperiori ſæculo Biblia reperta apud Laicos cum illis igne abſumi curavit. Et nihilominus eluctatus eſt Codex iſte ſacer, vim Tyrannorum & fraudes hæreticorum glorioſè ſuperavit: Eluſit Deus molitiones *Antiochi*, & eundem graviter punivit. 2. Maccab. 9 ỷ. 5. & ſeq. Coërcuit *Diocletianum* & *Maximinum*, qui Scripturas Chriſtianis extortas & igni injectas miraculo inſignivit, flammis ſubitò extinctis & grandine copioſè immiſſa, in iræ & furoris ſui inſigne documentum, teſte *Euſebio lib. 8. Hiſtor. cap. 5. 26.* Propagavit eosdem non tantùm per Judæos, Infenſiſſimos Nominis Chriſtiani hoſtes, ſed & per ipſorum Pontificiorum operas Typographicas & impenſas regias *Compluti*, *Antverpiæ*, & alibi, ad Eccleſias noſtras Evangelicas. *Theopompus* Orator, & *Theodectes* Tragœdus, cùm impuris manibus attrectarent hunc Codicem, vim & vindictam ſenſerunt Numinis terribilem, dum ſcil. ille, quòd quædam excerpere voluerit, mente captus, hic verò, quòd ad Drama adhibuiſſet, Oculis orbatus vid. *Joſeph. Lib. 12. Antiq.* & *Euſebius præpar. lib. 8.* Accedit providentiæ Divinæ non contemnendum ſpecimen in excitandis *Tiberienſibus Maſorethis*, qui ſuâ induſtriâ verſus, voces, & literas numerando, varietates Lectionum obſervando, ſepimentum quoddam conſtruxerunt, ne vel Jota excidere poſſet ex tam Divino Corpore, nec non illis, qui ex adverſo reſponderunt Maſorethis, in N. T. diligentiſſimis curatoribus etiam circa quævis minima in Libris Evangeliſtarum & Apoſtolorum.

XXXVI. Adducamus in confirmationem hujus, *Johannem Crojum*, in peculiari Tractatu, qui hæc prodidit. *Maſorethæ omnia Bibliorum Commata, omnes voces, omnesque literas numerarunt: ita Chriſtianos quosdam, pari diligentiâ & pari fide omnes Verſus, & Græcæ editionis Veteris Teſtamenti, & Librorum Novi, numeraſſe certiſſimum eſt. In Excerptis è Nicephori Chronologiâ,*

logiâ, quæ magnus Scaliger edidit, numerus, ordo, & verſus Librorum utriusque Fœderis, non ſolum eorum, qui in Canone Scripturæ Sacræ ab omnibus reponuntur, ſed etiam eorum, de quibus inter Chriſtianos eſt controverſia, aut qui ab omnibus è legitimorum Librorum numero ejiciuntur, ita leguntur.

Ἐκ τοῦ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγελίου. ἐγράφη Ἑβραϊστὶ ἐν Παλαιστίνῃ μετὰ ἔτη ὀκτὼ τῆς ἀναλήψεως τοῦ Κυρίου. Ἔχει δὲ ῥήματα ͵βφυβ. στίχους δὲ ͵βφξ.

Εὐαγγέλιον κατὰ Μάρκον ἐγράφη Ῥωμαϊστὶ ἐν Ῥώμῃ μετὰ ἔτη δώδεκα τῆς ἀναλήψεως τοῦ Κυρίου. Ἔχει δὲ ῥήματα ͵αχοε. στίχους δὲ ͵αχις.

Ἐκ τοῦ κατὰ Λουκᾶν Εὐαγγελίου. ἐγράφη Ἑλληνιστὶ μετὰ ἔτη ιε΄ τῆς ἀναλήψεως τοῦ Κυρίου εἰς Ἀλεξάνδρειαν τὴν μεγάλην. Ἔχει δὲ ῥήματα γωγ. στίχους δὲ ͵βψν.

Ἐκ τοῦ κατὰ Ἰωάννην Εὐαγγελίου ἐγράφη Ἑλληνιστὶ εἰς Ἔφεσον μετὰ ἔτη τριάκοντα τῆς ἀναλήψεως τοῦ Κυρίου. ἔχει δὲ ῥήματα, ͵αλλα. στίχους ͵βκδ, ἐπὶ Δομετιανοῦ βασιλέως.

Id Est:

Ex Evangelio ſecundùm Matthæum. Scriptum eſt Hebraicè in Palæſtinâ octavo poſt Domini aſſumtionem anno. Habet autem voces MMDXXII. *verſus verò* MMDIX.

Evangelium ſecundùm Marcum ſcriptum fuit Romæ Latinè, duodecimo poſt Domini aſſumtionem anno. Habet voces M. DC LXXV. *verſus verò* M DC XVI.

Ex Evangelio ſecundum Lucam. Scriptum fuit Græcè Alexandriæ, decimo quinto poſt Domini aſſumptionem anno. Habet autem voces MMM DCCIII. *verſus verò* MMDCCL.

Ex Evangelio ſecundùm Joannem. Scriptum fuit Græcè Epheſi, imperante Domitiano, trigeſimo poſt Domini aſſumtionem anno. Habet autem voces M DCCCC XXXI. *verſus verò* MM XXIV.

Ut igitur priores illi Judæorum Doctores, qui in verſibus & vocibus Librorum veteris Teſtamenti in numerum deducendis laborarunt, a Rabbinis סופרים, *Supputatores* dicti ſunt: ita & Chriſtiani illi, qui verſus & voces ipſas quatuor Evangeliorum ad digitos

miſerunt, & in ſummam redegerunt, digni ſunt, qui eodem vocentur nomine. Et quemadmodum Maſora à Rabbinis סיג לתורה *Sepes Legis* dicitur: ita horum labor vocari poteſt Evangelii ſepimentum.

XXXVII. Non malè non nemo. *Permanſerunt libri illi ad hæc noſtra tempora, non obſtantibus tot ſæviſſimorum hoſtium conatibus, & permanebunt deinceps ad omnem poſteritatem Electorum* DEI, *quàm diu Mundus ſteterit. In eorum excidium univerſa terræ potentia ſe armavit. Antiochus omnia, quæ conquirere poterat, exemplaria, concremanda curaverat, 1. Macch. 1. 59. & Satan cum toto mundo eam vel opprimere, vel ſubducere prorſus, & ex hominum memoria obliterare conati ſunt: ſemper tamen Scriptura inſtar palmæ ſuperior evaſit, & inexpugnabilis perſtitit: omnes omnium conatus in fumum abierunt.* DEUS *enim admirandam Scripturæ conſervandæ curam adhibuit, eamq; à ſanguinariis Antiochi edictis vindicavit, & inter multiplices gentis Judaicæ clades, quibus ſubinde attrita & vaſtata, mox propè ad internecionem redacta fuit, ſalvas ſuperſtitesque conſervavit. Quomodo tam validè undiquaque impetita reſtitiſſet, non niſi humano freta præſidio? Proinde dicere nobis hîc liceat: Si ex hominibus eſſet conſilium, ſive opus hoc, deſtrueretur: quia autem ex* DEO *eſt, deſtrui non poteſt.* Actor. 5. v. 38. *Argumentum hoc vehementer illuſtrat antitheſis aliarum Religionum & hæreſium, quæ temporum lapſu ortæ ſunt & interierunt, quia ex* DEO *non erant: ut videre eſt in variis Judæorum ſectis ante Servatoris adventum, & in tot poſt eum hæreſibus, nomen ſolùm* CHRISTI, *non etiam fidem ejus habentibus, quæ omnes vel diſſolutæ ſunt, vel indies magis magisque diſſolventur.*

XXXVIII. *Franciſcus Suarez* Diſputatione quartâ ſectione tertia § 11. diſputat talia, quæ planè noſtræ cauſæ conducunt, & quæ urget pro fide & Myſteriorum conditione, pariter pro nobis & Scripturæ Majeſtate faciunt. Verba illius ſic ſe habent: *inter miracula magna divinæ potentiæ, quibus hæc fides facta eſt credibilis, numerari poteſt perſeverantia, & duratio ejusdem fidei, & Eccleſiæ per illam fundatæ ab initio prædicationis Evangelicæ usque nunc. Nam cum hæc fides ex una parte ſit valde difficilis ad credendum, quia multum ſuperat naturalem intellectus capacitatem: & ex aliâ*

ſit

ſit valde ardua ad obſervandum, quia præcipit multa ſpiritualia, & concupiſcentiæ repugnantia, & aliunde quàm plures ſectas & errores deſtruxerit, & ideo infinitos habuerit hoſtes, ac potentiſſimos: nihilominus integra permanſit, & in perſecutionibus ipſis, & contradictionibus, numero & merito aucta eſt; & in cognitione veritatis illuminata, quod profectò ſine ſpeciali DEI *virtute, & auxilio, nulla virtus humana efficere potuiſſet. Atque ita experimento videmus impletam* CHRISTI *prophetiam. Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: & ejusdem promiſſionem: Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Atque hoc ipſum intendit Auguſtinus in ſuo tertio motivo, quod ſumpſit ex continua ſucceſſione Summorum Pontificum in ſede Petri: nam quia illa eſt Petra, ſupra quam* CHRISTUS *fundavit Eccleſiam, eadem virtute immobilis perſeverat, qua ipſa Eccleſia, & ejus fides: quod ſi illud motivum viſum eſt Auguſtino ſufficiens poſt quadringentos annos à* CHRISTI *adventu, & poſt 42. ſucceſſiones Epiſcoporum Romanorum, profectò longè mirabilior eſt, magisque divinam virtutem oſtendit ejusdem ſedis uſque ad noſtra tempora continua ſucceſſio.* Hactenus ille.

XXXIX. Addunt quidam Rationem, quæ præcedentem illuſtrat, à contrariis. *Certum eſt Diabolum, ejusque ſatellites, homines impios, & injuſtos, judicio & diſpoſitione, non minùs eſſe ſemperque fuiſſe Scripturis contrarios, quàm lux eſt tenebris. Probatio eſt in promptu. Legenti librum aliquem Philoſophicum, ſibiq; doctrinæ in eo comprehenſæ caput aliquod perſuadere cupienti, nulla incredulitatis tentatio animum ſubit: Quod ſi verò idem ipſe Scripturæ libros perlegerit, ac genuinum eorum ſenſum, ſeu intellectum ſcrutatus fuerit, plurimas illicò motiones ac tentationes, ad infidelitatem & inobedientiam incitantes, in ſeipſo ſentiet. Quæ obſecro hujus rei cauſa? Hæc, quia iſti libri Verbum* DEI *ſunt, cujus inexpiabili odio Diabolus flagrat, quodq; modis omnibus ſummisq; conatibus oppugnare laborat, extinctumq; cupit. Deinde perpendatur hoc ipſum in praxi hominum impiorum. Hi, ſi ob ſua peccata, idololatriam ſcilicet, blaſphemiam, ſuperbiam, avaritiam, impuritatem, aliaq; deteſtanda ſcelera, ex Scripturis taxentur & redarguantur, ferre id non poſſunt: ſed ſanguinem vitamq; quærunt eorum, qui ipſos paulò ſeveriùs taxaverint. Hinc*

eſt, quòd impii olim Reges, tam cruentis perſecutionibus contra Prophetas & ſervos D E I *ſævierint, & adhuc ſæviant: hinc eſt, quod Mundus à ſui exordio, ad hæc uſque tempora, tot horribiles ſtrages, tot acerba funera piorum ſervorum* D E I *ediderit, ſicut ſcriptum eſt.* Pſalm. 44. *Propter te occidimur omni die, æſtimati ſumus tanquam pecudes mactationi deſtinatæ. Animo advertendum eſt præterea, ejuſmodi impios homines, qui tam deteſtandis ſceleribus coinquinati ſunt, quique ad extremum uſque vitæ halitum neque verbum* D E I *neque adminiſtros ejus audire ſuſtinent, horribiles plerumque exitus ſortiri. Teſtis eſt Pharaoh, mari rubro obrutus cum ſuis: cujus tanta erat obſtinatio & contemptus* D E I, *ut diceret: Quis eſt* J E H O V A, *ut paream nomini ejus, dimittendo Iſraël? neq; novi* J E H O V A M, *neque dimittam Iſraël?* Exodi 5. *Teſtes ſunt Herodes Magnus infanticida, & alter Herodes Agrippa, prioris nepos, ex filio Ariſtobulo: uterque à vermibus eroſus: quibus & Julianus Apoſtata, ſimileſque alii annumerari poſſunt. Plena eſt exemplorum omnis hiſtoria, & experientia noſtrorum quoque temporum. Hi omnes ex pœnis, ac ſuppliciis ſuis intellexerunt,* D E I *Verbum eſſe, quod oppugnarunt. Nonne hæc Satanæ, ejuſque ſatellitum contra Scripturam oppoſitio, & extrema eorum rabies contra ejus cultores, ſignum eſt manifeſtiſſimum, Scripturam Verbum eſſe ſanctiſſimum, atque adeò ipſiuſmet* D E I? *Mundus enim quod ſuum eſt amat, & Diabolus, cùm Pater ſit mendacii, non mendacium, ſed veritatem averſatur, execratur, perſequitur, & modis omnibus extinctam cupit.*

XL. Floccipendimus, quæ quidam maleſani hîc regerunt, 1. quidem, tantam non eſſe Numinis curam circa chirographum ſacrum, ut nos opinemur, nec apparere aliis, ſed potius oppoſitum, cùm Liber Legis tempore Joſiæ fuerit denuò inventus, adeòque per aliquod tempus deperditus, 2. Reg. 22. ℣. 8. 2. Conſervationem hanc non haberi à nobis ex ipſa Scriptura, utpote in quâ nullus locus, nullum Teſtimonium hac de re oſtendi poſſit, ſi autem ex hiſtoriis vel Scripturis Patrum, vel ex traditione Eccleſiæ vocali hoc habetur, ipſis Lutheranis omnia hæc eſſe argumenta humana & fallibilia, neque Scripturæ hanc conſervationem eſſe propriam: inferri poſſe, hoc pacto etiam quorundam Veterum Poëtarum fabulas & Hiſtorias

ſtorias eſſe Canonicas & Divinas, cùm ſint longè diutius conſervatæ, quàm omnes Libri N. T. 3. In Excidio Hieroſolymitano, incendio Templi, tempore Zedekiæ, libros Moſaicos & Propheticos eſſe unà combuſtos, & proinde opus fuiſſe, ut ab Eſdra reſtituerentur.

XLI. Hæc enim noſtrum Argumentum mirificè evertunt. Nam 1. inter ipſos Pontificios adhuc diſceptatur, quis ille Liber: *Sixtus Senenſis* adducit, qui negant, quòd fuerit Liber Legis Moſaicæ, ſed aliud quoddam Scriptum Propheticum; Verba ejus ita ſe habent: *(Conceſſo autem, & quidem concedendum fuiſſe, inventum Librum Legis Moſaicæ, ut à quodam Sacerdote, non ſine providentiæ Divinæ ductu reconditus, ita ejuſdem præſidio conſervatus & reductus in publicum.) Liber Legis, ab Helchia repertus, de quo ſcribitur in quarto libro* Regum capite 22. *& in ſecundo* Paralipomen. capite 34. *hac occaſione inventus eſt: Cùm Manaſſes, impius rex, qui Jeroſolymitano regno quinquaginta quinque annis præfuit, penitus aboleviſſet Libros Legis Domini, & occidiſſet Prophetas & ſacerdotes, qui eam docebant, ac cæteros pios viros, qui impietatem ſuam ſequi noluerant, vir quidam, zelo ſanctarum Legum incenſus, abdidit exemplar Legis divinæ in penetralibus templi. Cùm autem Joſias Rex piiſſimus, anno ætatis ſuæ 26. regni autem 18. miſiſſet ad Helchiam pontificem, patrem Jeremiæ Prophetæ, ut pecuniam, quæ erat in abditis Templi, proferret ad inſtaurandas ruinas Templi: ille aurum diligenter perquirens, Librum quoque Legis ſacræ invenit, & ad Regem miſit. Qui cùm divinas comminationes, & imminentes Urbi calamitates, quæ in illo deſcriptæ erant, audiſſet: ſciſſa veſte juſſit ire Helchiam pontificem, & Saphan ſcribam ad conſulendum Oldam prophetiſſam, ſi quo conſilio, aut auxilio ea clades effugi poſſet. Sunt, qui exiſtimant, hunc Librum non fuiſſe codicem Moſaicæ Legis, ſed aliud quoddam Propheticum volumen. Quia cùm Manaſſes poſt pœnitentiam ſuam, & libertatem adeptam ex Babylonica captivitate reverſus eſſet in Regnum, Templum purgavit, idola abjecit, & cultum* Dei *reſtituit, quemadmodum in ſecundo Paralipomenon legimus. Nec veriſimile eſt, eum non inſtauraſſe Legem Domini, quæ caput eſt & fons totius divini cultus: Credibile eſt etiam Joſiam, utpote virum religioſiſſimum, Legem jam à Manaſſe inſtauratam,*

ratam, frequenter non ſolùm audiſſe & legiſſe, ſed etiam probè noſſe. Quapropter ſi Liber nuper inventus, & ante eum lectus, continuiſſet legem Moſaicam, cujus lectioni jam aſſueverat Rex, non oportuerat eum ad verba Libri, veluti rem inopinatam, & tum primùm auditam, adeò vehementer perturbari, ut veſtem diſrumperet, & ad Oldam prophetiſſam mitteret ſciſcitatum de ſenſu ejus Scripturæ. Chryſoſtomus homilia nona in Matthæum, & Rabbi Salomon, putant hunc fuiſſe Librum Deuteronomii, quem Manaſſes, ſenio gravatus, & morte præventus, invenire non potuit, cujus narrationem tum primùm audiens Joſias, cùm perveniſſet ad verba capite 28. quæ prædicabant Judæis ſupremum excidium, & diuturnam captivitatem, ſi quando DEUM dereliquiſſent, tanto animi dolore correptus eſt, ut cum fletu & lacrymis veſtem ſcinderet, & omnem populum cogeret juramentum præbere, ſe deinceps omnia præcepta ejus Libri integre ſervaturum. Inventus eſt itaque liber Deuteronomii, multis antea annis abſconditus, anno ab orbe condito ter milleſimo, trecenteſimo quinquageſimo octavo, quem cum rurſus temporum injuriæ perdidiſſent, demum Chriſtiani invenere luto obrutum, paulò ante Chryſoſtomi ætatem. Quod & ipſe homil. 7. in priorem ad Corinthios annotavit. 2. Poſito, nos conſervationem illam habere, non niſi ex hiſtoriis, vel ſcriptis Patrum, vel traditione Eccleſiæ, junctim ſumptis vel diviſim, negari tamen nequit, eſſe Criterium Divinitatis, cùm tantùm de infallibilitate illius moveatur quæſtio, de gradu probationis nondum diſceptetur, illa inſuper, quæ conſtant Hiſtoricorum, Patrum & Eccleſiæ teſtimonio, gaudere certitudine ſua nemo inficias ire poteſt; Romam eſſe non habemus, qui nunquam eam adivimus, niſi ex Hiſtoricorum & hominum conſenſu, quanti tamen faciat illam certitudinem *Hurtadus Mendoza*, ipſimet nôrunt Pontificii. Præterea falſum, nos illam conſervationem nullo modo habere ex ipſa Scriptura. Annon illuſtris locus occurrit Eſaiæ 59. ℣. 20. 21. *Veniet Zijoni Vindex, & converſis à defectione in Jacobo; dictum JEHOVÆ. Me autem quod attinet: hoc erit fœdus meum cum iſtis, ait JEHOVA, Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, aut ex ore ſeminis tui, ait JEHOVA, ex hoc tempore uſque in ſeculum.* Annon prædictiones de Eccleſia conſervanda, oſtendunt etiam conſervandum eſſe illud incorruptibile Sc-

le Semen, ex quo illa generatur, creſcit & fovetur? 3. In Excidio Hieroſolymitano ſub Nabuchodonoſore omnia Exemplaria fuiſſe abolita, gratis dicitur, poſito, quòd illud, quod in latere arcæ repoſitum, fuiſſet incendio conſumptum. Esdram reſtituiſſe, nullo argumento probari poteſt, nullum in Scriptura Sacra vel aliis probatis Hiſtoricis reſtitutionis veſtigium; hinc ipſi Pontificii hoc commentum repudiant, *Bellarm. ſcil. lib. 2. de Verbo D e i. cap. 1. Pererius præfat. in Geneſin, nec non Torniellus Annal. ad Annum* 3447.

Disputatio Decima Quinta

De

TESTIMONIO SPIRITUS S. INTERNO,

THESIS I.

Quæ ſint indicia Divinitatis in Scriptura, ſatis pro ratione Inſtituti expoſuimus. Tranſimus itaque ad internum Spiritus S. Teſtimonium; quod in Corde Hominis pii viget, eundem ſtabilit & certificat de Majeſtate Principii; cujus primo probanda Exiſtentia. Quam plurima autem loca Theologi noſtri hactenus produxerunt, quibus evincitur, dari tale teſtimonium, ex Rom. 8. ℣ſ. 16. 1. Corinth. 2. ℣ſ. 11. 12. 13. 2. Corinth. 1. ℣ſ. 21. 22 Eph. 1. ℣ſ. 13. 14. Eph. 4. ℣ſ. 2 1. Theſ. 1 ℣ſ. 5. 1. Joh. 2. ℣ſ. 20 nec non argumenta alia ſolidiſſima, quæ legi merentur apud B. noſtrum *Thummium.* Nos hac vice tantùm producemus inſigne illud Effatum Johannis 1. Epiſt. cap. 5. ℣ſ. 6. *Spiritus eſt, qui teſtificatur, Spiritum veritatem eſſe.* Ubi per vocem Spiritus, in Subjecto poſitam, intelligimus Spiritum Sanctum, Tertiam ſcil. Trinitatis Perſonam, tum quia hæc vox abſolutè poſita citrà conditionem reſtringentem, tanquam analoga, meritò accipitur in ſignificatu ſuo famoſiore, tum quia confeſtim in ſequente verſiculo ſeptimo ſiſtitur ſub ratione Perſonæ, & quidem Tertiæ in Trinitate, addito Epitheto, quum dicitur τὸ ἅγιον πνεῦμα, tum quia ipſi Martyrium Cœleſte ut Patri & Filio ibidem adſcribitur: ut non dicamus, conſpirare hîc Interpretes præcipuos ex Pontificiis, Calvinianis, & Lutheranis.

Per Spiritum autem in Prædicato intelligimus verbum Dei ſive Scripturam, Vocabulo Spiritus metonymicè accepto, partim quia aliàs quoque Verbum Dei dicitur *Spiritus & Vita*, Joh. 6 ℣ſ. 63. *Miniſterium Spiritus*, 2. Corinth. 3. ℣ſ. 8. partim quia Spiritui Sancto tribuitur *docere varia*. 1. Joh. 2. ℣ſ. 27 partim quia etiam falſa Doctrina Spiritus dicitur, quia prætextum habet, ac ſi à Spiritu eſſet revelata, ut quidem oſtendunt loca. 1. Timoth. 4. ℣ſ. 1. 1. Joh. 4. ℣ſ. 1. Senſus itaque eſt, Spiritus Sanctus teſtatur in Cordibus Fidelium, quòd Doctrina Spiritus de Christo Verbo comprehenſa, ſit Veritas.

II. Non poſſumus itaque probare I. Illos, qui Vocem Spiritus, Subjecti locum ſuſtinentis, accipiunt figuratè, *Nicolao Hemmingio* ſcribente: *Antanaclaſis eſt in Voce Spiritus, in priori enim loco Effectum Spiritus S. notat: videlicet Motus congruentes Legi Voluntati* Dei, *excitatos in Credentibus à Spiritu Sancto: in poſteriori verò ſenſu ſignificat ipſum Spiritum Sanctum effectorem.* Cui affinis eſt *Grotii* Commentarius. Non enim hic ſermo eſt de agnitione Spiritus, tanquam Cauſæ ex Effectibus ſuis, ſed de Teſtimonio Perſonæ, quod confertur verbo, cujus eſt Author, ut ſupra oſtenſum. II. Illos ex Pontificiis, qui in Prædicato hallucinantur, & pro Spiritu, cum Vulgata, Chriſtum ſubſtituunt, quibus contradicit conſtans Græcorum Codicum Typus, Verſio Syriaca, ex Patribus *Leo Papa* Epiſtola: 10 cap. 5. *Auguſtinus* de dono Perſeverantiæ cap. 13. *Oëcumenius*: ex ipſis Pontificiis Interpretibus *Vatablus*, *Clarius*, *Cajetanus*. III. Illos, qui cum *Cajetano* & *Grotio* in Prædicato non Verbum, ſed ipſum Spiritum intelligunt, quaſi ſenſus: *Spiritus eſt, qui teſtificatur, quia ipſe eſt Veritas.* Quamvis enim admittamus ipſius Paraphraſin circa primam partem hujus dicti, ſcribentis: *Ecce tertius teſtis: Imò ecce, qui ſolus eſt ſufficiens teſtis: Ecce ille, qui verè teſtificatur: Aqua enim non loquitur, neq; ſanguis, ſed Spiritus eſt, qui & intelligit, & omnia novit & teſtificatur: & propterea ſingulariter de Solo Spiritu dixit, & Spiritus eſt, qui teſtificatur*: tamen, quæ in poſteriori parte explicationis addidit, diſplicent, quia infallibilitatem hujus Teſtis ſufficienter demum in ſequenti verſiculo exponit Johannes; Ipſi Pontificii Interpretes agnoſcunt voculam ὅτι hic non eſſe Cauſalem, ſed determinativam, & apertè ipſum impugnant *Stapletonus*, *Cornelius à Lapide*, & alii.

III. Sunt tamen, qui de Teſtimonio Interno Spiritus hæc Verba non accipiunt, aliam inſiſtentes Viam, & ad externum Teſtimonium illa referentes, quaſi hoc velit Johannes, Spiritum Sanctum teſtatum fuiſſe, Chriſtum eſſe Veritatem, vel JESUM eſſe Filium DEI, non tantùm cum in Feſto Pentecoſtes ſuper Apoſtolos Chriſti deſcenderit, eosque repleverit, ut variis linguis locuti ſint Magnalia DEI. Actor. 2. cap. per illorum ora teſtatus fuerit ubique in Orbe, Chriſtum eſſe Verbum, Sapientiam, & Patris Veritatem, tum ratione Divinæ, tum ratione Humanæ Naturæ; ſed & cùm tot dona & Chariſmata Fidelibus impertitus fuerit, de quibus. 1. Cor. 12. cap. ſecundum prædictionem Chriſti, Johannis 15. ℣ſ. 26. c. 16. ℣ſ. 14. quibus Locis addi poſſit Teſtimonium Petri, Actor. 5. ℣ſ. 31. Sed & hi à Veritatis linea aberrarunt. Nam primò vel ex parte ſupponunt, Verba Johannis ita eſſe concepta: Spiritus eſt, qui teſtificatur, Chriſtum eſſe Veritatem: vel Ellipticam Orationem fingunt, & de cætero veſtigia premunt *Cajetani*, ac ſi dictum: Spiritus S. eſt, qui teſtatur illud, ſed filium DEI Jeſum eſſe, cui Spiritui omninò credendum, quia non tantùm verax, ſed ipſa veritas. Secundò, quia Apoſtolus non loquitur de Actu aliquo præterito, ſed de præſenti, non de aliquo tranſitorio, ſed continuo in Eccleſia, non dicit, teſtificatus eſt, ſed teſtificatur, conjungit Teſtimonium hoc cum Teſtimonio Aquæ & Sanguinis Sacramentalis N. T. dicit verſiculo octavo, Spiritum hunc in Terra teſtificari. Tertiò addit verſic. decimo: Qui credit in Filium DEI, habet Teſtimonium in ſeipſo, quod oppido de interno quodam in Corde Fidelis Teſtimonio accipiendum eſſe ipſa Verborum Lux abſque nebulis obſervata oſtendit.

IV. Fruſtrà ſunt ex Pontificiis Primò, illi, qui quidem admittere videntur hoc Teſtimonium Internum, ſed præter illud externum quoque Eccleſiæ Teſtimonium requirunt, & neceſſarium eſſe exiſtimant nobis, quod huic interno cooperetur, quaſi Medium ad Fidem inductivum. Secundò illi, qui ipſum illud ſolicitant, cauſantes, DEUM non promiſiſſe, aſſuturum ſingulis Fidelibus Spiritum Sanctum perpetuò & infallibiliter: Hac ratione aperiri feneſtram omnibus Erroribus, quibuslibet non minùs jactaturis, quàm Sedechia Pſeudo-Propheta, 2. Reg. 22. Fore, ut nemo unquam Hæreticus convinci queat, nixus interno Spiritus Teſtimonio: Singulos futuros Judices ſuæ Fidei ſummos: Monſtroſum eſſe, hanc

 Spiritus

Spiritus perpetuam atque infallibilem aſſiſtentiam ſingulis concede-re, & tamen denegare toti Eccleſiæ, quæ nihil aliud ſit, quàm omnium Fidelium Cœtus. Denique coactum fuiſſe *Calvinum*, ut doceret, hoc Teſtimonium Spiritus ſolum non ſufficere; quin potius eſſe explorandum certis indiciis, prout Johannes doceret in Epiſt. 1. cap. 4. ℣ſ. 1 *Ne cuivis Spiritui credite; ſed probate Spiritus, an ex* DEO *ſint.* Tertiò illi, qui vellicant Teſtimonium illud Spiritus S. quia ſc. multi reſiſtant Spiritui. Chriſtum teſtari, ſe voluiſſe Judæos congregare, ipſos tamen noluiſſe. Matth. 23. Stephanum Judæos reprehendiſſe & dixiſſe: *Vos Spiritui ſemper reſiſtitis, ſicut Patres veſtri* Actor. 7. cap. Paulum hortari, *Spiritum nolite extinguere.* 1. Theſ. 5. cap.

V. Nam primò, ſi agnoſcitur Internum Spiritus S. Teſtimonium de Divinitate Scripturæ, cadit illa toties ingeminata inter Authoritatem Scripturæ abſolutam & relatam quoad nos diſtinctio, quaſi ſcilicet hæc eſſet ex Eccleſiæ Teſtimonio, nec aliter nobis conſtet; Teſtimonium quippe illud internum Authoritatem Scripturæ quoad nos inſinuat, nobis illam certam reddit & confirmat. Secundò, ſi ſtatuitur præter illud internum neceſſarium eſſe externum Eccleſiæ Teſtimonium, quomodo ex ſola Lectione Scripturarum ſunt converſi quidam, ſolô Spiritu agente, quod proprii muneris? Tertiò, ſi admittatur Eccleſiæ Teſtimonium eſſe Medium ad fidem inductivum, nondum tamen evictum erit, eſſe medium neceſſarium, quo ſemper & ubique opus ſit, eſſe aliquod Medium, quod tam profunde ſeſe inſinuet, eſſe medium, quod ipſam Fidem divinam generet, quum tantùm præludat, habeat ſe ut externa quædam adminicula, internis proximè attingentibus ſuum Effectum cooperetur. Secundò ea, quæ in contrarium urgentur, non ſtringunt: Non enim ſequitur, DEUS non promiſit, affuturum ſingulis Fidelibus Spiritum Sanctum perpetuô & infallibiliter: Ergo ſimpliciter non promiſit, affuturum: adeſſentia perpetua & infallibilis dicit modum & gradum, à cujus negatione ad ipſius adeſſentiæ vel promiſſionis defectum non licet concludere; & quid reſpondebunt Pontificii ad dictum Jeremiæ 31. ℣ſ. 33? Secundò hâc ratione aperiri feneſtram omnibus Erroribus tam non concluditur, quàm non concluditur, exhibitione Verbi aperiri feneſtram Verbo fanaticorum, illud ipſum pro divino venditantium & jactantium; num, quia jactavit Sedechias Verbum divinum, Michæ Verbo

culum

etiam Fides fuit deroganda? Tertiò utique Hæreticus convinci poterit, etiam admiſſo teſtimonio Spiritus S. internô, ex Scriptura ſcil., cui Dogmata illa, quæ proponit, non congruunt, præprimis cum Hæreticus non habeat Teſtimonium illud, ſed præ ſe ferat tantùm, jactet; neque illud in genere Argumentorum, alteri perſuadentium Fidem, à nobis locetur. Quartò Judices fore ſingulos ſuæ Fidei ſummos, ſi de Fidelibus ſit ſermo, falſum, quia non in ſe, ſed in Spiritum teſtantem reſolvunt Fidem ſuam, qui ſummus Judex, ita tamen, ut maneat etiam exterior Judex ſummus, ille Spiritus in Scriptura vocem & Sententiam ſuam prodens & pronuncians. Quintò, Monſtroſum utique eſſet, ſingulis concedere hanc aſſiſtentiam perpetuam, & tamen denegare toti Eccleſiæ, ſed nec ſingulis conceditur, ſed tantùm Fidelibus, nec infallibiliter aſſiſtens eſſe dicitur, atque perpetuò, nec denique toti in ſuis Individuis negatur. Sextò denique, qui *Calvinum* ſequuntur, reſpondeant pro illo, nobis ſufficit certificare Teſtimonium hoc credentem, ſi diſputetur alicui, non dicimus recurrendum eſſe per petitionem Principii ad illum Spiritum, ſed ad Scripturam, in qua ille Spiritus habitat, loquitur, definit, qui ſibi ipſi adverſus eſſe nequit; Si itaque internum Teſtimonium reſpondet externo, quod probat, quod interius manifeſtat, quid ulterius deſideratur? Tertiò Scripturam eſſe Authenticam quoad nos ex interno Spiritus Sancti Teſtimonio; non evertitur ex Obſervatione Renitentiæ, partim quia illa renitentia, quæ reprehenditur à Chriſto & Stephano, non fuit contra internum Spiritus Sancti Teſtimonium, ſed externum: partim quia monitum Paulinum, ſecundum ipſos Pontificios Interpretes, loquitur, ad mentem *Chryſoſtomi*, non de interno Spiritus Teſtimonio, ſed de Chariſmatibus, quæ dantur ad aliorum Utilitatem, qualia recenſentur. 1. Corinth. 12. partim quia, ſi reſiſtentia obſtat Teſtimonio Spiritus S. interno, & ex illo Scriptura non habeat Authoritatem quoad nos, quâ ratione non obſtabit Teſtimonio Eccleſiæ, cui tamen tantùm tribuunt Pontificii?

VI. Non audiendi etiam ſunt *Arminiani*, qui primò in Confeſſione ſua ſicco pede tranſeunt hoc Teſtimonium, in quibusdam Indiciis ſubſiſtentes, *cap.* 1. cui addi poteſt *Catechiſmus*. Secundò in *Apologia*, *Teſtimonium hoc non dari, niſi Credentibus etiam verâ vivâq; Fide in* J E S U M C H R I S T U M *præditis, & ex Fide Spiritus iſtius divini auxilium cupientibus atq; implorantibus*, asſerunt.

ſerunt. Tandem hoc Teſtimonium apertè quibusdam ratiunculis impugnant, & ineptos eſſe dicunt, qui illud requirunt ad hoc, ut Libros hos divinos & Authoritatem divinam habere intelligamus, tum quia Spiritum S. eſſe, qui teſtetur, nec ſcire nec credere quiſquam poſſit, niſi primum ſciat ac credat, Libros hos divinos eſſe. Nuſpiam enim alibi, quam in Libris iſtis tradi, & ut ex natura habeamus, impoſſibile eſſe; tum quia certum ſit ex his Libris, Spiritum S. non dari, niſi iis, qui jam credunt Libros iſtos divinos eſſe, imò qui ſenſibus, qui Libris iſtis continentur, jam aſſenſum adhibeant, & ad eos ſeſe componere parati ſint, uti videre eſt, Joh. 7. ℣ſ. 38. cap. 14. ℣ſ. 17. Actor. 5. ℣ſ. 32. ad Galat. 3. ℣ſ. 2. & cap. 4. ℣ſ. 6. Actor. 15. ℣ſ. 7. 8. tùm quia dato etiam, non conceſſo, Spiritus S. Teſtimonio interno ad eam rem opus eſſe, id tamen non ſuffecturum in ordine ad nos de Authoritate divina iſtorum Librorum certiorandos.

VII. Imò concludunt, nec ſuffecturum ad eum ipſum, qui teſtimonio iſto ſe donatum affirmaret, debitè ac legitimè certum ac ſecurum reddendum de librorum ſacrorum divinitate: Debitè, inquam, ac legitimè; quia ſcribit illorum *Promachus: abſolute fieri poſſe non negamus, ut* D E U S *aliquem teſtimonio tali ſuo certum reddat ac ſecurum. Nam aut volumus eum certum ac ſecurum reddi teſtimonio iſto, quia credere atq; in animum ſuum inducere vult, teſtimonium iſtud eſſe teſtimonium Spiritus Sancti, & divinum afflatum; aut, quia ſcire, ac ſentire ſe dicit, eſſe teſtimonium Sancti Spiritus, & non aliud quid. Si prius volumus, tum ſane debite ac legitime certus non eſt; non magis quam debite ac legitime certus dici poteſt, qui contrarium credere atque in animum ſuum inducere vult. Si poſterius volumus, tum ſane debite eidem ac legitime certus non eſt, quia ſcientiam ac ſenſum iſtum teſtificantis Spiritus ſibi vendicat, antequam certus eſt,* D E U M *teſtimonio tali ad id perſuadendum & certum nobis reddendum uti velle. Nondum enim credit, aut certo ſcit, verbum illud divinum eſſe. Scit itaque ſine verbo & ſine fide verbo ulli divino, ex quo teſtimonio Spiritus S. certus reddi poteſt ac legitime reddi debeat, adhibita, teſtimonium. quod profecto eſt non debitè, nec legitime ſcire, ſed opinari & φαντάζεσθαι. Enimverò, quæ eſt regula iſta divina, ex qua, aut ad quam cognoſcit illam ſuam, quam appel-*

lat,

lat, ſcientiam, eſſe rectam ſcientiam, & divinæ voluntati conformem? ſive, quæ eſt nota illa characteriſtica, per quam diſcernit, iſtam ſuam perſuaſionem non eſſe meram opinionem, & mordicus arreptam imaginationem, ſed ab ipſo Spiritu S. inditam & impreſſam perſuaſionem? Pone enim, ex. gr. Judæum aut Muhamedanum aſſerere pari animo ac fiducia, Spiritum Dei *ſanctum ſibi teſtari, libros iſtos non eſſe divinos, quam viam inibit, ut ſuum, vel quod ſibi datum ait, teſtimonium verum, horum vero falſum eſſe doceat? Omnino par utrobique erit ratio & par jus, nec diſcriminis ulla nota aſſignari poterit. Dices: Illi ſine verbo & præter verbum id ſibi perſuadent. Idem, inquam, ille facit, qui libros hos divinos, divinum verbum eſſe, negat ſciri poſſe, niſi accedat teſtimonium Spiritus S. Teſtimonium enim illud, neceſſe eſt, ut ſibi dari credat ac dicat tum, quando nondum ſcit ac credit verbum divinum eſſe. Sine verbo ergò & præter verbum ut iſtud teſtimonium habeat, neceſſe eſt. Dices: Ex ipſis illis libris colligit teſtimonium Spiritus S. neceſſarium eſſe. Atqui, inquam, hoc ipſum etiam eſt, quod nondum ſcit aut credit eſſe divinum verbum, & ad quod ſciendum ac credendum opus eſſe ait teſtimonio Spiritus ſancti. Unde verò: niſi quia ſine verbo id ſibi ipſi perſuaſum ire vult? Itaque in eodem cum Judæis, Turcis, aliisque, perſuaſionis imaginariæ luto hæreat neceſſe eſt.*

VIII. Omnia enim hæc nullius ſunt ponderis: primum non concludit, quia, ſi concedatur, Spiritum eſſe, qui teſtetur, nec ſcire nec credere quenquam poſſe, niſi primùm ſciat & credat Libros hos divinos eſſe, aliud erit, noſſe Teſtimonium Spiritus Sancti ſimpliciter ſub ratione alicujus Beneficii revelati, & Objecti in Verbo propoſiti, aliud, illud intra ſe habere in Corde ſuo, ita ut illud experiatur, ſentiat, eoque ſtabiliatur. Si ponamus, nec ſcire nec credere quempiam poſſe, Spiritum S. eſſe, qui teſtetur, niſi prius credat Libros hos divinos eſſe, accipiendum erit ſub ratione alicujus revelati, & de Fide qualicunque ei ex adverſo reſpondente, ſed illud internum, quod in ſenſu Divinitatis conſiſtit & corroborat, abundanter & gratioſe confirmat. Non ſecundum, quia ſuppoſito, Spiritum non dari, niſi iis, qui jam credunt Libros iſtos divinos eſſe, ſequetur tamen dari, etſi nonniſi converſis; præterea num non fides illa Teſtimonio uberius conſolidari & perfici poteſt? & num, ſi mo-

ſi momenta Naturæ hic obſervari poſſunt, temporis duratio intercedet? Conſulatur inſuper Loc. 2. Corinth. 4. ℣ſ. 13. Tertiò, quidni Teſtimonium illud internum ſufficeret in ordine ad nos, de Authoritate divina iſtorum Librorum, certiorandos, quum nihil magis ſe habeat in Ordine ad nos? ſi ſc. de credentibus ſit ſermo, illud Teſtimonium habentibus, non autem de Ordine ad alios, quo quidem reſpectu concedimus non ſufficere; & an non ſufficit, quod certos reddat eos, qui Spiritus illius Teſtimonio donati? quia alii etiam gaudere poſſunt, ſi ſc. parem adhibeant cum cæteris diligentiam, legant, meditentur Verbum, ex cujus Lectione Spiritus ille ſubintrat. Tandem ultimum per prolixas ambages circumductum, breviter præſcinditur, ſi dicatur, certum utique eſſe talem, qui inſtructus ſit Teſtimonio Spiritus S. quia ſcit ac ſentit, non quia ſcire & ſentire ſe tantum dicit, eſſe Spiritus S. Teſtimonium in ſe & non aliud, nec ſcit absque Verbo, & ſine Fide illi Verbo divino adhibita, non enim opus nova revelatione, vel inſpiratione, ſed illud ipſum Verbum, per quod Spiritus teſtatur, ſenſu etiam Spiritus afficit.

IX. Denique ultimò pateſcit Photinianorum Perverſitas, quorum Promachus *in Inſtitutionibus* hæc prodidit. *Apparet, in quonam periculoſo errore verſentur ferè omnes Evangelici, præcipue Calviniſtæ, Schwenckſeldiani, Perfectiſtæ, & magna pars Anabaptiſtarum, qui hoc cenſent, ex auditu externi verbi* D*EI* *homines nihil auxilii habere, niſi Spiritus S. interne illos peculiari occulto modo doceat, & Fidem atque obedientiam ita in illis operetur.* Quæ quàm cruda ſint, Tyronibus Theologiæ conſtare poteſt, & ex antecedentibus deprehendi.

X. Stabiliunt hoc Teſtimonium Patres Eccleſiæ. *Auguſtinus* tomo primo, libro ſexto, confeſſionum capite quinto ſic loquitur: *perſuaſiſti mihi, non, qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus fere gentibus authoritate fundaſti, ſed, qui non crederent, eſſe culpandos, nec audiendos eſſe, ſi qui fortè dicerent, unde ſcis, illos libros unius veri & veraciſſimi* D*EI* *Spiritu eſſe humano generi miniſtratos. Id ipſum enim maxime credendum erat.* Et ſexto Tomo contra Epiſtolam Manichæi quam vocant fundamenti, cap. 14. *Eos ſequamur, qui nos invitant prius credere, quod nondum valemus intueri, ut ipſa fide valentiores facti, quod credimus, intelligere mereamur. Non jam hominibus, ſed ipſo* D*EO* *intrinſecus*

mentem

mentem noſtram firmante, atque illuminante. Denique in Confeſſionibus iterum: *Audiam*, inquit, *& intelligam, quomodo in principio feciſti cœlum & Terram, ſcripſit hoc Moſes, ſcripſit & abiit, tranſivit hinc ad te, neque enim nunc ante me eſt. Nam ſi eſſet, tenerem eum, & rogarem eum, & per te obſecrarem, ut mihi iſta panderet, & præberem aures corporis mei ſonis erumpentibus ex ore ejus. Et ſi hebræa voce loqueretur, fruſtra pulſaret ſenſum, nec modo mentem meam quicquam tangeret. Si autem latine, ſcirem quid diceret, ſed unde ſcirem, an verum diceret? quod ſi & hoc ſcirem, num & ab illo ſcirem? Intus utique mihi, intus in Domicilio cogitationis, nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec Barbara veritas, ſine oris ac linguæ organis, ſine Strepitu Syllabarum diceret, verum dicit, & ego ſtatim certus confidenter illi homini tuo dicerem, verum dicit.* *Baſilius* in Concione Pſalm. 115. Πίςις ὑπὲρ τὰς λογικὰς μεθόδους τὴν ψυχὴν εἰς συγκατάθεσιν ἕλκουσα: πίςις οὐχ' ἡ γεωμετρικαῖς ἀνάγκαις, ἀλλ' ἡ ταῖς τοῦ πνεύματος ἐνεργείαις ἐγγινομένη. *Fides ſupra rationales Methodos animum ad aſſenſum trahens. Fides non per Geometricas neceſſitates, ſed per Spiritus actiones accedens.*

XI. Ipſi Pontificii extra æſtum conſtituti hoc Teſtimonium probant, & vel apertis verbis profitentur, vel vi hypotheſeως inſinuant. *Melchior Canus* ita in locis Theologicis ſcribit: *Statuendum eſt*, inquit, *authoritatem humanam & incitamenta omnia illa prædicta, ſive alia quæcunque adhibita ab eo, qui proponit fidem, non eſſe ſufficientes cauſas ad credendum, ut credere teneamur, ſed præterea opus eſſe interiori cauſa efficiente, id eſt ſpeciali auxilio moventis ad credendum.* Et paucis interjectis: *externæ igitur omnes & humanæ perſuaſiones non ſunt ſatis ad credendum, quantumcunq; ab hominibus competenter ea, quæ fidei, proponantur. Sed neceſſaria eſt inſuper cauſa interior, hoc eſt divinum quoddam lumen incitans ad credendum, & oculi quidam interni* Dei *beneficio ad videndum dati.* Et iterum: *his tribus certis ſtabilibusq; ſententiis illa etiam conjuncta eſt, ultimam fidei noſtræ reſolutionem fieri in cauſam interiorem efficientem; i. e. in* DEUM *moventem ad credendum, verbi gratia, huic articulo,* DEUS *eſt trinus, & huic, Eccleſia non poteſt errare, & cæteris univerſis Doctrinæ Chriſtianæ principiis, aſſentior per infuſam fidem, non*

quòd Johannes dixerit, aut quivis alius homo, ſed quod Deus revelaverit: huic autem, quod Deus revelavit, immediatè credo, à Deo motus per inſtinctum ſpecialem. Itaq;, ex parte objecti, ratio formalis movens eſt divina veritas revelata: ſed illa tamen non ſufficit ad movendum, niſi adſit cauſa interior, hoc eſt Deus etiam movens per gratuitum ſpecialem ſue concurſum. Franciſcus Suarez ita ſcribit: *In actu exercito, dum Deus aliquid dicit, quaſi per intrinſecam reflexionem ejus actus in ſe ipſum, dicit ſe dicere. Hoc ergò modò Divinum verbum & rem dictam & ſe ipſum dicit, & hac ratione per fidem infuſam creditur, non per reſolutionem in aliud verbum, ſed per ſe ipſum.* Joh. Puteanus Auguſtinianus in 2. 2. quæſt. 1. art. 1. dub. 6. diſertè aſſerit, *aſſenſum fidei noſtræ reſolvi ultimò in motionem interiorem Spiritus S. Deus enim eſt*, inquit, *qui movet intellectum & voluntatem noſtram intrinſecè, ut aſſentiamur illis omnibus, quæ ſunt de fide Catholica, adeò ut motio iſta interior Spiritus S. ſit cauſa principalis aſſenſus fidei noſtræ.* Tandem Stapletonus: *Fides, quæ cœpit ab Eccleſiæ teſtimonio, quatenus proponit & inducit ad fidem, deſinit in Deo intus revelante, & intus docente, quod foris Eccleſia prædicavit. Prædicatio enim Eccleſiæ docet forinſecus, proponit, inducit, adjuvat, ſed cathedram habet in Cœlo, qui docet intus, ut docet Auguſtinus. Quo interno Magiſterio ſemel accedente locum habet illa Samaritanæ vox: Jam non propter loquelam tuam credimus, ipſi enim audivimus & ſcimus, quia hic eſt Salvator Mundi.*

Disputatio Decima Sexta

De

TESTIMONIO SPIRITUS S. INTERNO,

Thesis XII.

Ab Exiſtentia pergimus ad Eſſentiam, quæ quibusdam videtur breviter exponi poſſe negativè & poſitivè, ſi ſc. dicatur, illud non eſſe verbum ἄγραφον, præter Scripturam Sacram credendum: ſed eſſe vivum Scripturæ in cordibus

ἀπήχη-

ἀπόγραφον, adeòque, ſi Hypotypoſis doctrinæ ſpectetur, idem verbum ſcriptum, quod publicè legitur, Joh. 16. vſ. 13 2. Corinth. 3. vſ. 2. 3. aliis poſitum eſt in vi quadam cœleſti atque divina, quæ mentem ſic illuſtrat comparatque, ut ſit idonea, quæ veritatem divinam ſive divinitatem Scripturæ in ipſâ Scripturâ certiſſimè pervideat. Nos, ut diſtinctè progrediamur, notamus, illud Teſtimonium dicere formaliter actum aliquem divinum, qui appropriatur Spiritui Sancto, quo Homo de Scripturæ divinitate, Myſteriorum veritate, promiſſionum ſalubritate, & cæteris divinis objectis perſuadetur, ut Homo beneficio illius reddatur in iſtiusmodi objectis ἀμετάπτωτος.

XIII. Complectitur hic actus certos quoſdam gradus, quorum primus eſt Illuminatio; cùm enim Teſtimonium aliquid alicui notificet, Actor. 8. vſ. 25. 1. Petr. 1. vſ. 11. Apoc. 22. vſ. 16. Teſtimonium illud divinum internum in corde aliquid notum faciet, manifeſtabit, atque ita conſiſtet in illuſtratione mentis, in agnitione veritatis, ut Paulus loquitur Rom. 12. vſ. 2. inde hæc actio Spiritus Sancti mentes noſtras afficientis ſecundùm quoſdam deſcribitur per φωτισμὸν 2. Cor. 4 vſ. 6 per αὐγασμὸν. 2. Corint. 4. vſ. 4. per ἐπιφαύσει Eph. 5. vſ. 14. Alter eſt Inſcriptio Legis in cordibus; ut enim aliàs teſtimonio quodam vel voluntas alterius, vel factum, vel aliquid aliud communicatur excipienti. Act. 18. vſ. 5. cap. 20. 21. cap. 23. vſ. 11. ita Lex, ſive verbum, maximè Evangelii, beneficio hujus Spiritus inſcribitur, imprimitur, conceptus divinus communicatur, &, ut ſuprà diximus, ἀπόγραφον verbi quaſi exhibetur. Ebr. 8. vſ. 10. Tertius eſt unctio, confirmatio & obſignatio; quum enim Teſtimonium aliquam authoritatem habeat, &, quod ratio non aſſequitur, illud compleat, &, ſi à viro fide digno proficiſcatur, non tantùm apprehendatur, ſed etiam mentem ſtabiliat & obfirmet: Actor. 4 vſ. 33. cap. 20. vſ. 23. Johann. 15. vſ. 26. multò magis Teſtimonium Spiritus Sancti conſiſtet in Divinitatis, quâ gaudet Scriptura, confirmatione & *obſignatione in diem Redemptionis*, ut Paulus loquitur 2. Corinth. 1. vſ. 22. Eph. 3. vſ. 13. 14. atque ita contingit, ut verbum DEI *tanquam verbum DEI excipiatur*, juxta illud Pauli 1. Theſſ. 2. vſ. 13. hinc non malè non nemo: *Spiritus 1. ut Lux mentem hominis aperit, illuſtrat, perficit. 2. Ut Doctor & teſtis, ipſam rem objectam, præter externam revelationem, arcano modo efficacius revelatam animo ſuggerit, imprimit, inſcribit, fidemque ejus*

Mm 2 *facit.*

facit. 3. Inſtar ſigilli, pignoris, & arrhabonis veritatem confirmat & obſignat, animumq; ἀμετάθετον reddit. Hæc omnia Sp. Sancti opera ſynecdochice Teſtimonii Spiritûs S. nomine comprehendere Theologi ſolent: quod ſolum ſufficiens & efficax eſſe dicunt, ad auctoritatem Scripturæ agnoſcendam: ſine quo prædicta, & alia quæcunq; argumenta, utcunq; adverſarios convincere, & piorum etiam animos præparare ac confirmare poſſunt, fidem tamen hac de re divinam & πληροφορίαν efficere nequeunt.

XIV. Malè itaque arietare ſolent in hoc Teſtimonium 1. Photiniani, qui iſtiusmodi illuminationem negant, atque illos graviter & periculoſè errare judicant, qui internam illam illuſtrationem admittunt aut propugnant. Videatur *Oſtorodus* Inſtit. Lib. 1. cap. 5. *Stoinski* ad *Crellium, Jonasq; Schlichtingius* à *Bukowiz*. Arminiani, qui ad evidentiam objectivam recurrunt, & illud internum Lumen Spiritus exſibilant, inter quos *Simon Epiſcopius contra Walæum*. Novi Carteſiani, *Wolzogenius, Velthuſius*, & aſſeclæ, quorum poſterior eousq; progreſſus fuit in tractatu de uſu rationis, ut ſcripſerit; *Unum tantùm genus Luminis menti concipere licet; regeniti & non regeniti cognitio de rebus & Myſteriis fidei non differt Luminis ratione, neq; illius cognitio eſt diverſum cognitionis genus.* 2. Pontificii, qui inſcriptionem illam Spiritus exſibilant, atque admittunt quidem, dari Spiritum Sanctum, ſive Legem gratiæ & charitatis, menti aſpiratam & inſcriptam; unde *Auguſtinus* de Spiritu & Litera cap. 21. *quæ ſunt aliæ Leges à* D E O *ſcriptæ in cordibus, niſi ipſa præſentia Spiritus Sancti?* ſed advertunt ſimul, D E U M non ſe ſolo ſcribere Spiritum S. in corde & mente, ſicut ſcripſit ſolus Legem veterem in tabulis Lapideis, ſed requirere conſenſum & cooperationem Liberi arbitrii, & hanc eſſe conditionem Fœderis tàm Novi quàm Veteris: ſecundò inſcriptionem illam fieri ſtatuunt, quando imprimat fidem & prudentiam agendorum, crebrasque illuminationes & illuſtrationes, quibus oſtendat Menti, quàm pulchra ſit Lex Chriſti, quàm utilis, divina, ſuavis, quàm turpè ſit peccatum, quàm facilis pœnitentia, quàm amæna ſit vita pia & Chriſtiana. Quando 2. inſcribet hæc memoriæ: cùm horum memoriam imprimit homini & refricat. 3. Inſcribere hæc cordi & voluntati, cùm illis pias erga Legem D E I affectiones, complacentias, impulſus, promptitudinem, & tandem charitatem infundat, ut voluntas dicat: *Domine da, quod jubes, & ju-*

be.

be, *quod vis*, ſecundum *Auguſtinum* de ſpiritu & litera cap. 17. Tertiò quum dicitur, *non docebit vir proximum ſuum*, hoc non eſſe ita accipiendum, quaſi Spiritus cujusque ſit judex controverſiarum fidei, & regula agendorum: Hunc enim ab aliis videri & ſciri non poſſe: & quemque dicturum, ſe hunc habere, ſicque in Eccleſiâ ſummam fore confuſionem & diſſidium, uti ſit inter Lutheranos & Calviniſtas, imò inter ipſos Calviniſtas in Hollandiâ, & alibi: Hunc ergò Spiritum non eſſe Spiritum Dei, ſed Diaboli. 3. Arminiani, qui unctionem illam, de quâ Johannes, intelligunt de immateriali & ſpirituali quâdam actione, aptâ natâ ad producendam cognitionem & notitiam in mente & intellectu; qualis eſt actio ſenſuum verbo propoſito velut ſigno contentorum, qui ita agunt in animam, ſicut ſigna ipſa in ſenſus externos: quum verbum, quatenus ſonus, ſenſum feriat, quatenus ſenſum continet verum aut falſum, animam & intellectum. 2. Photiniani, qui cum *Jona Schlichtingio à Bukowiz* confirmationem accipiunt de ſtabilimento affirmationis & aſſeverationis Evangelicæ tùm in Apoſtolis tùm in reliquis per divina opera & miracula. 3 Pontificii, qui obſignationem referunt ad impreſſionem characteris in tribus Sacramentis, Baptiſmo, ordine, & confirmatione, de quo videndi *Bellarminus*, *Gregorius de Valentia*, *Jodocus Keddius*, & alii; vel ad electionem æternam & prædeſtinationem cum *Juſtiniano*, vel denique ad varia Spiritus S. chariſmata, cum *Cajetano*, & aliis.

XV. Quis enim non videt, cui ſunt oculi ex Spiritu, Photinianos graviter errare cum Arminianis & novellis iſtis Philoſophis, quum omnes ſupponant, non tantam eſſe corruptionem Hominis poſt Lapſum, quanta ab Orthodoxis docetur, menti humanæ non connaſci tantas tenebras, ut Luce inſigni opus ſit etiam internâ, rationem noſtram non eſſe cæcam, ſed appoſito lumine externo ad videndum vel ſatis aptam vel tantùm languidam, contra Effatum Apoſtoli 1. Corinth. 2. ℣ſ. 14. ut reliqua brevitatis ſtudio prætercam. Secundò quis non videt, Pontificios propria vineta cædere, adducendo *Auguſtinum*, qui planè noſter eſt, idem dicit, quod nos aſſerimus? Quis non obſervat illam Phraſin, de Lege gratiæ, heterodoxam, quaſi daretur peculiaris aliqua Lex gratiæ & charitatis Novi Teſtamenti temporibus propria? Quis non animadvertit Synergiſmum Hominis mortui, adeòque contradictorium, gloriæ Divinæ Diminutionem in partitione gratioſæ inſcriptionis, Conſenſum & cooperationem liberi

Arbitrii, quod ſervum, quod non niſi ad malos fructus pronum, quod omnibus viribus deſtitutum? annon, ut DEus ſolus ſcripſit Legem veterem in tabulis lapideis, etiam Novam inſcribit cordi ſaxeo per naturam, & proinde planè non ad ſcriptionem, conſenſum, & cooperationem apto? Secundò modi inſcriptionis aſſignati partim ſtabiliunt internum Spiritus Teſtimonium; eo ipſo quippe, quo fidem ſalvificam & prudentiam agendorum, crebraſque illuminationes & illuſtrationes imprimit Spiritus, internè ſe præſentem exhibet, teſtatur de veritate verbi & credendorum, quibus fides adhibetur, dirigit hominem in actionibus, illuminat; quem actum ſupra teſtimonio huic aſſignavimus; partim inſufficienter exponunt: quùm memoriæ mandare non ſit actus adæquatus tàm auguſto beneficio explicando, etiam poſſit fieri quandoque citra operationem illam internam Spiritus, & naturaliter etiam recondantur, quæ ex Scriptorum Lectione & orali informatione hauriuntur: partim confundunt illam motionem piam voluntatis, flexionem animi ad obſequium, cum ipſa inſcriptione, prout dicit communicationem conceptuum divinorum ſine teſtimonio Spiritus Sancti; quamvis enim hæc connexa eſſe non negemus, commodè tamen diſtingui poſſe cenſemus. Tertiò Judex Controverſiarum & Regula credendorum Nobis non eſt Spiritus ille privatus, inprimis, quo ſenſu Pontificii illum accipiunt, atque per calumniam nobis objiciunt, ſed Scriptura ſive Spiritus Sanctus in illa loquens, judicans, definiens, dirigens; nec obſtat, quòd quiſque dicat, ſe hunc habere, quum aliud ſit, jactare illum, aliud verè habere; num qui jactat, ſe gaudere teſtimonio Eccleſiæ, propterea cenſetur illud habere pro ſe? & num non etiam, poſito Eccleſiæ teſtimonio, nihilominus diſſidia vigent in Papatu? ut ovum ovo, Lac lacti, non tàm ſit ſimile, atque caſtra Pontificiorum caſtris Midianiticis, in quibus gladius Socii contra Socium, Jeſuitæ adverſus Dominicanos, Arnaldiſtas, Janſeniſtas, & viciſſim hi contra illos. Non malè ex noſtris Theologus celeberrimus. *Teſtimonium ille dat Spiritui noſtro, ita dat, ut ab eo dari & divinum illud eſſe, protinus ſciamus. Ut enim dum vivimus, nos vivere, dum credimus, nos credere actu ipſo experimur: ita dum Spiritus S. Veritatem in nobis confirmat, dum per verbum operatur, & de verbo intus teſtificatur, tum eum operari & teſtificari ſimiliter actu ipſo experimur. Et veluti credens non cogitat de rationibus, ex quibus ipſi*

conſtet,

conſtet, quod credat, ſed ſenſum fidei ipſe percipit: Sic equidem quoad internam Spiritus Sancti operationem & teſtificationem, non opus habet novâ ratione, unde conſtet ipſi, quòd illa operatio & teſtificatio ſit divina, ſiquidem ex ipſo actu, cordisque ſui motu præternaturali Divinitatis ſenſum confeſtim percipit. Tertiò Arminiani malè illam unctionem de externa tantùm doctrinâ, Revelatione, & inſtitutione explicant; loquitur enim Apoſtolus de tali unctione, quæ à Chriſto, capite Eccleſiæ, per internum influxum deſcendit in contradiſtinctione ad Hæreticos, quibus non defuit verbum aut externus credendorum Typus; loquitur de unctione tali, quæ eſt ex oleo Spiritus S. qui intimè omnia pervadit, irrorat, & ſcire facit, ſcientia ſc. certa & divina, quæ non niſi per Teſtimonium certum in cordibus fidelium, ex quo oleo Dignitas regalis, Sacerdotalis, Prophetica, vires Spirituales, lætitia ſingularis, & Sanitatis reſtitutio. Photiniani confirmationem nimis exiliter accipiunt, dicit enim Apoſtolus, DEUM confirmaſſe ſe & Collegas ſuos cum Corinthiis in CHRISTUM, ut firmiter ſc. ei inhæreant; DEUM ita confirmaſſe, ut unà unxerit, obſignarit, & dederit ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος in corda ipſorum; dicit, confirmaſſe, ſc. prout alibi dicuntur fideles confirmati Col. 2. ℣ſ. 7. Ebr. 6. ℣ſ. 19. cap. 13. ℣ſ. 9. quanquam itaque nolimus excludere confirmationem veritatis & doctrinæ cœleſtis per miracula, minus tamen dicere illos, qui in ſola hâc hærent, quam textus exigit, ex dictis fundamentis arbitramur. Pontificii tandem ſomnia vendunt, & nebulas in pariete pingunt: Character enim eſt qualitas aliqua abſoluta, impreſſa animæ, indelebilis, ita, ut etiam in inferno non amittatur; At num Spiritus S. qui Sigillum dicitur Eph. 1. ℣ſ. 13; eſt qualitas quædam abſoluta, excutii à peccantibus nequit, in damnatis permanet? Æterna dilectio & prædeſtinatio habet ſeſe circa hominem extrinſecè, vocatio efficax à ſufficiente diſtincta non datur; electi, quales finguntur hoc ſigillo obſignati, nuſpiam in Scripturis reperiuntur. Denique Chariſmata ita hic accipienda ſunt, ut ipſi Spiritui præſenti, teſtificanti, & obſignanti, non contradiſtinguantur, aut opponantur.

XVI. Objectum hujus Teſtimonii interni, juxta Johannem, eſt Spiritus, ſive verbum, quòd ſc. illud ſit veritas; quum enim Diabolus, tanquam Pater mendacii, veritatem Scripturæ labefactare intendat, quum Hæretici, qui ex Scriptura arguuntur, in ipſam

ſuam

ſua ſpicula convertant, quum Caro noſtra dubitationum procellis quandoque exagitetur, ideòque opus eſſe cenſemus Teſtimonio quodam firmiſſimo, quod tot hoſtibus & teſtibus falſis par ſit, imò ſuperius, nebulas diſcutiat, Cor ſtabiliat, animum conſervet. Quanquam enim hoc Teſtimonium etiam verſetur circa juſtitiam Chriſti nobis imputatam, ex quo facta πληροφορία Ebr. 10. ℣ſ. 22. 23. circa perſeverantiam in fide, de qua Rom. 8. ℣ſ. 15 16. 17. 31. 32. & ſeq. circa Beatitudinem æternam, quam expectamus Joh. 10. ℣ſ. 27. 28. 29. maximè tamen hic ſoliciti ſumus de Teſtimonio hoc, prout confirmat ipſum principium fidei in nobis, juxta illud Pauli 1. Corinth. 2. ℣ſ. 12. genuinum ſenſum illius, qui in hunc Spiritum refertur Eph. 1. ℣ſ. 17. 18. 19. conſequenter veritatem dogmatum in Scriptura expreſſorum, ut ſc. ſimus in fide ſtabiles, fundati, & immobiles, juxta illud Pauli ad Eph. 4. ℣ſ. 4. Coloſs. 1. ℣ſ. 23 & 1. Tim. 1. ℣ſ. 12.

XVII. Improbamus igitur meritò illos primò ex Pontificiis, qui docent publicam Revelationem ſufficere, eamq; ſingulis applicari per prædicationem Evangelii & Authoritatem Eccleſiæ, vi dicti Marc. 16. *Euntes in univerſum Mundum, predicate Evangelium omni Creaturæ*, & Rom. 10. ℣ſ. 17. ubi *fides* dicitur *ex auditu*. Secundò qui docent, nullius privati eſſe, beneficio Spiritus interioris circa ſenſum Scripturæ occupari, ſed acquieſcendum eſſe Explicatione Doctorum & Patrum. Denique qui probant tritam ſimplicitatem, qua quis ſufficienter ſeſe expediat, dicendo: *Credo, quod credit Eccleſia Catholica.*

XVIII. Subjectum hujus Teſtimonii ſunt regeniti, fideles ſive credentes, atque in illis νοῦς ſive mens, Rom. 12. ℣ſ. 2. Καρδία, ſive Cor, Actor. 16. ℣ſ. 14. διάνοια ſive ratio. Ebr. 8. ℣ſ. 10. *Spiritus* enim *teſtatur, quòd Spiritus ſit veritas*, non ubique in omnibus & ſingulis, in quibus nec eſt, nec operatur, quales irregeniti: nec etiam in illis, qui adhuc ſunt in viâ converſionis, circa quos occupatur extrinſecè, tantùm illuminatione objectivâ præſuppoſitâ, incapacitatem tollendo, reſiſtentiam refrænando, & aliqualem literalem notitiam & Hiſtoricum aſſenſum inducendo, ſed tantùm in converſis, in quibus jam eſt tanquam in Domicilio ſuo, quos jam gratioſè inhabitat, ad quos Chriſtus venit per aquam & ſanguinem; illi enim gaudent hoc Teſtimonio, ſuper quos abundanter in Baptiſmo effuſus eſt, Tit. 3. ℣ſ. 5. qui poſtquam crediderunt, obſignati ſunt Spiritu promiſſionis Eph. 1. ℣ſ. 14. qui jam filii DEI. Gal. 4. ℣ſ. 6. unde etiam Spiritus dicitur adoptionis, Rom. 8. ℣ſ. 14.

XIX.

XIX. Errare itaque cenſemus omnes illos, qui I. cum Pontificiis negant, hunc Spiritum dari omnibus & ſingulis fidelibus, ſed reſtringunt ad Prælatos Eccleſiæ, quò ipſi dirigantur in gubernatione Eccleſiæ, & deciſione controverſiarum fidei, quando id neceſſitet, ut loquitur *Martinus Becanus*: & propterea dicta ſcripturæ referunt vel ad Apoſtolos, vel ad Eccleſiam ſuo modo totam, contra quos diſertè Paulus 1. Corinth. 2. ℣ſ. 12. 2. Cor. 1. ℣ſ. 21. 22. ad individua etiam deſcendens. II. omnes illos, qui ſolis electis ex abſoluto quodam prædeſtinationis decreto hunc Spiritum tribuunt, ejusque teſtimonium vindicare nituntur, quum, quotquot fideles, illo gaudeant, vi locorum ſuprà allegatorum. Denique III. qui fanaticos nullo fundamento ſubnixos hoc ornamento dignos æſtimant, de quibus in diſcurſu.

XX. Probè autem obſervandum, non eſſe internum illud Teſtimonium diviſum à verbo, aut doctrinam quandam recipi poſſe, vel etiam interpretationem, quaſi dictatam à Spiritu, quæ non ex ipſa Scriptura radiet; verùm conjunctiſſima ſunt verbum & Spiritus, ut rectè dicatur: Verbum Dei foris prædicatum, & internum Spiritus S. teſtimonium non habent diverſos ſenſus: ſed ſunt una eademque doctrina cœlitus ab uno eodemque Spiritu S. profecta; hinc æquè facile eſt, refellere illum, qui Spiritus S. teſtimonium internum falſo jactitat, quàm eum, qui falſam Religionem contra verbum Dei prædicatum propugnat. *Quia idem Spiritus S. & per externum ſuum verbum, & per internum teſtimonium, in corde nos docet, iidemque & minimè diverſi ſunt ſenſus, de quibus Spiritus Sanctus foris prædicato verbo, & intrinſecus nobis teſtimonio ſuo interno teſtificatur: Actus duntaxat teſtificandi geminus eſt, externus & internus*, ut loquitur B. *Höpfnerus*, Iſagog: ad cœnam Tractatu ſect. 1. practico. art. 2. c. 1. aph. 15.

XXI. Procul itaque abſint omnes illi, qui verbum & Spiritum, illiusque Teſtimonium ſeparant. 1. Anabaptiſtæ, de quibus videndus *Lutherus* Tomo tertio Jenenſi. 2. David Joriſtæ, de quibus *Nicolaus Blesdikius*. 3. Schwenckfeldiani, de quibus *Wigandus* in Schwenckfeldianiſmo. 4. Wigeliani, de quibus B. noſter *Thummius*. 5 Libertini, qui ſtatuunt, Deum ſine illo verbo externo, ſolo Spiritus inſtinctu, velle ducere & docere, quæ credenda ſint & facienda; de quibus *Calvinus*. 6. Sociniani, de quibus *Feurbornius*.

bornius. 7. Arminiani, qui ſenſus verbo comprehenſos objectivè tantùm agere & moraliter aſſerant, quia aliud nihil contineant, quam hortationes, promiſſiones, comminationes, de quibus *Contra-Remonſtrantes.* 8. Novelli Prophetæ, *Theophraſtus Paracelſus, Jacobus Böhem, Elias Prætorius*, & iſtiusmodi furfuris plures, qui in Spiritu extra verbum quærunt fundamentum, per immiſſionem Spiritus extra verbum intra quadrantem horæ plus profeciſſe ſeſe jactant, quàm ſi per plures annos in Univerſitatibus & Academiis ſtudio ſacro operam dediſſent, imò Scripturam impedimentum Spiritus eſſe deblaterant, de quibus *David Gilbertus.* 9. Quakeri, qui Scripturam indicem eſſe volunt ad Chriſtum, non autem ipſam Lucem, & quemvis Hominem Lumen conſcientiæ intra ſeſe habere garriunt, ut Scripturâ carere poſſit, nec eſſe viam ad notitiam Chriſti Scripturam, ſed reflexionem mentis in ſeipſam, de quibus *Miniſterium Hamburgenſe.* 10. *Johann de Labadie cum Petro Yvone, & Petro du Lignun*, qui ita: *Abſit à nobis, (qui continenter per ejus gratiam hoc experimur,) ut verbo ejus vivo denegemus, quod ſcripto tribuimus. Abſit, ut ori ejus minus adſcribamus, quam Amanuenſium ejus calamo deputamus! Firmiter ideò atq; intrepide ad ejus ſummam gloriam aſſerimus, quod, etſi liber iſte fidelibus deeſſet, doctrina tamen divina non deficeret: Doctorem ſemper ſuum haberent præſentem, qui eos de patris ſui voluntate inſtructos informatosque, ſecundum immutabiles ejus promiſſiones, plenè ſufficienterq; redderet. Hoc fatetur, qui* C H R I S T U M *non abnegat, & hoc toto corde amplectitur, qui Chriſtiani hominis prærogativas novit, ac demirabundus ſuſpicit.* De quibus *Andreas Pauli*, & alii.

XXII. Affectiones hujus Teſtimonii ſunt I. Summa certitudo. Spiritus enim, qui fallere nequit, teſtatur, quòd Spiritus ſit veritas: Solum autem hoc ſufficit ad perſuadendum, ita ut vel accendat, vel foveat, aut ſuſtineat fidei illam πληροφορίαν, quâ omnes dubitationum diſſipantur nebulæ, authore eo Spiritu, *qui cathedram habet in cœlo, & in corde docet intus*, ut loquitur *Auguſtinus.* Unde & illud *Baſilii* in Pſalmum 115 *Poteſt quidem ſine hoc Spiritus Teſtimonio eſſe aliqua Scripturæ cognitio: verùm fiducia filialis & ſalutaris ſine ea minimè conſtat.* Uti patet ex *Auguſtino* tom. 6. lib. contra Epiſt. Manich. quam vocant fundamentalem, cap. 14.

Eos

Eos ſequamur, qui nos invitant prius credere, quod nondum valemus intueri, ut ipſi valentiores facti, quod credimus, intelligere mereamur: non jam hominibus, ſed ipſo D E O *intrinſecus mentem noſtram firmante ac illuminante.* II. Inæqualitas, neque enim, ut indulgetur Spiritus, etiam teſtimonio ſuo ſeſe habet in corde hominis pari menſura, & quanquam omnes & ſinguli fideles Spiritum D E I habeant, tamen quidam dicuntur Spirituales, quidam carnales & infantes in Chriſto. 1. Cor. 3. III. Amiſſibilitas, ut enim Spiritus ipſe excuti poteſt per peccata, ita & Teſtimonium hoc, quod ab illo proficiſcitur, ceſſare, imò planè tolli. Effectus verò ſunt varii, de quibus alio die.

XXIII. Quomodo hoc Teſtimonium comparetur, etiam disquiritur. Aſſerimus autem illud parari Primò, non reſiſtendo; ut enim Gratia intercidit Renitentium vitio, ita quoque teſtimonium illud, quod ad Gratiæ convertentis opus ſequitur. Secundo, totis viribus in id incumbendo, ut doctrinæ propoſitæ verè obſequamur; Johannis cap. 7. ℣ſ. 17. *Si quis voluerit facere, quod Pater meus vult*, inquit Chriſtus, *cognoſcet de doctrina, utrum ex* D E O *ſit.* Tertiò, ardentibus votis D E U M ſolicitando, quò Spiritu ſuo ſancto conſcientias noſtras certiores reddere, nobisque perſuadere velit, doctrinam revelatam in S. Literis, Doctrinam eſſe D E I. *Petite*, inquit Chriſtus, *& dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis: Quisquis enim petit, accipit: & qui quærit, invenit: & ſi qui pulſat, aperitur*, Matth. 7. ℣ſ. 7. 8. Et alibi ait: *Pater veſter cœleſtis dabit Spiritum Sanctum petentibus ab ipſo*, Luc. 11. ℣ſ. 13. Huc facit & illud Jacobi cap. 1. ℣ſ. 5. *Si quis veſtrum indiget ſapientiâ, poſtulet à* D E O, *qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.*

DISPUTATIO DECIMA SEPTIMA
De
TESTIMONIO EXTERNO,

THESIS I.

ULtimum, quod pro Divinitate & Majeſtate Scripturæ producimus, eſt Teſtimonium hominum: Qui varii generis & ordinis: & Primò quidem occurrunt Prophetæ & Apoſtoli, qui non tantum teſtantur de Scriptis ſuis, quod

ſint genuina: nomine præfixo, ſtylo, ſubſcriptione, manu propria, facta peculiari obſignatione, & ad alia ſcripta provocatione: ſed & authoritatem divinam Codicis inſinuant, & Scripturam commendant qualitate in illis, ratione una & altera. Nam ſi conſideres illos I. ante muneris ſuſceptionem: fuerunt rudes, & per informationem longi temporis ad hanc notitiam rerum divinarum non deducti, ut Moſes: nam Moſes, David, Amos, pecuarii, Exod. 3. ℣ſ. 1. 1. Sam. 16. ℣ſ. 11. Amos. 1. ℣ſ. 1. Jeremias prope adhuc puer: Apoſtoli ἀγράμματοι καὶ ἰδιῶται, Act. 4. ℣ſ. 13. & nihilominus tàm ſublimia, tot linguis, quas non didicerant, prodiderunt: fuêre hoſtes & adverſarii: deprecatus fuit Moſes vocationem, Exod. 3. ℣ſ. 11. & 13. & cap. 4. ℣ſ. 10. Proteſtatus eſt Jeremias, cap. 1. ℣ſ. 6. Fugit Jonas, cap. 1. ℣ſ. 3. Sæviit Paulus, ipſum CHRISTUM perſequens, Actor. 9. ℣ſ. 9. Unde itaque illa ſubmiſſio, niſi ex vi divina ad cordis usque immutationem pertingente? Fuêre vitæ non ſatis probatæ; quam non celare ſtudent, ſed publicant ingenuè: non parcit Proavo ſuo Levi, ſed facinus recenſet cum Simeone adverſus Sichemitas patratum, Gen. 49 ℣ſ. 5. non tacet fratris Idololatriam, Exod. 32. ℣ſ. 1. non Sororis Miriam, Num. 12. ℣ſ. 1. Non propriam dubitationem, *Moſes*, Num. 20. ℣ſ. 11. Peccata Juventutis David non diſſimulat, Pſalm. 25. ℣ſ 7. & cum in ſtatu gratiæ relapſus in profundum adulterii & homicidii, in Pſalm. 51. miſeriam retegit, fœditatem peccati deplorat. Non colorare ſtudet peccata populi ſui Daniel, ſed aperit, exaggerat. Cap. 9. ℣ſ. 5. & ſeq. Matthæus fuerat Publicanus, ſævus exactor vectigalium; Petrus Apoſtata; Paulus ſanguinarius hoſtis & perſequutor Eccleſiæ: & tamen vel ipſi hoc manifeſtarunt in ſcriptis, vel per alios voluerunt conſignari. Quis non arrogantiam, homini congenitam, divinitus repreſſam colligat ex tàm ſincera lapſuum confeſſione? II. In ipſo ſtatu officii & muneris commiſſi fuerunt pii & ſimplices, ut columbæ, induſtrii, & in labore ſacro indefeſſi; virtute Thaumaturgica illuſtres; Diabolo & ejus machinationibus formidabiles, Luc. 10 ℣ſ. 17. non opum ſitientes, non vanæ gloriæ cupidi; patienter ferentes contemtum, paupertatem, & alia vitæ incommoda. Latè pertractat hoc Argumentum *Marſilius Ficinus* cap. 7. ſcribens: *Quo animo* CHRISTI *Diſcipuli laborarint, declarat Paulus in epiſtola ad Romanos: quis, inquit, nos ſeparabit à charitate* CHRISTI*? tribulatio? an anguſtia? an perſequutio?*

tio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? ſicut ſcriptum eſt: quia propter te mortificamur tota die. Æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. Certus ſum enim, quòd neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque poteſtates, neq; virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos ſeparare à charitate DEI, *quæ eſt in* CHRISTO JESU *Domino noſtro. Idem, poſtquam Corinthiis enumeravit multa laborum tormentorumq; genera, & quæ tulerat & quæ ferebat, ſubjunxit: in hisce lætari, gloriari, corroborari. Idem ſcribit, dum Romæ vinctus eſſet, ad Philippenſes: in nullo confundar, ſed cum omni fiducia, ſicut ſemper, & nunc exaltabitur* CHRISTUS *in corpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem. Mihi enim vivere* CHRISTUS *eſt, & mori lucrum. Quod ſi vivere in carne, hic mihi fructus eſt operis: quid eligam, ignoro. Coarctor autem è duobus. Deſidero enim diſſolvi, & eſſe cum* CHRISTO*: atque hoc quidem mihi multò melius: permanere autem in carne propter vos, neceſſarium eſt. Subjungit divinans in hunc modum: & hoc confidens ſcio, quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum & gaudium fidei, ut gratulatio veſtra abundet in* CHRISTO JESU *in me per meum adventum iterum ad vos. Et paulò poſt: Vobis donatum eſt pro* CHRISTO*, non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini: Idem certamen habentes, quale & vidiſtis in me, & nunc audiſtis de me. Liberatus autem eſt, ut prædixit, à vinculis, rediitq; ad illos. Idem ad Coloſſenſes: Permanete in fide fundati, & ſtabiles, & immobiles à ſpe Evangelii, quod audiſtis, quod prædicatum eſt in univerſa creatura, quæ ſub cœlo eſt, cujus factus ego ſum Paulus miniſter, qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſioni* CHRISTI *in carne mea pro corpore ejus, quod eſt eccleſia. Idem ad Theſſalonicenſes; Nemo moveatur in tribulationibus iſtis. Ipſi ſcitis, quod in hoc poſiti ſumus. Nam quum eſſemus apud vos, prædicebamus vobis, paſſuros nos tribulationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis. Idem ad Timotheum: non dedit nobis* DEUS *ſpiritum timoris, ſed virtutis & dilectionis & ſobrietatis. Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum ejus, ſed collabora in Evangelio ſecundum virtutes* DEI. *Et paulò poſt:*

propter Evangelium hæc patior, ſed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem. Item poſt pauca: in Evangelii prædicatione laboro uſque ad vincula quaſi malè operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum. Ideò omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jesu cum cœleſti gloria; fidelis ſermo: Nam ſi commortui ſumus & convivemus: ſi ſuſtinemus, & conregnabimus. Si negaverimus, & ille negabit nos. Si verò non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt. Item; ſcis quales perſequutiones & paſſiones ſuſtinui Antiochiæ, Iconiæ, Lyſtris, & ex omnibus eripuit me Dominus: & omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſequutionem patiuntur. Similiter Corinthiis: Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferimus, ut & vita Jesu in corporibus noſtris manifeſtetur. Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut & vita Jesu manifeſtetur in carne noſtra mortali. Unde Galatis: Ego ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto. Rurſus Corinthiis: puto nos Apoſtolos noviſſimos Deus oſtendit tanquam morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus huic mundo & angelis & hominibus. Et poſt pauca: uſq; in hanc horam eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris, ſcilicet comparandi victus gratiâ. Nunquam enim voluit alieno labore vivere. Et ſequitur: Maledicimur & benedicimus: perſequutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus, tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium περίψημα, id eſt rudera atque ſordes. Idem Romanis: Gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quod tribulatio patientiam gignit, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit. Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Similiter Galatis: Abſit, ut glorier in alio, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Item: Cum Chriſto affixus ſum cruci. Vivo autem jam non ego: vivit verò in me Christus. Sed audi rurſus, quid Romanis dicat: Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Ipſe enim

ſpiritus

ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii D e i *: ſi autem filii, etiam hæredes, hæredes quidem* D e i *, cohæredes autem* C h r i s t i *: Si tamen compatimur, ut & glorificemur. Exiſtimo enim, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Nam exſpectatio creaturæ revelationem filiorum* D e i *exſpectat. Idem Corinthiis. Si mortui non reſurgunt, cur nos periclitamur omni hora? Quotidie morior propter veſtram gloriam, fratres, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Quod ſecundùm hominem ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? Rurſus: tribulamur fratres, pro veſtra exhortatione & ſalute, quæ operatur in vobis tolerantiam earundem paſſionum, quas & nos patimur, ut ſpes noſtra firma ſit pro vobis, ſcientes, quod ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis. Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione noſtra, quæ facta eſt nobis in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus. Item; ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. Nam & quum veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus. Unde Epheſiis ait: Ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu pro vobis Gentibus obſecro, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra. Deniq; ait: ſe pro Chriſto legatione fungi in catena. Philippenſibus ait: ſe omnia, quamvis maxima, nihili pendere, & ut ſtercora exiſtimare, ut Chriſtum lucretur, ſociusque ſit paſſionis ejus, configuratus morti ejus ad reſurrectionem promerendam. Item: converſatio noſtra in cœlis eſt, unde etiam ſalvatorem exſpectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ ſecundum operationem ſuam, qua poſſit etiam ſubjicere ſibi omnia. Itaque fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum & corona mea, ſic ſtate in Domino, chariſſimi. Theſſalonicenſibus autem: Vos quoq; imitatores noſtri facti eſtis, & Domini excipientes verbum in tribulatione multâ, cum gaudio Spiritus ſancti. Scitis fratres, introitum noſtrum ad vos inanem non fuiſſe, ſed ante paſſos, contumeliiſq; affectos, ſicut nôſtis, in Philippis, magna cum fiducia & ſolicitudine in Domino vobis Evangelium prædicaſſe. Facti eſtis imitatores eccleſiarum* D e i *, quæ ſunt in Judæa, in Chriſto Jeſu. Eadem enim paſſi*

eſtis

eſtis & vos à contribulibus veſtris, quæ & ipſi à Judæis: Conſolati ſumus in vobis, fratres, in omni tribulatione & neceſſitate noſtra per veſtram fidem, quoniam nunc vivimus, ſi vos ſtatis in Domino. Hebræos præterea ita cobortatur: *Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum, & in altero quidem opprobriis & tribulationibus ſpectaculum facti, in altero autem ſocii taliter converſantium effecti. Nam & vincti compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes, vos meliorem habere, & manentem ſubſtantiam in cœlis. Nolite itaq; amittere fiduciam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Item: *Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jeſum Filium* Dei, *teneamus ſpei noſtræ confeſſionem.* Item: *Et nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumdans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen: aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemta, atque in dextera ſedis* Dei *ſedet.* Sed neſcio quo ſpiritu ad illa, quæ ad Corinthios ſcribit, redire compellor: *Ego in laboribus pluribus, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter; à Judæis quinquies quadragenas una minus accepi, ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpe periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, præter illa, quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor.* Deus *& Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti ſcit, qui eſt benedictus in ſecula, quòd non mentior. Damaſci præpoſitus gentis Arethæ regis cuſtodiebat civitatem Damaſcenorum, ut me comprehenderet, & per feneſtram in ſporta demiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus ejus.* Laudat quin etiam Corinthios, quod ſuſtineant, *ſi quis in ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur,*

tur, ſi quis in faciem cædit. Qui autem ipſe non pro ſua, ſed pro ſola Chriſti gloria, contenderet, ſic aperit; inter vos alius dicit, ego quidem ſum Pauli, alius, ego Apollo: Nonne homines eſtis? Quid enim eſt Apollo? Quid verò Paulus? Miniſtri ejus, cui credidiſtis, & unicuiq; ſicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit: ſed Deus incrementum dedit. Itaq; neq; qui plantat, eſt aliquid, neq; qui rigat: ſed qui incrementum dat, Deus. Qui autem plantat, & qui rigat, unum ſunt. Nemo enim in hominibus glorietur. Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas: ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura, omnia veſtra ſunt: vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. Sed audi & illud: Charitas non quærit, quæ ſua ſunt, & omnia ſuſtinet. Charitas nunquam excidit. Huic ſimile illud Canonicæ Johannis: Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem. Concludamus jam verba Pauli cum epiſtolâ ad Timotheum: In hoc laboramus & maledicimur, quia ſperamus in Deum vivum. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Jeſus venit in hunc mundum, ut peccatores ſalvos faceret, quorum primus ego ſum. Sed ideò miſericordiam conſequutus ſum, ut in me primò oſtenderet Chriſtus Jeſus omnem patientiam ad inſtructionem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam: regi ſeculorum, immortali, inviſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſecula ſeculorum. Hæc Paulus Apoſtolus. Johannes quoque Apoſtolus in Apocalypſi ſe teſtem & participem paſſionum Chriſti appellat, & quoſdam populos ad patientiam cohortatur: multos de patientia valdè commendat in epiſtolis. Similiter & alii Apoſtoli atq; Evangeliſtæ. Scribit deniq; Lucas Evangeliſta, quòd Apoſtoli à Judæis cæſi exſultantes incedebant, quia digni habiti eſſent, qui pro Chriſti nomine injurias paterentur. Inſuper, quod conſtituerunt nihil inter ſe ſuosque proprium poſſideri, & adminiſtrationem bonorum ab Apoſtolis alienam eſſe voluerunt. Addit, quum Cornelius quidam adorare Petrum voluiſſet, à Petro increpitum prohibitumq; fuiſſe. Præterea quum Lycaonienſes propter miracula Paulo & Barnabæ tanquam Diis immolare vellent, ab ipſis non fuiſſe permiſſos. Johannes quoque in apocalypſi teſtatur, quòd angelus ſe adorari prohibuerit. Ex quo patet, Apoſtolos non ſuum commodum vel honorem, ſed ſolam Chriſti gloriam quæſiviſſe. Si quis

Oo igitur

igitur finxiſſe Apoſtolos ſuſpicetur, eum aut hæc & ſimilia nunquam legiſſe, aut delirare, rectè laudatus Author ſtatuit. Denique III. ſi ſpectes illos in ſtatu mortis & confinio æternitatis: deprehendes conſtantiam fidei ſtupendam, pietatis indicia luculenta, æternitatis beatæ ſpem indubitatam, patientiam nulli virtuti comparandam, æquanimitatem & charitatem, etiam in ſævos perſequutores, oppreſſores, tortores, affectum ardentiſſimum. vid. Paulus Hebr. 11. ℣ſ. 36. 37. 38. addatur hiſtoria Eccleſiaſtica, *Centuriatores*, *Baronius*, & alii.

II. Non obſtat nobis, ſi regeratur: *Moſen inſtitutum fuiſſe omni ſapientia Ægyptiorum, potentem fuiſſe dictis & factis, antequam à Deo vocaretur*, Actor. 7. ℣ſ. 22. Samuelem informatum fuiſſe ab Eli ſacerdote, 1. Sam. 2. ℣ſ. 11. Danielem *Eruditum ſapientia Chaldæorum*, Dan. 1. Paulum nutritum Hieroſolymis *apud pedes Gamalielis*, Actor. 22. ℣ſ 3. Si quidam fuerint difficiles vocati, alios fuiſſe pronos & promtos ad compellationem: Eſaiam Deo roganti, quem mittam? quis nuncius noſter? reſpondiſſe: *ecce hîc ſum, me mittito.* Eſa. 6. ℣ſ. 8. vitæ ante actæ conditionem potius accuſare, quam commendare; etiam alios ex lectione librorum honeſtatem proponentium, vel ex motionibus, vel auditu, à projectæ luxuriæ vita profeciſſe ad virtutes, repente fuiſſe immutatos: quod Polemonis exemplum docere poſſit, ab ipſo *Auguſtino* laudatum; ſecundo, fallere pietatem ſæpius externam; miracula recenſeri quidem & tribui à nobis illis, quorum libros terimus; ſed de veritate illorum non conſtare, eſſe illa communia fidelibus & infidelibus; ipſum quoque diabolum præſtigiis ludere, & mira ſenſibus poſſe offerre: contempſiſſe opes & honores Diogenem, nec tamen fuiſſe divino ſpiritu animatum: Tertiò, conſtantiam illam Martyrum non convincere, cum etiam gentiles & hæretici ſuos poſſe producere Martyres, qui mortem ob opinionem, quæ ipſis arriſit, ſuſtinuerint: & Socratem cicutam bibiſſe, & Numinis exiſtentiam atque veritatem hoc poculo obſignaſſe Athenis; Georgium Cappadocem Alexandriæ fuiſſe ſublatum Arianum Epiſcopum, ipſos Jeſuitas ſua Martyrologia poſſe opponere, in quibus quam plurimorum nomina occurrant eorum, qui apud Japones, Sinenſes & Barbaros mortem pro religione ſuſtinuerint; nec Calvinianis deeſſe tales Cathalogos; imò Anabaptiſtas, fanaticum genus hominum, martyrologiis ſuperbire, & ad illa provocare. III. Nam

III. Nam primo: ſi concedatur, quosdam viros divinos fuiſſe præparatos in ſcholis ad altiora, quid fiet de cœteris, qui illas nunquam intrarunt? annon ſufficiunt illi ad admirationem? annon divinum quid colligitur hic interceſſiſſe? & quòd mirum dictu! rudes cum eruditis in omnibus doctrinæ capitibus conſpiraſſe, & viciſſim doctos cum rudibus? ſecundo; quod didicerunt vel Moſes, vel Daniel, vel Paulus, illud non fuit ex genere eorum, quæ per Scripta poſteritati commiſerunt: quomodo enim Ægyptii potuerunt informare Moſen de vero DEO ejusque cultu? qui eundem ignorabant, quorum Rex ad illum dixit: quis eſt Jehova? Exod. 5. vſ. 2. Qui Iſidi & Oſiridi litarunt? quomodo Daniel ex Chaldæis divina haurire potuit? qui Belum, qui Racha, qui Nego, qui Schacha coluerunt, Numina, & nomina inviſa DEO. Quomodo Samuel ex Heli accepit, quem DEUS alloquio fuit dignatus ſuo? quomodo Paulus Apoſtolus vel Tarſi, quæ urbs quidem, ſecundum *Strabonem*, Alexandriam & Athenas diſciplinarum liberalium exercitiis ſuperavit, vel ex reliquiis *Athenodori*, vel ex *Epimenide*, *Arato* & *Menandro*, quos Juvenis trivit: vel denique, cum Hieroſolymam ſe contuliſſet ad altiora ſtudia, & ad pedes Gamalielis ſe ſubmiſiſſet, Evangelium de JESU Chriſto, quod omnibus illis incognitum, in ſe derivavit, rivum ſcilicet absque fonte? Tertio; utut Phyſicam & Aſtronomiam ab Ægyptiis; Chaldæam linguam, & in illa quasdam artes Philoſophicas à Chaldæis; ſanioris doctrinæ rudimenta ab Eli; Græcorum Poëtarum ſententias ex lectione iſtorum conſecutos largiamur viros θεοπνεύστους: illa tamen, quæ altioris ordinis, non habuerunt, niſi per divinam ἔλλαμψιν, ut cœteri; inde Moſes ipſe nos vocat ad rubum, in quo DEUS apparuit. Exod. 3. vſ. 2. & ſeq. Samuel ad vocem extraordinariam 1. Sam. 3. vſ. 4. & ſeq. Daniel ad revelationem, quam è ſuperis accepit, cap. 2. vſ. 19. Paulus ad fulgur de cœlo, Actor. 26. vſ. 13. 14. & ſeq. Faciles fuerunt aliqui ad officium ſacrum, jam in animo victi, carne renitente jam edomata. Eſaias dixit: ecce ego, mitte me: non niſi carbone ignito mundatus, lingua ſolutâ, deſiderio prophetandi divinitus inſertô, & certus, ſeſe obſignatum eſſe ad hoc munus ab illo, cujus gloria Majeſtatis ineffabilis; cujus miniſterium ipſi Seraphim exambiunt: his itaque rationibus permotus, alacri & liberali magnanimitate DEO ad rem tam arduam ſe obtulit, *etiamſi ſciret, ſe propterea diſſecandum*, ut loquitur Ori-

genes: quod quid aliud, quam divinæ vocationis & motus indicium? ſi accuſat vitæ anteactæ turpitudo quosdam, defendit illos ſubſequens emendatio, quæ non niſi per cordis immutationem, quod Deus habet in ſuis manibus; potuit etiam alterari quis ex lectione vel monitione Philoſophorum, honeſtatem ſuadentium; ſed in ſuperficie, deſiſtens ab extantioribus peccatis, & tamen relabens ad propriæ gloriæ ſtudium.

IV. Secundò fallit quidem ſæpius vitium ſpecie virtutis & umbra, ſed in illis, qui vapidam geſtant ſub pectore vulpem: fallit quidem pietas: ſed in externis occupata, non illa, quæ animum & actiones conjungit; fallit honeſtatis ſpecies, ſi cætera abſint, non vero, ſi alia quoque divinitatis indicia attendantur: miracula nunquam ludunt, ſed præſtigiæ: ſunt enim ſolius Dei propria: mira poſſunt offerri vel Spirituum opera, vel naturæ molimine, ſed quæ à Prophetis & Apoſtolis patrata ſunt, omnem vim creatam longe tranſcenderunt: & ſi qui impii hoc Chariſmate inſtructi, inſtructi fuerunt illo ex intentione divina in Propheticæ & Apoſtolicæ veritatis confirmationem; junge etiam miraculis, quibus illuſtres fuerunt viri θεόπνευστοι, cœtera, & patebit diſcrimen inter θαυματούργους & præſtigiatores: contempſerunt quidam opes & in mare projecerunt, verum opinantes, ad litus ſeſe gemmas inventuros: dolium verſarunt, expers theſauri, ſed ſpe ſolidioris Philoſophiæ, quæ ipſa ſui apprehenſione evanuit: ex Idiognomoſyne & vitæ ſocialis faſtidio: iique oppidò pauci, cœtera profani.

V. Tertio, conſtantiæ martyrum nihil officiunt quorundam Gentilium & hæreticorum exempla: nam Primo, *non pœna ſed cauſa facit Martyrem: beati*, inquit Chriſtus, *qui perſecutionem patiuntur propter nomen meum*, Matth. 5 ỳſ. 10. Jam ſi, qui occiduntur in quacunque religione, Martyres eſſent dicendi, cœtus impiorum, mundus totus in maligno poſitus, ſuis non deſtitueretur martyribus: Secundò producant, qui Martyres Gentilium & Hæreticorum crepant, tantam multitudinem, tantâ pietate inclytam! omnes quippe illi, qui recenſentur, vel in martyrologiis leguntur, annon manipulus ad meſſem? aliquot tenebriones ad denſiſſima Chriſti fide lumina! *nullis*, inquit *Sulpitius Severus* lib. 2. *unquam bellis mundus ita exhauſtus eſt! neque majori triumpho unquam vicimus, quam cum decem annorum ſtragibus vinci non potuimus! viciſſent*

Tyran-

Tyranni, ſi, quod quæſiverunt, impetraſſent. Tertiò ingens diſcrimen eſt inter Martyres ſeculi & cœli: Martyres enim Evangelicæ doctrinæ inter media tormenta Spiritus aſſiſtentiam, robur & lætitiam quandam Spiritualem ſenſerunt: at, qui aliter mortui, ſtupore potius quodam contra tormenta, undè undè fuerit ille, fuerunt obfirmati. Notum eſt quibus artibus Turcæ quidam corpori ſtuporem inducant, & in illud absque ſenſu ſæviant. Veneficarum ſopores paſſim à Scriptoribus memorantur. Nec animus fuit illis integer & ſincerus, qui non ob veritatem occubuerunt, ſed conſcientiæ malæ pondere depreſſus, nec affectus lenes, ſed impotentes, obſervante Cypriano: *placidum enim,* inquit ille, *& manſuetum illud, illud humiliter ſublime, & ſublimiter humile, non videmus, niſi in Chriſti martyribus; qui non obtuentur trucibus oculis carnificem, non incitantur in Tyrannos, magis dolent de ipſorum cæcitate, quam de ſuis afflictionibus, & clamant cum Chriſto, Pater ignoſce illis.* Qui ex Jeſuitis vel Pontificiis doctoribus ſuſtinent propter profesſionem Symboli & Articulorum fidei tormenta & mortem; qui ex Calvinianis tyrannide Antichriſti abrepti ſuperiore ſeculo & noſtris temporibus, de illis benè ſperamus: neque illi tam propter nævos adhærentes doctrinæ, vitam & ſanguinem profuderunt: ſed illi quidem propter Chriſtianæ Religionis fundamenta; hi verò propter contradictionem generoſam, & quia maluerunt jugulum præbere carnifici, quam conſcientiam ſubmittere Papali Dominatui.

VI. Quanquam autem homini prudenti hæc probè expenſa commendent Authoritatem Scripturæ, non tamen ita ſunt accipienda, quaſi vel accederemus Photinianis, qui in probabilibus argumentis volunt acquieſcere illos, qui Scripturæ divinitatē inveſtigant, & inter cauſas, cur dubitari poſſit de auctoritate libri cujuspiam, referunt: *ſi ſc. ſcriptor ſit parum fide dignus, aut non ejusmodi, de cujus fide & ſcientia dubitari nequeat,* quâ ſublatâ facilem admittunt vitam: vel Arminianis, qui eorum prementes veſtigia, ulterius non deſiderant, quàm veriſimilia, quibus *Leydenſes* Profeſſores objecerunt, quod ipſimet non diffiteantur, argumenta, quibus perſuaſi ſunt de Scripturæ S. αὐθεντίᾳ, ſeſe ex diſciplinâ *Socini* hauſiſſe; quodque *Vorſtius* Socini librum de authoritate Scripturæ ediderit, atque comendârit, qui probabilibus contentus ſit argumentis, & ſua, quæ afferat, talia non eſſe, ultrò fateatur, quibus ſeſe nemo ullâ ratione opponere queat: imò errare

eos, qui ejusmodi argumenta poſtulent, quæ unicuique ejus rei certam & indubitatam fidem faciant. Quum ex ſuperioribus conſtet, nos non tantùm ad criteriorum divinorum Complexum remiſiſſe eos, qui ſolidum de Scripturarum Divinitate fundamentum deſiderant, ſed & in fidelibus Internum illud Teſtimonium Spiritus S. uiſiſſe, quibus hæc externa jungimus, ut, qui ſcrupulo hâc in parte urgetur, etiam habeat, unde conſcientiæ ſatisfaciat, mentem ſerenet, nebulas diſcutiat, atque ita undique firmus in Acropoli conſiſtat.

VII. Alterum genus hominum, quod ſtat pro Divinitate Scripturæ, eſt Membrorum Eccleſiæ, tùm collectivæ, tùm repræſentativæ, tùm univerſalis, tùm particularis, tùm Veteris, tùm Novi Teſtamenti. Teſtatur de Scriptura Veteris Teſtamenti Eccleſia Judaica, *cui concredita eloquia* D*ei*. Rom. 3. ℣ſ. 2. Eccleſia Novi Teſtamenti per ſedecim ſecula durans, toto orbe, in tot regnis, principatibus & ditionibus diffuſa: teſtantur Doctores illius de Divinitate hujus Verbi Scripti; *Origenes*, *Melito Sardenſis*, *Tertullianus*, *Athanaſius*, *Cyrillus*, *Cyprianus*, *Hilarius*, *Hieronymus*, *Epiphanius*, *Gregorius*, *Damaſcenus*, *Concilia*, *Nicænum*, *Epheſinum*: Ex Scholaſticis, *Hugo de S. Victore*, *Nicolaus Lyra*, *Hugo Cardinalis*, & alii quam plurimi.

VIII. Tertium genus faciunt Extranei ab Eccleſia; Gentiles, imò hoſtes Eccleſiæ: qui, quicquid ferè habent veri in hiſtoria, ex Scriptura furtim ſublegerunt. *Judæi Capſarii noſtri ſunt, ſtudentibus nobis Codicem portant*, teſte *Auguſtino* in Pſalm. 40. Turcæ quam plurima ex Scriptura decerpſerunt, varia in Coranum retulerunt, neque exiguæ authoritatis penes ipſum oraculorum noſtrorum ſyſtema & compendium. Gentiles denique non tantum ipſas Scripturas commendant, ut Dionyſius Longinus Caſſius, Porphyrii Philoſophi Præceptor, ſcribens libro περὶ ὕψους, Moſen & Homerum comparans; *illum Judæorum Legislatorem fuiſſe virum non vulgarem, quandoquidem Numinis potentiam pro dignitate notam fecerit, declaraveritque ſtatim initio proœmii legum ſuarum ſcribens: Dixit* D*eus*: *fiat Lux!* & *facta: eſt fiat Terra! facta eſt.* Amelius Platonicus Philoſophus, qui Evangelii Johannæi Exordium quaſi conſonum Platonis principiis recepit. Sed & hiſtorias ſacras in ſua ſcripta transtulerunt: Ejusmodi fuerunt hiſtoriæ, 1. de Creatione Mundi & hominis: *Mercurius in Pœmandro*: *Heſiodus in* ἔργ. καὶ

ἡμέρ.

ἡμίρ. videndus, *Homerus* conſulendus; *Aratus* longè convenientiſſime hæc de re loquitur: *Deus enim*, inquit, *cœlum & terram creavit. Pythagoras* etiam, ut *Plutarchus* refert de dogmatis Philoſophorum, mundum à Deo genitum docebat. *Plato* inſuper *in Timæo*, teſte *Plutarcho*, creationem mundi diſertè, & de induſtria exponit. Et hanc *Platonis* mentem fuiſſe, *Ariſtoteles* libro primo Phyſicorum, & *Aphrodiſæus* apud *Simplicium*, in libro de cœlo, declarant. Idem *Theophraſtus* quoque ſanxit, libro de ſaporibus, & mundum à Deo creatum, & ex nihilo; ut *Algarez* Arabs, qui hoc contra *Averroem* acerrimè tuetur. Itidem Philoſophi Latini, *Cicero*, *Seneca*, *Varro*, & alii memoria prodiderunt. Hinc patet, præcipuos Ethnicorum Authores mundi creationem axiomatis quaſi loco habuiſſe. Conſpirant in hoc Indi, Caribes, & Peruani. Imò contra æternitatem Mundi ipſimet Gentiles concludunt. Notatu digna ſunt illa *Macrobii lib. 2. in ſomnium Scipionis. Quis facile mundum ſemper fuiſſe conſentiat? Cum & ipſa Hiſtoriarum fides multarum rerum cultum emendationemque vel inventionem ipſam recentem eſſe fateatur: cumque rudes primùm homines, & incuria ſilveſtri non multum à ferarum aſperitate diſſimiles, meminerit vel fabuletur antiquitas; tradatq; , nec hunc eis, quo nunc utimur, victum fuiſſe, ſed glande prius & baccis altos ſerò ſperaſſe de ſulcis alimoniam: cumq; ita Exordium rerum & ipſius humanæ nationis opinemur, ut aurea primum fuiſſe ſecula credamus; & inde natura per metalla viliora degenerans ferro Secula poſtrema fœdaverit. Ac ne totum videam de fabulis mutuari, quis non boni æſtimet mundum quandoque cœpiſſe, nec longam retro ejus ætatem: cum ab hisce ultra duo retro annorum millia de excellenti rerum geſtarum memoria ne Græca quidem extet Hiſtoria. Nam ſupra Ninum, à quo Semiramis ſecundùm quosdam creditur procreata, nihil præclarum in libros relatum eſt. Si enim ab initio, imò ante initium fuit Mundus, ut Philoſophi volunt, cur per innumerabilium ſeriem ſeculorum non fuerat cultus, quo nunc utimur, inventus, literarum uſus, quo ſolo memoriæ fulcitur æternitas? Cur denique multarum rerum experientia ad reliquas gentes recenti ætate pervenit? ut ecce: Galli vitem vel cultum oleæ Româ jam adoleſcente didicere, aliæ verò gentes adhuc multa neſciunt, quæ nobis inventa placuerunt; Hæc enim videntur æternitati rerum* *repu-*

repugnare; dum opinari nos faciunt, certo mundi principio paulatim ſingula quoque cœpiſſe. Quid Hortus Eden, niſi Adonidis Hortus & Campus Elyſius? quis Ἄννακος, niſi Henochus? Κάνναχος, niſi Kainus? Νάνναχος: niſi Noachus? de quo videndus *Samuel Bochardus in Phaleg. ſuo lib.* 2. cap. 13. 2. De diluvio & de Arca Noachi; *Beroſus* in fragmentis, quæ extant: *Hieronymus Ægyptius*, & *Mnaſeas Phœnix*, multa hac de re ſcribunt, ut videre apud *Joſephum* libro primo capite tertio. Poëtis etiam tam Græcis, quam Latinis, nihil unquam hac hiſtoria fuit familiarius. *Alexander Polyhiſtor*, & *Abydenus* apud *Cyrillum* libro primo contra Julianum tradunt: *Saturnum Xyſuthro Diluvium futurum prædixiſſe, arcamque ut ſibi conſtrueret, præcepiſſe, in quam omne animantium genus recipere poſſet, ipſumque tandem in Arca illa Armeniam verſus delatum: poſt verò dies aliquot non nullas aves emiſiſſe, quæ aridi nihil inveniſſent, & ſubinde alias atq; alias, donec, conſpectâ terrâ, in Armeniam deſcenderet. Plutarchus* verò columbam à Deucaleone ex arca explorandæ terræ emiſſam memorat, in libro, quod bruta ratione utantur. Inprimis autem de diluvio noto gentilibus legendus *Lactantius* lib. 2. cap. 2. *Martinus Martinius* in Hiſtoria Sinenſium, quos illius notitiam habuiſſe refert. De Columba à Deucalione emiſſa ex arca, *Plutarchus*, & ex modernis Scriptoribus de Noacho *Dikinſonus*. 3. De Turre Babylonica & confuſione linguarum: *Alexander Polyhiſtor*, & *Abydenus* apud *Cyrillum*, de ea ſic ſcribunt: *communis opinio & fama eſt, homines è terra prognatos, robore ſuo fortes, invitis Diis turrem ad Solem uſque attollere voluiſſe, quo loco Babylon ſita eſt, ubi verò ea ad magnam jam altitudinem perducta fuiſſet, à Diis vi ventorum disjectam & peſſundatam fuiſſe; & quia plurium linguarum initium inde cœpiſſet, Hebræos locum Babel, id eſt, confuſionem vocitaſſe.* Eadem ſcribunt *Hiſtiæus* & *Eupolemus*, ut teſtatur *Euſebius de præparatione Evangelica. Plinius* refert, *ſe habuiſſe hiſtorias Babylonicæ turris per 700. annos extenſas lib. 7. cap. 56.* Et quis Janus Bifrons alius, quam Noachus, Japhet, quam Japetus, Cham, quam Juppiter Ammonius? 4. De conflagratione Sodomorum ſcribunt *Galenus* de ſimplicibus, *Strabo* & *Mela*: Ajunt enim, *inſignem illam vallem, quæ olim quinque aut tredecim urbibus inſignis erat, ob neſandum illud peccatum*

contra.

contra naturam, igne abſorptis, in lacum amariſſimum converſam, ripas bitumine oblitas, ſaxa putida & graveolentia, arbores fructibus quidem gravidas, aſt ad ſolum contactum in cineres & fuliginem abire: nec Plinio defuit notitia excidii Sodomitici, de quo lib. 5 c. 15. & 16. ſcribit: *Jordanis amnis oritur è fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæſareæ, de qua dicemus: amnis amœnus, & quatenus locorum ſitus patitur, ambitioſus, accolisq; ſe præbens, velut invitus. Aſphaltiten lacum dirum naturâ petit, à quo poſtremò ebibitur, aquasque laudatas perdit peſtilentibus miſtas. Ergo ubi prima convallium fuit occaſio, in lacum ſe fundit, quem plures Geneſaram vocant XVI. M. paſſ. longitudinis VI. M. latitudinis amœnis circumſeptum oppidis, ab Oriente Juliade & Hippoo, à Meridie Tarichea, quo nomine aliqui & lacum appellant: Occidente Tiberiade, aquis calidis ſalubri. Aſphaltites nihil præter bitumen gignit: unde & nomen. Nullum corpus animalium recipit: tauri cameliq; fluitant. Inde fama, nihil in eo mergi. Longitudine excedit centum M. paſſuum: latitudine maxima XXV. implet: minima ſex. Proſpicit eum ab Oriente Arabia Nomadum, à Meridie Macherus, ſecunda quondam arx Judææ ab Hieroſolymis. Eodem latere eſt calidus fons medicæ ſalubritatis Callirrhoe, aquarum gloriam ipſo nomine præferens.* 5. De rebus geſtis, poſſeſſionibus, ſacrificio & circumciſione Abrahami *Eupolemus* in lib. de Judæis teſtatur, *Abramum in Camerina urbe Babyloniæ, quæ aliàs Ur dicitur, natum, & DEO gratum fuiſſe, ejusque juſſu in Phœniciam demigraſſe:* Deſcribit etiam prælium illud, quo Loth redemtus fuit, & poſt quod Melchizedek victorem excepit. Narrat idem quoque, *eum propter uxoris pulchritudinem in Ægypto periclitatum fuiſſe, ſed amiſſam uxorem, immiſſis divinitus Pharaoni plagis, recepiſſe,* &c. *Melo* adverſus Judæos, eundem duas uxores habuiſſe, narrat. *Alexander Polyhiſtor* ſacrificium Abrahæ ampliſſimè deſcribit: Idem quoque reliquorum Patriarcharum Hiſtoriam ad Moſen usque contexuit. Meminit etiam Abrahami *Juſtinus* libro trigeſimo ſexto, quanquam falſa veris admiſceat, ut fieri ſolet: verba ejus ita ſe habent lib. 36. cap. 2. pag. 426. *Poſt Damaſcum Azelus, mox Adores, & Abraham, & Iſrahel reges fuere. Sed Iſrahelem felix decem filiorum proventus majoribus ſuis clariorem fecit. Itaq; populum in decem regna diviſum filiis tradi-*

dit, omnesq; ex nomine Judæ, qui poſt diviſionem deceſſerat, Judæos appellavit: coliq; ejus memoriam ab omnibus juſſerat. Minimus ætate inter fratres Joſeph fuit, cujus excellens ingenium veriti fratres, clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Ægyptum, cum magicas ibi artes ſolerti ingenio percepiſſet, brevi ipſi Regi percharus fuit. Nam & prodigiorum ſagaciſſimus erat, & ſomniorum primus intelligentiam condidit: nihilque divini Juris humanique ei incognitum videbatur, adeò, ut etiam ſterilitatem agrorum ante multos annos providerit: periſſetq; omnis Ægyptus fame, niſi monitu ejus Rex edicto ſervari per multos annos fruges juſſiſſet: tantaque experimenta ejus fuerunt, ut non ab homine, ſed à DEO *reſponſa dari viderentur. Filius ejus Moſes fuit, quem præter paternæ ſcientiæ hæreditatem, etiam formæ pulcritudo commendabat &c.* 6 De vita & Miraculis Moſis: *Artabanus* de Judæis. Moſis nativitatem, educationem, vocationem, miracula, & alia ejus facta fuſiſſimè deſcribit. Narrat: *Regem poſtulaſſe ab eo ſigna, Moſemq; virgam in ſerpentem convertiſſe, idemque Sacerdotes Memphiticos arte Magica præſtitiſſe, & Draconem exhibuiſſe. At verò Moſen virgula terram percuſſiſſe, quæ venenatas tum muſcas, & phalanges, & ranas, & locuſtas, & horrenda alia protinus produxerit. Numenius Pythagoræus*, vitam & geſta Moſis in hiſtoriis, fide dignis, ſe legiſſe teſtatur: *ex aqua retractum, & in aula educatum*, ait, *inſignia miracula coram Rege Ægypti patraſſe, & cum Janne & Mambre Magis, ipſum imitari conatis, miraculis certaſſe*, addit, quæ quidem in ſcripturis non leguntur, & proin ex ſacris Ægyptiorum monumentis deſumta fuiſſe oportuit. *Alexander* eductionem populi Iſraëlitici ex Ægypto, perſecutionem Pharaonis, tranſitum per mare rubrum, ſubmerſionem Ægyptiorum, & alia ejus generis deſcribit. *Plinius* eorundem miraculorum meminit, ſed Moſen impiè Magum appellat: & quamvis quidam Gentilium pulſos fuiſſe affirmarint Iſraëlitas cum *Juſtino* & *Tacito*; nihilominus agnoverunt illos egreſſos fuiſſe ex Ægypto, atque nobile verum tantùm contaminarunt, nec penitus extinguere potuerunt. *Plutarchus*, qui claruit poſt natum CHRISTUM, circa annum Chriſti 120 lib. quæſtion. conv. 5. recenſet & ridet feſta Judæorum, inprimis feſtum tabernaculorum, quod vocat feſtum Bacchi, ridet veſtitum Pontificis

Sum-

Summi, cui olim juſſu DEI erant infrà annexa tintinnabula. Rectè noſter B. *Franzius: Galenus lib. 11. de uſu partium c. 14. legit Moſen de creatione, & dicit: ratiocinationem Moſis de natura rerum ſibi videri probabiliorem, quàm Epicuri; optimum tamen eſſe, neutrius ſequi opinionem. Vixit is quidem Galenus circa annum à nato* CHRISTO *140. cùm jamdudum Evangelium perveniſſet in omnes angulos mundi* Coloſs. 1. vſ. 23. *attamen inter medios ubique Chriſtianos converſatus (ut hodie multi Pontificii inter medios Lutheranos in multis oppidis Imperialibus) nihil diſcere & credere ſategit in verum* DEUM & CHRISTUM *ejus. Ante ipſum Cicero fuit, qui qualem ſeſe geſſerit in animæ ſalute tractanda, paulò inſpiciamus exactius, ex propria ejusdem oratione pro Flacco, ſtatim poſt medium orationis. Omninò enim talem ſeſe in rebus, animæ ad ſalutem pertinentibus, geſſit, qualem hactenus reliqui magni viri Ethnici. Sic igitur ibidem Cicero ſcribit: Sequitur auri illa invidia Judaici. Hoc nimirum eſt illud, quod non longè gradibus Aureliis hæc cauſſa dicitur, ob hoc crimen hic locus abs te, Læli, atq; illa turba quæſita eſt. Scis, quanta ſit manus, quanta concordia, quantum valeat in concionibus. Summiſsâ vocem agam, tantùm ut Judices audiant. Neq; enim deſunt, qui iſtos in me, atque optimum quemque incitent: quos ego, quod id faciant, non adjuvabo. Cum aurum, Judæorum nomine quotannis ex Italia, & ex omnibus veſtris provinciis Hieroſolymam exportari ſoleret, Flaccus ſanxit edicto, ne ex Aſia exportari liceret. Quis eſt Judices, qui hoc non oportere, cùm ſæpè antea Senatus, tùm me Conſule, graviſſimè judicavit. Huic autem barbaræ ſuperſtitioni reſiſtere, ſeveritatis: multitudinem Judæorum, flagrantem nonnunquam in concionibus, pro rep. contemnere, gravitatis ſummæ fuit. At Cn. Pompejus, captis Hieroſolymis, victor ex illo fano nihil attigit. In primis hoc, ut multa alia, ſapienter, quòd in tam ſuſpicioſa ac maledica civitate locum ſermoni obtrectatorum non reliquit; non enim credo, religionem Judæorum & hoſtium, impedimento præſtantiſſimo Imperatori, ſed pudorem fuiſſe. Ubi ergò crimen eſt? quondam quidem furtum nusquam reprehendis, edictum probas, judicatum fateris, quæſitum & probatum palàm non negas, actum eſſe per viros primarios res ipſa declarat: Apameæ manifeſtè comprehenſum,*

ante pedes Prætoris in foro expenſum eſt auri pondo centum; paullo minus per Sex, Ceſium tum Equitem Romanum, caſtiſſimum hominem atque integerrimum: Laodiceæ viginti pondo paullo ampliùs per hunc ipſum L. Peducæum judicem noſtrum: Adrymeti per Cn. Domitium, legatum: Pergami non multum auri ratio conſtat: aurum in ærario eſt; furtum non reprehenditur: invidia quæritur: à judicibus oratio avertitur: vox in coronam turbamque effunditur. SUA CUIQUE CIVITATI RELIGIO, LÆLI, EST, NOSTRA NOBIS: STANTIBUS HIEROSOLYMIS, PACATISQUE JUDÆIS SUA, tamen iſtorum religio ſacrorum à ſplendore hujus imperii, gravitate nominis noſtri, majorum inſtitutis abhorrebat: nunc vero hoc magis, quod illa gens, quid de imperio noſtro ſentiret, oſtendit armis: quam chara Diis immortalibus eſſet, docuit, quod eſt victa, quod eſt elocata, quod ſervata. Quamobrem, quoniam, quod crimen eſſe voluiſti, id totum vides in laudem converſum, &c. 7 De expeditione Joſuæ, de Saulis unctione, de divitiis Davidis, de ſapientia Salomonis, de extructione Templi, de Regina Saba, de cæteris item Regibus, de transmigratione Babylonica, deque ſigno Ezechiæ dato, diſertè teſtantur *Procopius* in Vandalorum hiſtoria lib. 2. *Eupolemus*, *Joſephus*, lib. 15. antiq. c 16. & lib 16 c. 11. & lib 5. c. 12. de bello Judaico: *Alexander Polyhiſtor*: *Dius Phœnix*: *Joſeph.* lib. 5. antiq cap. 2 *Euſeb.* lib. 9. præpar. Evangel. cap. 4 *Beroſus* Chaldæus: *Dionyſ.* in Hiera. &c 8. De Redemptore Mundi exhibendo noviſſimis temporibus *Sibyllæ* teſtantur, ut videre eſt apud *Lactantium* lib 4. c. 6. & *Ciceronem* lib. 2. de Divinatione, & *Virgilium* Ecloga quarta. Quanquam de hiſce meritò dubitetur. *Georgius Elmacinus* ſcribit in Hiſtoria Saracenicâ l. 1 cap. 1. *Muhammed Albucaſimus juſſit credere veritatem Prophetarum & Apoſtolorum, quique ad eos demiſſi ſunt, librorum; item Chriſtum Filium Mariæ, Spiritum DEI eſſe & verbum ejus atque Apoſtolum, approbavitque Evangelium & Legem Moſaicam.* In Alcorano exſtat azoarâ [illegible] 2. *CHRISTO Mariæ Filio Spiritus divinus auxilium atq; teſtimonium exſtitit.* Azoarâ 4 *Chriſto Mariæ Filio animam noſtram propriè conferentes vim atque virtutem præ cæteris præbuimus.* Azoar 5. *priùs DEUM miſericordem & pium, Teſtamentum, deinde Evangelium rectas vias hominibus tradidiſſe.* Az. 11. *JESUS, Mariæ Filius, DEI nuncius DEIq; Spiritus & Ver-*

& *Verbum Mariæ Filio commiſimus Evangelium, quod eſt lumen & confirmatio Teſtamenti, & caſtigamen, ac recta via timentibus* DEUM. 2 53. CHRISTO *non credentes punitos iri* dicitur. 9. De Nativitate Chriſti *Joſephus* lib. 20. antiq. cap. 6 & 8. & lib. 5 de bello Judaico cap. 8. & lib. 6. cap. 23. 27. 28 47. Egregium inprimis Teſtimonium de Chriſto legitur apud *Joſephum* lib. 8. qui ita: *Eodem tempore fuit* JESUS *Vir ſapiens, ſi tamen virum eum oportet dicere. Erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt. Plurimos quoque tam de Judæis, quàm de Gentibus ſui habuit ſectatores, & credebatur etiam* CHRISTUS. *Cumque invidia noſtrorum Principum cruci eum Pilatus addixiſſet, nihilominus, qui eum primùm dilexerant, perſeverarunt in fide. Apparuit autem eis tertia die vivens, multa hæc & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus. Et usque hodie Chriſtianorum gens ab hoc ſortita vocabulum non deficit.* 10. De Infanticidio ſecundùm quosdam *Macrobius* in Saturnalibus. 11. De ſtella Magorum *Plinius* lib. 20. & 25. 12. De Miraculis Chriſti *Suetonius* in Nerone: & *Tacitus* lib. quinto & viceſimo. 13 De morte Herodis Agrippæ, aliorumque ſimilium *Joſephus* lib. 19. antiq. cap. 7. Plura poſſent produci, ſi ſpatium chartæ eſſet.

IX. Finimus itaque verbis *Tertulliani* ſcribentis: *Homines gloriæ & eloquentiæ ſolius libidinoſi, ſi quid in ſanctis offenderunt digeſtis, exinde regeſtum pro inſtituto curioſitatis ad probra verterunt, neque ſatis credentes divina eſſe, quò minùs interpolarent, neque ſatis intelligentes, ut adhuc tunc ſubnubila, etiam ipſis Judæis adumbrata, quorum propria videbantur. Nam etſi quam ſimpliciſſima erat Veritas; eò tamen magis ſcrupoloſitas humana fidem aſpernata nutabat, per quam in incertum miſcuerunt, etiam quod invenerant certum.* Et poſt aliqua: *Omnia adverſus veritatem de ipſa veritate conſtructa ſunt, operantibus æmulationem iſtam Spiritibus erroris: Ab iis adulteria hujusmodi ſalutaris diſciplinæ ſubornata: ab his quædam etiam fabulæ immiſſæ, quæ de ſimilitudine informarent fidem veritatis, vel eam ſibi potius evincerent &c. Unde autem hæc (de Judicio vivorum & mortuorum divino) oro vos, Philoſophis & Poëtis tam conſimilia? non niſi de noſtris Sacramentis. Si de noſtris Sacramentis, ut de prioribus: Ergò fideliora ſunt noſtra magisque*

credenda, quorum imagines quoque fidem inveniunt. Addatur *Cyrillus* lib. 1. adverſus Julianum, *Clemens Alexandrinus* lib. 2. Stromatum, *Minutius* in Octavio, & *Lactantius* lib. 1. de falſa religione cap. 29.

DISPUTATIO DECIMA OCTAVA

De AUTHORITATE SCRIPTURÆ,

THESIS I.

DEmonſtratâ Divinitate Scripturæ, ultrò ſeſe pandit illius Authoritas, de quâ *Auguſtinus*, lib. XI. de Civitate DEI, cap. 3. *DEUS Scripturam condidit, quæ Canonica nominatur, eminentiſſimæ authoritatis.* Ut enim Sol in ſe eſt lucidus, & lumen de ſe fundit: ita Scriptura gaudet luce majeſtatis Divinâ inſitâ, & inſimul illam per radios Criteriorum prodit, quibus præſentibus oculus hominis deprehendit inſitam Majeſtatem, à qua illa lumina dimanant. Et hæc authoritas eſt axioma quoddam, eminentia ſingularis, valor relativus, ſecundum quem etiam habetur pro Verbo DEI, agnoſcitur principium religionis, meretur fidem ob Authoris infallibilem veracitatem, 1. Joh. 5. ℣ſ. 9. Obſequium promtum, ob illius ſummam poteſtatem. Jacob. 4. ℣ſ. 12. Neque illam mutuat ab Eccleſiæ præſidio, aliud nos docente Davide. Pſal. 119. ℣ſ. 152.

II. Errare itaque cenſemus, primò Pontificios, qui Authoritatem Scripturæ ab Eccleſiæ authoritate ſuſpendunt, *eâ ſepoſitâ tantùm valituras ſacras literas, quantum fabulæ Æſopi.* Alcoranum cum verbo DEI comparant, inter Authoritatem abſolutam & ſecundum nos diſtinguunt, ſimilitudine à gemmâ deſumtâ, cujus nobilitas à judicio peritorum pendet, illuſtrare ſatagunt, quod tamen ipſis plus officit, quàm prodeſt; videantur *Hoſius, Vitus Miletus, Bellarminus, Bailius, Laurentius Forerus* in antiquitate Papatus contra *Molinæum* lib. 1. c. 9. pag. 262. Imò *Forerus* eousque progreſſus fuit, ut prætulerit Authoritatem Eccleſiæ, authoritati Scripturæ, *quia per ſplendidam viſibilitatem & publicam prædicationem ſemetipſam notificet, Scriptura autem, alterius teſtimonio ad noſtram certificationem indigeat, quia*

Scri-

Scriptura ſit propter Scripturam, 1. Cor. 4 ℣. 15. *Quia* CHRISTUS *pro Eccleſiâ mortuus & non pro Scripturâ; quia deniq; Eccleſia credat in* DEUM, *& ſperet, amet, laudetque eum, & non Scriptura: tandem quia Eccleſia in cœlo cum* CHRISTO *æternum regnatura & non Scriptura.* Addo, quod riſerit argumentum Molinæi, concludentis, *Eccleſiam Scripturæ ſubjectam*, & *proinde Scripturam majoris eſſe authoritatis*, negando prius, & inſtantiis vellicando, quæ tamen nullius ſunt roboris. Nec prætereundum, quod *Nicolaus* Pontifex æquaverit ſua divinis Scripturis diſtinct. 19. Can. *Si Romanus Pontifex decernit, id tantùm probandum vel improbandum, quod Romanorum Pontificum calculo probatur vel improbatur; Adeòque hanc ob cauſam Vetus Novumque Teſtamentum recipiendum, quia Innocentius Pontifex authoritate & ſententia ſua recipiendum ſanxerit, ac propterea decretales quoque Pontificum Epiſtolas, etſi Canoni non inſertas, pari jure eſſe recipiendas, omni ſpe veniæ adempta aliquid adverſus illas auſis.* *Damaſus* itidem part. 2 decreti cauſa 25 quæſt. 1 Can 5. 5. Diſp. *Nulli divinas conſtitutiones, & Apoſtolicæ ſedis decreta temerare licet.* Item *Hilarius Papa* in Synodo Romana, capite primo. *Nulli fas ſit ſine ſtatus ſui periculo vel divinas conſtitutiones, vel Apoſtolicæ ſedis decreta temerare: quia nos, qui potentiſſimi Sacerdotis adminiſtramus officia, talium transgreſſionum culpa reſpiciet, ſi in cauſis deſides fuiſſemus inventi: quia meminimus, quòd timere debemus, qualiter comminetur* DEUS *negligentiæ ſacerdotum. Siquidem reatu majori delinquit, qui potiori bono perfruitur: & graviora facit vitia peccatorum ſublimitas peccantium potentiſſima.* Sic apud *Anſelmum*, & in cæteris vetuſtis *Gratiani* exemplaribus, præter unum, in quo habetur, ut in concilio ipſo *potiſſimi.* *In Spiritum ſanctum blaſphemant, qui ſacros canones violant.* Item *Damaſus* Papa. *Violatores canonum voluntarii graviter à ſanctis patribus judicantur: & à ſancto Spiritu (inſtinctu cujus, ac dono ditati ſunt) damnantur, quoniam blaſphemare Spiritum Sanctum non incongruè videntur, qui contra eosdem ſacros canones non neceſſitate compulſi, ſed libenter, ut præmiſſum eſt, aliquid, aut proterve agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt. Talis enim præſumtio manifeſte unum genus eſt blaſphemantium Spiritum Sanctum: quia, ut jam prælibatum eſt, contra*

eum

eum agit, cujus nutu, & gratia ſancti canones editi ſunt. Secundò Calvinianos quosdam, qui *authoritati Scripturæ inſiſtentes moroſos ac rigidos exactores & Syllabarum aucupes* vocant cum *Calvino*, vel rationem humanam circa res fidei verſari, ut principium agens in ſubjectum, & ſpirituale & naturale cum *Maſſonio* confundunt; vel *hæreticos non proferre Verbum* D E I, *Scripturam allegando, ſed verbum Diaboli*, cum *Keckermanno* ſtatuunt. Tertiò quosdam modernos Theologos, qui quidem admittunt, propriè & principaliter verbo Divino, & omnibus, quæ in eo continentur, credi non propter authoritatem & teſtimonium Eccleſiæ vel ullius hominis, non tamen propterea verbum illud ſine teſtimonio Eccleſiæ cognoſci, aut veros illius libros à falſis diſcerni.

III. Contemnendi verò planè ſunt. I. Libertini, qui Scripturam in Fabularum Syllogen retulerunt. II. Anabaptiſtæ, David Georgiſtæ, Schwenckfeldiani, Wigeliani, Paracelſiſtæ, Quakeri, qui omnes & ſinguli Scripturæ authoritatem deprimunt, & cum Socino ſcribunt: *Argumenta, quibus ea probatur, non eſſe talia, quibus ſe nemo ullâ ratione queat opponere: imò errare, qui ejusmodi argumenta poſtulent, quæ unicuique certam ac indubitatam fidem faciant.* Vel cum *Authore Catechiſmi Rackovienſis*, quem volunt eſſe *Valentinum Smalcium*, *Scriptores Sacros in quibusdam hallucinari potuiſſe, & revera erraſſe, adeòque diſſonare ab aliis Scriptoribus Sacris in rebus parvi momenti* ſtatuunt. In quem ſcopulum quoque impegerunt *Sebaſtianus Caſtellio, Simon Epiſcopius,* & *Hugo Grotius*; vel cum *Nicolaide* libros V. Teſtamenti in vilipendium adducunt, & dicunt, *recipi quidem teſtimonium Prophetæ, ſed plus valere, ſi aliquid Apoſtolus dicat*, imò cum aliis: *parum curandum eſſe, quid dicat de cultu Veteris Teſtamenti, aut Novi Teſtamenti tantùm, nec ullis aliis libris religionis Chriſtianæ veritatem eſſe cognoſcendam.*

IV. Pergimus ad Perfectionem Scripturæ atque aſſerimus: Verbum D E I, quod in literas relatum atque ad nos propagatum, continere omnia, quæ ſunt neceſſaria vel ad fidei integritatem, vel ad vitæ honeſtatem, neque opus eſſe ullo ſupplemento, ut quidam volunt, poſt conditum & abſolutum Canonem.

V. Ut diſtinctius progrediamur, obſervamus I. in Scriptura Perfectionem eſſentialem, quam habet unumquodque dictum Biblicum

cum

cum, quæ in eo conſiſtit, quod omne enunciatum in illâ, omnis propoſitio, quæ legitur, ſit ὅλως divina, tum ratione materiæ, tùm ratione formæ, ita ut & voces divinam ſpirent originem, & ſenſus iisdem expreſſus, verba & res ex eodem fonte profecta, quod ſatis clarè inſinuat Paulus, dum πᾶσαν γραφὴν totam Scripturam, tum ratione verborum tum ratione rerum, vocat θεόπνευστον, 2. Tim 3. v. 16. cui conſonat Petrus, oſtendendo, *Scripturam non eſſe ἰδίας ἐπιλύσεως, quia ſcilicet non voluntate hominis allata ſit olim Prophetia, ſed Spiritu Sancto impulſi ſint ſancti* D E I *homines.* 2. Epiſt. c. 1. v. 20. 21. Egregiè *Cyprianus* ſermone de Eleemoſyna: *Spiritus Sanctus erat Scriba, Prophetæ erant ejus Calami, quibus Spiritus Sanctus ſcribenda dictabat.*

VI. Obſtrepunt huic perfectioni I. Pontificii, qui vel cum *Franciſco Suarezio*, tractatu de Fide, diſp. 5 ſect. 3 *non omnia & ſingula verba Scripturæ* deducunt *à Spiritu Sancto per ſpecialem motionem antecedentem, ſed quædam tantum per aſſiſtentiam, & quaſi cuſtodiam*, vel cum *Bellarmino* lib. 2. de Concil. cap. 12. circa res hærent, & *Prophetis* D E U M *non revelaſſe ea, quæ ſcripturi erant, ſed excitaſſe duntaxat, ut ſcriberent ea, quæ vel viderant vel audierant*, afferunt: vel cum *Gordono Huntlæo* Controverſia. 3. & 4. p. 190. ſtatuunt, *Lucam ex diſcipulorum ſolum relatione ſcripſiſſe.* II Calviniani quidam, qui cum *Junio* lib. 1. parall. 60. admittunt, *Scriptores Novi Teſtamenti aliquando prudentes ſcientes præter veritatem hiſtoriæ quædam ſcripſiſſe, ac recepto interdum errori ex charitate aliquid condonaſſe, & propter opinionem vulgi à veritate hiſtoriæ deflexiſſe.* Arminiani, qui cum Popio Auguſtæ portæ pag. 432. & 433. *Epiſcopio* diſp. publica de Authoritate Scripturæ, & in tractatu vernaculò edito Anno 1639. de officio Magiſtratus pag 34. impingunt, ita ut poſtremus in laudato libro faciat *alias leges, quas* C H R I S T U S *ipſe condidit, alias quas Chriſtus ab Apoſtolis per Spiritum condendas judicavit, alias denique, quas condiderint Apoſtoli conſilio authoritate & inſtinctu ſeu motu propriò.* Photiniani, qui cum *Socino* lib 1. de Authoritat Scripturæ p. 12. *fieri potuiſſe, ut in aliquibus ſcriptores ſacri leviter errarint*, opinantur. III Recentiores quidam Theologi, qui defendere volunt, Scripturam Divinam dici, *non quod ſingula in illa divinæ peculiari revelationi imputari oporteat, ſed quod præcipua, quæ primariò & per*

ſe reſpiciat Scriptura, nempe quæ redemptionem, ac ſalutem generis humani concernunt, nec omnia in revelationem eſſe referenda, ſed illa tantùm, quæ ſupra naturam ſunt, & facultatem cognoſcendi humanam excedunt: legatur pars prima reſponſi maledicis Theologorum *Moguntinorum* vindiciis oppoſiti, § 70 & 74.

VII. Notamus ſecundo Perfectionem integralem, quæ conſideratur primò ratione librorum, de quibus rectè aſſeritur, quod non tantum conſtituant unum quoddam corpus, ſed etiam, quod omnes & ſinguli Canonici ſuperſint, atque faciant perfectum Syſtema ſacrum, cui nihil deeſt, quod ad integritatem requiritur: quam firmat divina providentia, quæ non potuit permittere, ut liber Canonicus periret: Si enim DEUS talem deſtinavit in uſum Eccleſiæ perpetuum, quomodo contra intentionem ſuam potuit eam exponere abolitioni? conſulantur loca Matth. 5. ỷſ. 18. Luc. 16. 17. & c. 21 ỷſ. 33. Pietas Eccleſiæ, quæ depoſitum tàm nobile fideliter ſemper cuſtodivit: & quæ quæſo Eccleſia paſſa fuiſſet, manibus elabi Codicem Sacrum? Num Judaica? At ut illi concredita τὰ λόγια τοῦ θεοῦ Rom. 3. ỷſ. 2. ita fideliter quoque cuſtodivit, nullius ſomnolentiæ, quoad hoc, à Chriſto unquam vel illius Apoſtolis accuſata. Num Chriſtiana? At illa longè minus: videantur ſuprà, quæ ex *Crojo* deduximus. Fidelitas Miniſtrorum. libri Veteris Teſtamenti fuerunt repoſiti in latere arcæ, ut perennarent, regulæque officium præſtarent Eccleſiæ. Deut. 31. ỷſ. 25. Joſ. 24. ỷſ. 26. 1. Sam 10. ỷſ. 25. 2 Reg. 21. ỷſ. 8. 2. Paral. 34. ỷſ. 14. Collecti fuerunt à viris congregationis Eccl. 12. ỷſ. 13. 14. 15. à viris denique Synagogæ magnæ completi; libri verò Novi Teſtamenti itidem fuere collecti, diſcreti, & Eccleſiæ commendati. Johannem vidiſſe, dicitur, tria Evangeliſtarum ſcripta; Petrum Pauli Epiſtolas, & utrumque illa Eccleſiæ commendaſſe. 2. Petr. 3. ỷſ. 15. 16. 17. nec malè *Auguſtinus* tom. 6 lib. 11. contra Fauſtum Manichæum c. 5. *diſtincta eſt à poſteriorum libris excellentia Canonicæ authoritatis Veteris & Novi Teſtamenti, quæ Apoſtolorum confirmata temporibus, per ſucceſſiones Epiſcoporum & propagationes Eccleſiarum, tanquam in ſede quadam, ſublimiter conſtituta eſt, cui ſerviat omnis fidelis & pius intellectus.*

VIII. Non itaque ſubſcribimus. I. Pontificiis quibusdam Doctoribus, qui vel Patribus quibusdam nimis ſecure inſiſtentes, cum *Bellio* ſtatuunt, *libros Propheticos in prima conflagratione*

templi

templi fuiſſe conſumtos, & ab Eſdrâ reſtitutos, vel *Bellarminum* ſecuti, lib. 4. de verbo Dei, c. 4. *multos libros verè Sacros & Canonicos periiſſe* ſtatuunt. II. Quibusdam Calvinianis, qui cum *Withakero* approbant *de libris quibusdam ex Canone deperditis* ſententiam. III. Photinianis, qui negant, *omnes libros Sacros extare hodie, ex quibus non extantibus omnino credendum citata fuiſſe in Novo Teſtamento teſtimonia, quæ hodiè in Veteris Teſtamenti libris non leguntur.*

IX. Sed quid ſentiendum de libris, quos deperditos fuiſſe oſtendere ſatagunt quidam? qualis Prophetia Enochi Jud. ℣ſ 14. Liber Bellorum Domini Num. 21. ℣ſ. 14. Liber Juſtorum Joſ. 10. ℣ſ. 13. 2. Sam. 1. ℣ſ. 18. Liber Judicii Regum. 1. Sam. 10. ℣ſ. 25. Libri Salomonis. 1. Reg. 4. ℣ſ, 32. Liber verborum dierumque Salomonis 1. Reg. 11. ℣ſ. 41. Sermonum dierum Juda & Iſraël 1. Reg. 14. ℣ſ. 19. Res Davidis & Salomonis, 1. Paralip. 30. ℣ſ. 29. & 2. Paral. 9. ℣ſ. 29. Lamentationes in funere Joſiæ, 2. Paral. 35. ℣ſ. 25. Reſpondemus, jactari Prophetiam Enochi, ſcriptam non extare vel unquam extitiſſe, nec Judas plus dicit, quàm προεφήτευσε, quod voce, non Calamo, factum fuiſſe colligitur: Librum Bellorum Domini à Doctoribus ſtatui librum Numerorum vel Judicum: Librum Juſtorum fuiſſe vel, ſecundum quosdam apud *Sixtum Senenſem* l. 2. p. 99. volumen totum legis, vel librum Exodi; aut, ſecundum *Ariam Montanum*, ritualem aliquem; aut, ſecundum *Maſium* & *Junium*, Annalium forenſium: Librum Judicii Regum fuiſſe Canonicum probari nequit, ut & illos Salomonis, quorum mentio fit. 1. Reg. 4. ℣ſ. 32. & 34, quanquam non ſcripſiſſe, ſed locutum fuiſſe Salomonem ibidem dicatur; & ſi aliqua pars illorum in literas redacta, habebimus illam in proverbiis & Cantico. Liber Verborum dierum Salomonis, ut & Juda & Iſraël, vel eſt volumen Chronicorum, quod extat in Bibliis, vel Actorum forenſium, quod nunquam fuit in Canone. Cæteri, qui allegantur, 1. Paral. 30. 29. ℣ſ. 19. & libri Samuelis, quorum poſteriorem, ſecundum ipſos Pontificios, adornarunt Nathan & Gad & 2. Paral. 9. ℣ſ. 29. ſunt 1. liber Regum à Nathane conſcriptus, cui jungendi Addo, Semaja, Jehu, Prophetæ. Ahiæ Silonitæ prophetia habetur 1. Sam. 11. 31. & ſeqq. denique lamentationes illæ 2. Paral. 35. 25. nec ſcriptæ dicuntur, nec, ſi ſcriptæ extarent, vel extitiſſent, pro Canonicis habendæ eſſent.

X. De Novi Teſtamenti libris, & quidem de primâ ad Corinthios, reſpondent, Paulum, 1. Corinth. 5. ℣ſ. 9. digitum intendere in poſteriorem ad Theſſalonicenſes, vel, quod commodiſſime dicitur, deſignari hanc ipſam, cum ſcribat ἐν ἐπιστολῇ, quod idem ac ἐν ταύτῃ τῇ ἐπιστολῇ, agnoſcentibus *Hieronymo*, *Chryſoſtomo*, *Theophylacto*, & *Sixto Senenſi.* De Epiſtola priori ad Epheſios, de qua Ephes. 3. ℣ſ. 3. Non notari aliam, quam hanc ipſam, quæ ab ipſo eô tempore exarata, & reſpicere ad duo priora capita, in quibus de œconomiâ ſalutis noſtræ ſcripſerat: in quam ſententiam concedit *Theophylactus* & alii; imò ſi cum *Hunnio* acciperemus illa verba de aliquâ priori Epiſtolâ ſcriptâ, quæ hodie non extet, nondum oſtendi poſſet, illam fuiſſe Canonicam. De Epiſtola ad Laodicenſes major videtur eſſe difficultas, nam primò videtur illa deeſſe in Bibliis noſtris, cum tamen in antiquis Codicibus Bibliorum *Wormatienſibus* deprehendatur, ut & Anabaptiſtarum libris N. T. & habetur illa apud *Sixtum Senenſem* in Bibliotheca, lib. II. de Paulo: Secundò ſunt, qui per illam intelligi volunt Epiſtolam ad Epheſios, ut obſervant *Tertullianus* & *Epiphanius*, alii primam ad Timotheum, quia in ſubſcriptione hæc verba leguntur: πρὸς Τιμόθεον. Πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Λαοδικείας. Sunt denique, qui obſervant, dici, ἐκ Λαοδικείας ſcripta, non ad Laodicenſes. Prima ſententia non ſubſiſtit, rectè enim *Hieronymus*: *Legunt quidam: & ad Laodicenſes Epiſtolam: ſed ab omnibus exploditur:* quod ſi tamen eſſet genuina, quam *Sixtus* prodit, non poſſet objici illam deperditam, quia adhuc ſupereſſet: altera ſententia, quæ Epiſtolam ad Epheſios ſubſtituit, fuit hæreticorum, & imprimis *Marcionis*, quam repudiavit *Tertullianus* & *Epiphanius*, & non ad Laodicenſes, ſed ad Epheſios ſcriptam eſſe illam Epiſtolam, quæ illum habet titulum & ſubſcriptionem, evidenter patet, ex teſtimonio *Ignatii*, ſcribentis ad ipſos Epheſios ſequentia: *Eſtis, ſicut Paulus vobis ſcripſit, unum corpus & unus Spiritus, qui vocati eſtis in unâ ſpe vocationis veſtræ:* Audiamus hîc quid promat ex Pontificiis *Thomas Maſſutius*, ſcribens: *Hoc igitur eodem tempore ſcriptam à Paulo priorem Epiſtolam ad Timotheum, & Epheſum illi ex Macedonia miſſam, teſtantur S. Athanaſius in Synopſi, & in præfatione ad Pauli Epiſtolas Theodoretus, quos cum Baronio ſequuntur docti recentiores. Alii tamen legentes in Theodoreti Commentariis primæ Epiſtolæ ad*

Timo-

Timotheum pro ultimis verbis ſubſcriptum: Scripta eſt ex Laodicea, quæ eſt metropolis Phrygiæ Pacatianæ. Sicut etiam legitur in quibusdam Græcis exemplaribus Epiſtolarum Apoſtolicarum, exiſtimant, Theodoretum mutaſſe priorem ſententiam in hanc veluti probabiliorem, nempe, Laodiceæ ſcriptam Epiſtolam; non, ſicut primùm exiſtimavit Theodoretus, ex Macedonia. Nihilominùs tamen credibile eſt ex additamento illo ad finem epiſtolæ Pauli, quod Theodoreti non eſt, illud quoque ad finem Commentariorum ipſius fuiſſe adjunctum. Sed in emendatioribus Græcis exemplaribus ita legimus: ἐγράφη ἀπὸ Μακεδονίας. id eſt, ſcripta fuit ex Macedonia. non igitur ex Laodicea. Unde Theophylactus, quia legit ſuppoſititium illud: ἐγράφη ἀπὸ Λαοδικείας, inductus eſt in eum errorem, ut putaverit hanc Epiſtolam primam ad Timotheum eſſe illam, de qua S. Paulus meminit in fine Epiſtolæ ſuæ ad Coloſſenſes, dicens: Facite, ut epiſtolam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis: Græcè enim habetur: Quæ ex Laodicea eſt. Sed hoc nullo modo cum veritate conſiſtit: quorſum enim poſt tres annos, cùm Romæ Paulus maneret, & illam Epiſtolam, ad Coloſſenſes, ut ſuo loco videbimus, ſcripſiſſet, jubet Coloſſenſes tunc primùm legere Epiſtolam, quam ante tres annos ſcripſerat ad Timotheum? Et cur potiùs hanc epiſtolam eis legendam proponeret uni olim Timotheo ſcriptam, ad eum in paſtorali officio inſtruendum, quam tot alias variis Eccleſiis datas? nempe, duas ad Theſſalonicenſes, duas ad Corinthios, unam ad Romanos, alteram ad Galatas, tum ad Epheſios, & deinde ad Philippenſes, ad quos omnes ſcriptæ extabant prædictæ literæ Apoſtolicæ. Imò verò non ſolùm hanc primam ad Timotheum, ſed nullam aliam prorſus ex Laodicea ſcriptam eſſe à Paulo Epiſtolam, ſive ad Laodicenos, veriùs exiſtimamus. Nam, etiamſi mandaverit Coloſſenſibus legere eam Epiſtolam, quæ Laodicenſium eſt; non tamen ſignificare per hoc voluit, ſe vel ad Laodicenſes quidquam ſcripſiſſe: ſed, ut benè exponit S. Chryſoſt. literas, quas ipſi Laodicenſes ad Paulum ſcripſerant: ut Coloſſenſes audiendo, quantæ pietatis Epiſtolam ad Paulum Laodicenſes dediſſent, ædificarentur; & forte quædam continebant ad ipſos quoque Coloſſenſes pertinentia. Quòd autem Marcion, & alii Hæretici apud Tertullianum, & S. Epiphanium, voluerunt Epiſtolam Pauli ad Epheſios, non ad Epheſios, ſed ad Laodicenos fuiſſe ſcriptam;

refellitur apertiſſimo S. Ignatii teſtimonio, qui ad ipſos Epheſios ſcribens ſic ait: Eſtis, ſicut Paulus vobis ſcripſit, unum corpus, & unus ſpiritus, qui vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Meminit præterea S. Hieronymus in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis, alterius cujuſdam Pauli epiſtolæ ad Laodicenſes inſcriptæ, dicens: Legunt quidam, & ad Laodicenſes epiſtolam, ſed ab omnibus exploditur. Cenſuit autem Philaſtrius in libro de hæreſibus, propterea exploſam eam epiſtolam, quòd ab Hæreticis fuerit depravata. Hinc poſt Anshelmum Sixtus Senenſis, Faber Stapulenſis, & alii quidam recentiores proferunt Epiſtolam quandam Pauli ad Laodicenſes, quæ, etiamſi nullum contineat errorem, tamen ab aliquo fuiſſe confictam, facile poteſt agnoſci, tum ex plerisque verbis in aliis Pauli Epiſtolis ſparſè contentis, præſertim in Epiſtola ad Coloſſenſes, ut mirum ſit, voluiſſe Apoſtolum poſt propriam ad eos ſcriptam, hanc etiam legi, quæ nihil proprium, nihil novum, aut iterata conſideratione dignum contineret. His itaq; omiſſis, ad Epiſtolam Timotheo nunc ſcriptam redeamus. Hanc eſſe miſſam ex Macedonia, ſatis inſinuat S. Paulus illis verbis initio poſitis. Sicut rogavi te, ut remaneres Epheſi, cùm irem in Macedoniam. Nam, quod aliqui dicunt, hæc verba id non convincere, verum eſt, ſi ſola per ſe conſiderentur: ſed addere oportet, antequàm Paulus Epheſo diſcedens hoc tempore veniſſet in Macedoniam, ſine dubio hanc Epiſtolam Timotheo ſcribere non potuiſſe: agit enim in ea cum illo tanquam cum Epiſcopo, neque antea fuit Epiſcopus, quàm illum Epheſi Paulus hoc tempore reliquiſſet. Rurſus, neque dici poteſt fortè ſcriptam Epiſtolam, ubi Paulus ex Macedonia receſſiſſet: nulla enim eſt alterius loci ſuſpicio, unde mitti potuerit, niſi ex Laodicea, quod ſatis ſupra refellebamus. Oſtenſuri præterea ſumus, ubi de Epiſtola miſſa ad Coloſſenſes erit agendum, nunquam Paulum, neque Coloſſi, neque Laodiceæ fuiſſe. Deinde, verba illa Epiſtolæ: Rogavi te, ut remaneres Epheſi, cùm irem in Macedoniam: Indicant, de re non pridem geſta eſſe ſermonem: figurata enim eſt locutio, ac ſi dixiſſet: Sicut tunc rogavi, ita nunc iterum rogo, ut maneas, & rogavi, cùm irem, hoc eſt, non pridem veniens in has partes: eſt enim præſentis Græcum participium πορευόμενος. Neque dubitare debemus, Paulum ob ſuam eximiam charitatem, & ſolicitudinem quam gerebat de Eccleſia

Epheſina, in qua fundanda tanto tempore laboraverat, diu hoc officium litterarum differre voluiſſe: Unde Timotheus juvenis haud ſatis expertus, de cura graviſſima plurium Aſiæ Eccleſiarum plenius inſtrueretur. Nam ſimiliter demandata Tito cura plurium Cretæ Inſulæ Eccleſiarum, ei propriam non multò poſt dedit Epiſtolam, monita continentem perfecti Eccleſiæ Paſtoris, ut ſuo loco referemus. Hactenus ille: meritò itaque inſiſtimus in illâ ſententia ultimâ, quam & *Syrus*, & *Eraſmus*, & *Beza*, & *Lutherus*, noſtrique Theologi maximè probant: ex quô ſatis patet, nec Apoſtolicam nec Canonicam notari Epiſtolam, ſed aliquid à Laodicenſibus exaratum.

XI. Secundò conſideratur characterum ratione, quos dicimus eſſe primigenios & nunquam immutatos, tum quia nunquam redditur probabile, Esdram literas ab ipſo DEO ſignatas immutaſſe, aut Judæos ex odio adverſùs Samaritanos proprios characteres & quidem divinos abjeciſſe, alienos ab illis, à quibus captivi & oppreſſi erant, aſſumpſiſſe, vel omnia exemplaria, Manu ſcripta non tantum Judæorum, hinc inde diſperſorum, ſed & Magnatum, quæ diligenter aſſervabant, illam immutationem corripuiſſe. Secundò, quis non animadvertit, longè ſimpliciores eſſe characteres Hebræos Samaritanis? Unde noſter Schickhardus in Bechinat Happeruſchim rectè: *Quid quòd ipſa Merubba, hoc eſt, quadrata literarum pictura, utpote ſibi conſtans, æquabilis, facilis, & in decoram lineam coagmentabilis, vocis inſuper formam, ceu organorum diſpoſitione, quodammodo referens, adeòque ipſo aſpectu reconditam quandam majeſtatem præ ſe ferens, potius Legislatori ſapientiſſimo convenire videtur, quàm hæc biulca, deformis, aſpera, operoſa, & exaratu difficilis, adeoque, ut ex omnibus circumſtantiis apparet, fictitia.* Tertiò oppoſitum potius concludendum ex collatione Judæorum & Samaritanorum; neque enim veriſimile, Judæos ad ſuperſtitionem usque in Codicem ſacrum pronos permiſiſſe, ut illa, quæ primæva, characterum figura vel periret, vel ad exoſam Samaritanam gentem tranſiret, aut, quia in religione defecerint à Judæis Samaritani, non Judæi ab illis, Judæos literas mutaſſe, antiquos non retinuiſſe, ſed potius Schiſmaticos & deficientes, qui vel maximè ab illis differre volebant, characteres antiquos retinuiſſe, & non mutaſſe, vel Chriſtum illud non indicaſſe, aut aliquem Apoſtolorum non caſtigaſſe.

gaſſe. Quid, quòd Salvator noſter dicendo, *nec ullum jota vel ſpicem è lege periturum*, ſatis clarè inſinuat, illam literarum figuram, quam hodie adhuc habemus, eſſe primævam, & Samariticæ antiriorem, quia Jod in charactere Samaritanorum non eſt minimæ figuræ litera, ſed in noſtro, &, ſi non amplius extent figuræ primævæ, non tantùm Jota, ſed totum illud, quod materiale eſt, in Codice V T. periiſſe, admittendum ſit.

XII. Non accedimus ergò primò illis ex Judæorum Rabbinis, qui cum Moſe Gerundenſi, Joſeph Albo, R. Joſe conferunt Moſen & Eſram, & quia dicitur de Moſe, *quòd aſcenderit ad Deum*, Exod. 19. ✝ſ. 3. nec non de Eſrâ, *quòd aſcenderit ex Babel*, Eſræ 7. ✝ſ. 6. colligunt cauſam aſcenſionis, ut in Moſe fuerit lex, ita quoque in Eſrâ, & quia, ut Moſi dicitur, *ut doceret ſtatuta & Judicia* Deuteron. 4. ✝ſ. 14. Eſræ quoque, *quòd præparaverit cor ſuum ad quærendum legem Domini, & ad faciendum, & docendum in Iſraël ſtatutum & judicium*. Eſræ 7. ✝ſ. 10. Ut ut lex non ſit data per manum ejus. Secundò Pontificiis Doctoribus, Bellarmino, Ariæ Montano, Genebrardo, Gretzero, & inprimis pervicaciſſimo Monacho Johanni Morino, Bleſenſi, qui, ut videri volunt, ſecuti Hieronymum, illud adoptant: *Eſram ſcribam Legisque Doctorem poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem Templi ſub Zorobabel alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur: cùm ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Ebræorum characteres fuerint*; circa quem locum tamen vindicandum occupati fuerunt Picus Mirandulanus, Johannes Capnio, & Wilhelmus Schickhardus. Tertiò quibusdam Calvinianis, qui ſecuti, poſt illum, Joſephum Scaligerum, Guilielmo Wittakero, Jano Druſio, Waſero, & Capello applaudunt, & magis opinioni quorundam literatorum, quàm Veritati, inſiſtere volunt.

XIII. Tertiò conſideratur illa perfectio ratione punctorum. Illa enim coæva ſtatuimus literis, & ad integritatem textus ſacri requirimus. Stat pro nobis autem primò teſtimonium Chriſti. Matth. 5. ✝ſ. 18. Secundò ipſa natura Vocalium. Habent ſeſe characteres & conſonæ inſtar corporis, vocales verò inſtar animæ, quæ vitam & ſenſum conferunt; finge abfuiſſe vocales ſuo corpori, defuit anima & ſpiritus. Num perfectum potuit eſſe Syſtema non conſtans debitis partibus? Num potuit ſenſum infallibilem ingenerare deſtitu-

tum

tum vocalibus, quæ vel maximè ad illum faciunt? Quis me certum reddet, Tiberienſes, qui finguntur puncta ſubſtituiſſe, nunquam erraſſe, homines ſc. à quibus humani nihil alienum? Quis animum reddet ἀμεταπτώτων & infallibiliter certum in ſenſus divini inveſtigatione? Tertiò, ſi ipſos adeamus Rabbinos, & illos conſulamus, reſpondebit Simeon Ben-Jochai, *nullam eſſe in literis poteſtatem ſine punctis, ſed omnes eſſe ut corpus ſine anima.* R. Necho cum Ben Hakkalem: *talia eſſe puncta cum literis legis Moſis, qualis eſt anima vitæ in corpore humano.* Kimchius: *datas eſſe illas Moſi è monte Sinai.*

XIV. Rejicimus ergò ſententiam Pontificiorum, qui, ut Scripturam in cereum vertant naſum, corruptionem illi impingant, obſcuritatem affricent, & varios ſenſus exſculpant, punctis vocalibus deſtitutam, proditam eſſe aſſerunt, Tiberienſibus punctorum diſtinctionem & accentuum inventionem tribuunt, & cum Bellarmino, Gordono Huntlæo, & Johanne Morino putant, ſe non inveniſſe in hoc figmento, quod pueri in fabâ. II. Quorundam Calvinianorum, qui itidem adverſus punctorum antiquitatem pugnant, & cum Auctore Arcani punctationis revelati, Ludovico ſc. Capello, novitate illorum ingeminatâ, ſtant tanquam pro mœnibus Ajax, quos egregiè exceperunt Buxtorfii, Taylorii, Bootii fratres, & alii. III. Quidam Literatores & Critici, quibus plus placuit peregrinam inire viam, quàm ab orthodoxis tritam inſiſtere ſemitam.

XV. Non infeliciter itaque præter Theologos etiam Philologi pugnant pro antiquitate literarum, quæ hodie in Bibliis conſpiciuntur Ebraicis, etiam ex nummorum indiciis. Refert enim R. *Aſſarias, quòd apud Davidem Panſam civem Mantuanum viderit quendam argenteum, in cujus unâ parte fuerit figura capitis humani, in margine verò hæ voces* שְׁלֹמֹה וְהַמֶּלֶךְ *Rex Salomon, in alterâ parte figura Templi cum inſcriptione:* הֵיכַל הַמֶּלֶךְ *Templum Regis: Scripturâ, quæ hodie obtinet, & literis quadratis.* Nec deeſt hîc nobis B. *Schickhardus*, qui obſervat, *Hieroſolymis excudi antiquos nummos æneos, regno adhuc florente præcuſos, memorato conſimiles:* calculum quoque addunt Theologis ſtantibus pro antiquitate punctorum ex eo, *quia codex Hillelianus punctis fuerit inſtructus, qui Hillel diu ante tempora Maſoretharum Tiberienſium vixit.*

XVI. Fruſtra itaque ſunt, qui 1. cum *Capello* obvertunt, *nummos æneos eſſe ſuſpectos, cum probabile non ſit, tam opulentum Regem permiſiſſe imaginem ſuam in nummis excudi æneis, præcedentium Regum ſuffeciſſe, præceptum Decalogi de non faciendis imaginibus & ſculptilibus obſtare, &, ſi Villalpandi conjectura admittatur, dici poſſe, hos nummos ab Herode in honorem Marci Antonii fuiſſe procuſos, quia effigies Antonii effigiem Salomonis optimè retulerit:* cùm ſint mera poſtulata; quis enim neſcit, & æs eſſe materiam nummi, & permiſiſſe hoc opulentos Reges, Imperatores, & merces quaſdam viliores commodè ita comparari, regno aucto rem nummariam creſcere, & hoc in arbitrio ſequentis Regis eſſe poſitum, qui amplitudini nominis multum indulget? Quis neſcit, non omnes imagines fuiſſe prohibitas, nec tam productionem illarum, quàm cultum? Cherubinos fuiſſe in ipſo Templo? & ſtante hac ratione nullus Rex potuerit admittere ſui effigiationem? Quis neſcit, nummos hos ab Herode procuſos, dicere, eſſe loqui absque fundamento, Marcum Antonium & Salomonem conſimiles habuiſſe vultus, eſſe divinare absque ratione? II. Qui antiquitati punctorum opponunt, *fuiſſe multos Hilleles, potuiſſe itaque illum codicem non denominatum eſſe ab Hillele Seniori, cujus mentionem faciat Talmud, ſed forſan ab Hillele Hanbaſi, qui circa annum* C H R I S T I *trecenteſimum & quadrageſimum vixerit in Judæâ*; nam tantæ non fuiſſet dignitatis & authoritatis apud Judæos, ſi à juniori illo, nepote ſcil. Rabbi Jehudæ ſancti, fuiſſet compoſitus, nec, ſi admitteretur hoc, quicquam reſponſum eſſet, quia & junior ætate Maſorethas anteceſſit. III. Nec ſatis tamen ſolidè concludere videntur illi, qui ad ſepulchra Patriarcharum confugiunt, & ex inſcriptionibus illorum contra *Capellum* & Socios concludere volunt, nixi teſtimonio *Benjaminis Tudelenſis*, qui in itinerario ſuo refert, *ſe vidiſſe in ſpelunca quadam inter cætera ſepulchrum Abrahami, cui hæc verba inſcripta fuerint*: זֶה קֶבֶר אַבְרָהָם אָבִינוּ עַתָּ. *hoc eſt Sepulchrum Abrahami Patris noſtri beatæ memoriæ*: cùm notum ſit, quàm proni ſint ad mendacia Verpi, & ipſe hic *Benjamin* illo ipſo in libro prodiderit ingenium & eclipſin veritatis, quam paſſus eſt non uno in loco.

XVII. Dicendum hîc aliquid de Maſorâ, quæ ſepes legis maximè commendatur ab Aben-Eſrâ, & verſus, voces, atque literas numerat, varietatem indicat, lectionem conſtantem retinet, conſervat,

& omni

& omni corruptioni præſtruit, quam ab Esdrâ & Viris Synagogæ magnæ cœptam, continuatam fuiſſe à ſucceſſoribus, quidam non abſurdè ſtatuunt, de quo Eſra 7. ℣ſ. 6. 10. 12. 14 21. 23. 25. & Nehem. 8. & quamvis illa olim ſeparatim habebatur in peculiaribus libris, nunc tamen margini Bibliorum aſcripta deprehenditur: de quâ Wilhelmus Schickhardus noſter in præfatione in Bechinat Happeruſchim ita diſſerit: *non ſatis intellexeram verba Eliæ Levitæ, donec ſuperiori anno vidiſſem ingens illud & pretioſum exemplar Bibliorum, quod Capnio quondam à Divo Maximiliano I. Rom. Imp. dono acceptum, moriens patriæ ſuæ S. P. Q. Phorcenſi legaverat, nunc verò Illuſtriſſimus Marchio Badenſis &c. poſſidet, atque ante aliquot ſecula, pro R. Abrahamo Ben-Meir, Aben-Ezra exaratum eſſe, Buxtorfius conſultus ex hac clauſulâ* ולו א׳ ב׳ מאיר *probabiliter ſanè collegit. Ibi in librorum veſtibulis obſervavi notas Maſorethicas minutiſſimis literulis, non lineatim ſed inſtar picturæ, tam affabrè conſcriptas, ut eminus inſpectas leonum, urſarum, boum, ovium &c. imagines crediderim, nec artificii fraudem prius ſenſerim, quàm oculis membranæ cominus admotis, intuitus eſſem proxime.*

XVIII. Falluntur ergò, qui hanc Doctrinam criticam, hoc inventum, tribuunt cum Eliâ Levitâ Germano, Magiſtris Tiberienſibus. II. Qui, ut ex Commentatore in librum *Cosri* conſtat, hunc laborem inutilitatis damnant, & comparant Maſorethas numerantibus folia & paginas librorum medicinalium, quibus non ſanatur vulnus. III. qui cum Baſilio Maſorethis corruptionem fontium imperitè tribuunt. De quo Hotting. 407.

XIX Sed quid de *Tikkum Sopherim* ordinatione ſive diſpoſitione Scribarum, quam Judæi admittunt, quæque obſervatur in octodecim Scripturæ locis, babendum? II. Quid de *Keri & Ketib*, quæ in 800. locis Scripturæ deprehenditur? III. Quid de *Ittur Sopherim* ablatione Scribarum? Ex quâ videtur patere, non tantùm Sophrim ſive Scribas auſos fuiſſe corrigere textum, atque ita palam ab ipſis violatam eſſe integritatem Codicis Ebræi: Unde & in Maſorâ dicitur: quinque voces ſunt ablatio Scribarum. De primo ita cenſemus: Tikkum Sopherim neque fuiſſe Correctionem neque Corruptionem Bibliorum. Quorum quidem poſterius amplexi ſunt Porchetus, Petrus Galatinus, & Wilhelmus Lindanus, partim, quia ipſa

Vox Tikkum non notat correctionem aut depravationem, ſed ornatum & diſpoſitionem, qua uſi fuerunt, ut intelligeremus concinnas & bellas obſervationes indicari, licet minus neceſſarias & fructuoſas, non ad fundamentum doctrinæ, ſed ad ornatum comparatas; tum quia ipſe Aben-Eſra Tikkumim non ſub ratione neceſſitatis, ſed commoditatis commendat. Videatur locus Numer. 11. ✝ſ. 15. Tum quia non poſſunt eſſe correctiones, quia Eſras & Viri Synagogæ magnæ, quibus illa adſcribitur, longè fuerunt religioſiores, quàm ut tantum ſibi arrogarent, Sacra Volumina corrigerent, ſua pro Divinis obtruderent, multò minus corruptiones, quum nec oſtendi poſſit, qui corruperint, & cui bono, & de fide Judæorum circa ſacrum hoc depoſitum omnibus ferè conſtet. Et quis credat, CHRISTUM vel Apoſtolos temeritatem depravationis, ſi Tikkumim illam inferent, non graviter reprehenſuros fuiſſe, aut receſſurum Salvatorem ad cathedram Moſis, in quâ Scribæ & Phariſæi ſedebant Matth. 23. ✝ſ. 1. 2. 3. Videatur *Buxtorfius* in epiſtolâ ad B. *Glaſſium*, qui ita judicat: *Sopherim hoſce fuiſſe ipſos authores ſacros Moſen & Prophetas, qui nunquam aliter ſcripſerunt, quàm hodie ſcriptum legitur: at ſapientes Hebræorum naſutiores animadvertentes inconvenientiam quandam in iſtis locis ſcripſiſſe, aliter iſtos authores loqui debuiſſe, & ſecundùm cohærentiam propoſiti textûs ſic vel ſic ſcribere, ſed pro eo voluiſſe ſic ſcribere, & id ſic efferre, ut illud hodie in textu.* De Keri & Ketib, quod quidem affine diſpoſitioni Scribarum, diverſum tamen in eo, quod aliter legatur, aliter ſcribatur, & utrumque, tum id, quod ſcribitur, tum id, quod legendum, alterum in margine ponatur, *Sixtinus Amama* cenſet, *præferendum eſſe τὸ Keri, ſive lectiones marginales, illasque etiam authenticas: Brougthonus* verò & *Ainſwortus* utrumque tum τὸ Kerib tum τὸ Ketib in originem divinam refundunt, quos caſtigat *Pagetus*. Nec deeſt ex noſtris, cui hæc ſententia arriſit, cui lubenter ſubſcriberemus, modò dubium expeditum eſſet: annon ita admittendus duplex ſenſus? Nos præciſè inſiſtimus τὸ Ketib, cùm conſtet, τὸ Keri ſive lectiones marginales maximam partem eſſe à Rabbinis, qui quales ſint, non operosè inveſtigandum. Interim nolumus obloqui illis, qui cenſent, variantes lectiones fuiſſe obſervatas ab authoribus Maſoræ, adeòque nunquam in omnibus exemplaribus periiſſe veram lectionem, quam vel Keri vel Ketif ſignet, non facilè tamen Ketif deſeren-

ſerendum eſſe, niſi ſumma urgeat neceſſitas. Vide *Cloppen* in exercit. Diſp. 5. § 12. Tertiò de Ittur Sopherim quidam cenſent, non magni momenti eſſe illam ablationem, cùm in quinque tantùm vocibus occurrat, & unica litera quæ cùm eſſet ab imperitâ plebe quinquies addita, juſtè fuerit à Legiſperitis ablata, quid enim, dicunt, refert אחר poſtea, legas, an ואחר & poſtea? quod in primis quatuor locis occurrit, & eodem redit utrobique ſenſu integro Geneſ. 18. ℣ſ. 5. cap. 24. ℣ſ. 55. Num. 12. ℣ſ. 14. Pſalm. 68. ℣ſ. 20. Vel quid attinet Pſal. 68. ℣ſ. 26 qui locus eſt quintus, in quo Ittur Sopherim locum habet: *Juſtitia ſicut montes* D E I, *judicia tua abyſſus*, legas per ἀσύνδετον, an verò: *& judicia tua abyſſus.* Non igitur quicquam Scribæ abſtulerunt, licet ו quod aliquoties inoleverat, ex uſu Vulgi majoris perſpicuitatis gratiâ, uſurpare amplius noluerint & aboleverint. Luculenta eſt in hanc rem præfatio Bibliorum Venetorum, in folio, cujus author *Rabbi Chajim*; ubi, poſtquam de origine Keri & Ketib, deque diſcrimine inter Talmudicos & Maſorethas diſſeruit, pro Judæis adverſus eos diſputat, à quibus accuſantur, quaſi contextum ſacrum corruperint, quos Minæos (Chriſtianos) vocat: *abſit*, inquit, *Scribas iſthæc abſtuliſſe.*

XX. Tertiò, obſervamus in Scripturâ Perfectionem finalem; ut enim conſtat Lege & Evangelio; ita omnia quippe in illâ, quæ ad fidem & mores ſunt neceſſaria, continentur; omnia, quæ ad conſcientiam ſerenandam, hæreticos & impietatem retundendam conducunt in illâ exiſtunt: omnia, quæ ad media ſalutis & beatitudinem conſequendam à D E o ordinata, in illâ oſtenduntur. Quod docet primò ipſa Scriptura, Joh. 20 ℣ſ. 31 Galat. 1. ℣ſ. 8. & 9. & 2. Timoth. 3. ℣ſ. 16. & 17. Modus procedendi in rebus fidei Chriſti & Apoſtolorum, qui ex Scripturâ ſua demonſtrarunt, adverſarios redarguerunt, ſimplices informarunt, &, ut conferrent dicta cum ſcriptis, probarunt Matth. 4. ℣ſ. 4. cap. 22. ℣ſ. 29. & ſeqq. cap. 24. ℣ſ. 16. Actor. 2. ℣ſ. 17. 24. 30. cap. 13. ℣ſ. 17. cap. 15. ℣ſ. 15. adde Act. 17. ℣ſ. 11. Tertiò Patrum teſtimonium *Ignatii, Juſtini, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Athanaſii, Lactantii, Hilarii, Cyrilli, Baſilii, Gregorii Nazianzeni, Epiphanii, Hieronymi*, & inprimis *Auguſtini*, qui lib. de doctr. Chriſtianâ cap. 9. hæc prodit: *in iis, quæ apertè in Scripturâ poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi, ſpem ſcilicet atque charitatem.*

XX. Fal-

XXI. Fallunt itaque & falluntur 1. Pontificii, qui Scripturam imperfectionis acculant, cum *Bellarmino* ſufficientiam illius impugnant, cum *Collocutoribus Ratisbonenſibus, nullam hæreſin ex Scripturâ ſufficienter refutatam fuiſſe*, clamitant, cum *Coſtero*, literis commendata omnia, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, *quia margaritæ porcis non ſint objiciendæ*, negant, cum *Melchiore Cano* lib. 3. locor. cap. 3. *Multa pertinere ad doctrinam & fidem Chriſtianam, quæ nec apertè nec obſcurè in ſacris literis contineantur*, pronunciant. II. Libertini, Anabaptiſtæ, Wigeliani, Mennoniſtæ, Enthuſiaſtæ, fanatici, Quackeri, qui in Scriptura acquieſcere nolunt, nec non Arminiani illi, qui cum Epiſcopio *negant ex verbo probari poſſe, verbum illud vel libros illos, quibus verbum illud ſcriptum continetur, eſſe à DEO profectos, aut à divinis Viris ſcriptos.* Videatur pars ſecunda operum pag. 107. III. Quidam ex junioribus Theologis, qui *ideò opus eſſe dicunt, ut Scripturæ Eccleſiaſticæ jungatur intelligentiæ authoritas, quia videlicet ſcripturam ſive pro ſui altitudine non uno eodemque Senſu univerſi accipiant, atque idcircò multum neceſſe eſſe, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apoſtolicæ Interpretationis linea ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici conſenſus normam dirigatur*; de quo in ſequentibus.

XXII. Oſtendit autem illa perfectio I. quædam κατὰ τὸ ῥητὸν & αὐτολεξεὶ nobis proponendo, quædam per ἰσοδυναμίαν docendo, quædam ſecundùm συνακολούθησιν, conſequentiam ſcilicet apertam, liquidam, & claram miniſtrando, ut ſcil. dogma ex ſcripturâ deductum ſe nobis ſiſtat, divinam ſuam originem referens, quum, quod ex divino fluit principio, ejusdem cenſeatur cum illo eſſe naturæ & indolis, ut conſtare poteſt ex Matth. 22. ℣ſ. 31. 32. II. Quædam pro ratione temporis in primis fundamentis exhibendo, quædam ſucceſſu illius uberius explicando: Sic quondam Pentateuchus perfectè Legis & Evangelii dogmata populo Judaico oſtendit, quæ uberius expoſuerunt Prophetæ inſequentes, ultimam manum addente Chriſto & Apoſtolis, qui, quæ in V. T. libris propoſita fuerunt, illuſtrarunt applicatione ad Subjectum, recenſione circumſtantiarum, oſtenſione multiformis Sapientiæ divinæ, ita tamen, ut *nihil dixerint*, οὐδὲν ἐκτὸς, *quàm ea, quæ Prophetæ prædixerant futura eſſe & Moſes* Actor. 26. ℣ſ. 22. III. Omnia heterogenea excludendo, ſive corrumpant, ſive demant, ſive addant, de quo videatur Paulus Hebræor. 1. ℣ſ. 5. & Johannes Apoc. 22. ℣ſ. 18. & 19. XXIII.

XXIII. Abſurdi itaque ſunt I. Pontificii, qui cum *Gonterio* Collocutore Durlacenſi, *Veronio* novæ methodi jactatore, *Barthol-do Nibuſio* Apoſtatâ, & Fratribus *Walenburchiis*, noſtros adigere volunt, ut Papiſmum expreſſis dictis ſepoſito diſcurſu refutemus; vel qui cum Photinianis contendunt, omnia creditu neceſſaria ex-preſſis verbis in Scripturâ extare; vel cum quibusdam Pontificiis Do-ctoribus circa concluſiones è verbo DEI deductas tricantur, &, *ſi aſſumatur aliqua propoſitio rationis*, ut illi loquuntur, *volunt con-cluſionem eſſe partim evidentem, partim inevidentem*, cum *Bellar-mino*, *nec abſolutè divinam*, ut decernunt *Walenburgii*, *nec ad aſ-ſenſum fidei, ſed inferioris rationis & habitum ſpecie diſtinctum*, ut diſputat *Franciſcus Suarez* Diſp. 3. Sect. 11. pag 55. adde *Roderi-cum ab Arriaga* Diſp. 6. ſect. 2. ſubſect. 2. §. 16. II. Qui cum Photinianis ſtatuunt, *pro temporum diverſitate* DEUM *diverſas ſui colendi Vias hominum generi oſtendiſſe*, ut *Volkelius* loquitur lib. 11. cap. 8. *vitam æternam in V. fœderis ſcriptis non contineri*, ut *So-cinus* adverſus *Palæologum* ſtatuit; *religionem Scriptam extare in Bibliis ſive libris V. T. at præcipuè Novi, qui Canonici dicuntur*, aſſerunt cum *authore Catechiſmi Rakovienſis Smalcio*: vel cum *Hen-rico Nicolai* putant, *quædam in V. T. in dogmatibus & praxibus ſpiritualibus, ad ſalutem pertinentibus, forte potuiſſe deeſſe.* III. Qui vel cum Pontificiis jungunt libros Apocryphos Canonicis, vel cum Anabaptiſtis planè ſuppoſititios infarciunt Codici ſacro, vel cum aliis hæreticis quædam expungunt, Scripturas depravant, & vel in-tegros libros vel partes ipſorum repudiant. De quibus in ſequen-tibus plura.

XXIV. Rectè cenſetur vocem כארו Pſalm. 22. ℣ſ. 17. eſſe genuinam, atque verbaliter eſſe accipiendam pro foderunt, cujus Radix כור, quæ ejusdem ſignificationis cum verbo כָּרָה Kara fo-dit, tum quia Maſora pro nobis ſtat, tum quia totius Pſalmi ſtructu-ra, quæ Meſſiam virum dolorum repræſentat, & hic ipſe verſus, qui manuum & pedum mentionem facit, nec non prædictio conſimilis Zachariæ 12. ℣ſ. 10. & complementum Joh. 19. ℣ſ. 18. & 37. cap. 20. ℣ſ. 25. & 27. luculenter hoc docet, tum quia LXX. Interpretes ha-bent vocem ὤρυξαν, foderunt, à qua non diſſentit *Aquila*, qui ha-bet ᾔσχυναν fœdarunt, deturparunt, conſpirant *Syrus, Arabs, Æthi-ops*, Rabbini, & Doctores Chriſtiani.

XXIV.

XXV. Falluntur itaque primò Pontificii *Alphonſus Salmero, Gordonus Huntlæus, Philippus Guadagnolus, Petrus Galatinus, Simeon de Muis*, & alii, qui corruptionem fontis ex hoc loco oſtendere volunt. Quidam Calviniani *Franciſcus Junius, Joſephus Scaliger, Chamier in Panſtratia, Nicolaus Fullerus*, qui corruptionem hujus loci *facinus* vocat *inſigni cum imperitia, tum impietate conjunctum*. quanquam non diſſimulandum, etiam ex noſtris quosdam hîc hæſiſſe. Secundo non ſatis prudenter quidam voces conjungunt, & quidem non uno modo, vel jungendo כָּרוּ Karu & אֲרִי Ari fodit & Leo, vel Caph ſimilitudinis notam addendo אֲרִי Ari, vel ſubſtituendo puncta, ut ſit numerus pluralis conſtructus ſeu Regiminis pro abſoluto כאוים ut ſenſus ſit: *Cœtus malignantium circumdederunt me, perforantium manus meas, & pedes meos*, videatur *Chaldæus Paraphraſtes, Avenarius, Geſnerus*. Tertio illi ex Philologis & Theologis, qui vel cum *Polano* retinent illam ʒ כארי ſicut Leo ſignificationem, & Ellipſin Verbi volunt hîc eſſe, quæ frequens aliàs in Scripturis, ut Pſalm. 120. ℣ſ. 7. vel cum *Ludovico de Dieu* præferunt τὸ ὤρυξαν Verbo, quo uſi LXX. Seniores, vel cum *Hugone Grotio* duplicem fuiſſe antiquitus lectionem, quam Chaldæus conjunxerit, comminiſcuntur, & Maſoreticam quoque lectionem poſſe defendi exiſtimant.

XXVI. Matthæi vigeſimo ſeptimo capite verſu nono & decimo conjungi duo Vaticinia, ex duobus Prophetis Jeremia nempe & Zacharia, non improbabiliter dicitur, ita ut ex illo deducatur Emptio, ex hoc vero pretium Agri, atque ſolius Jeremiæ nomine citetur: quod confirmari ſolet conſimilium locorum collatione Actor. 1. ℣ſ. 20. ex Pſalm. 69. ℣ſ. 27. & 109. ℣ſ. 10. 1. Petr. 2. ℣ſ. 7. ex Pſ. 118. ℣ſ. 22. & Eſaiæ 8. ℣ſ. 14. Rom. 3. ℣ſ. 10. & ſeq. nec non Matth. 21. ℣ſ. 5. ex Eſaiæ 62. ℣ſ. 11. & Zach. 9. ℣ſ. 9. ut & verſu 24. ex Eſaiæ 56. ℣ſ. 7. Jeremiæ 7. ℣ſ. 11. & quidem omiſſo uno alterius tantum nomen in allegatione exprimi docet locus Marc. 1. ℣ſ. 3. aut totum teſtimonium, quaſi unius tantum eſſet ſignificati, locus Matth. 21. ℣ſ. 5.

XXVII. Laterem lavant, qui primo operoſè cum Euſebio contendunt, *Vaticinium illud de empto agro ex pretio venditionis in Jeremia extitiſſe, ſed Judæorum perfidia verba illa eſſe expuncta*: ſecundo qui cum *Ludovico Capello* in Crit. ſacra lib. 6. cap. 6. χειροτὸν ἁμάρτημα hic Scribæ, qui illud Evangelium deſcripſit, impingunt.

Tertio

Tertio nondum etiam illis calculum addimus,qui volunt, *hoc allegatum fuiſſe deſumtum ex Apocrypho quodam Jeremiæ, vel per Traditionem oralem fuiſſe propagatum*, aut concedunt, *ex Prophetico Scripto hoc Oraculum eſſe petitum, & quidem Zachariæ, qui fuerit etiam dictus Jeremias, aut Evangeliſtam* volunt *conſulto nominum permutatione fuiſſe uſum, ut oſtenderet, uno eodemque Spiritu omnes fuiſſe afflatos, quæ ingenioſa quidem, ſed minus ſolida eſt B. Auguſtini conjectura* libr. de Conſenſu Evangel. cap. 7.

XXVII. Illud maximè reprehenſione dignum, quod *Nortonus* Knachtbul Anglus *in Animadverſionibus ad N. T. parodoxis Orthodoxis* in tantâ luce literarum: *Errore poſitum eſſe nomen Jeremiæ pro Zachariæ*, aſſerit, *neque inde quicquam periculi vel incommodi* metuit, *aliterque non poſſe nos pro captu humano ſtatuere.* Secundo quamvis laudem mereatur Induſtria *Joſephi Medi*, Academiæ Camabrigienſis quondam Ornamenti, quod in Operum Anglicanorum Tomo ſecundo inter Epiſtolas ad Twiſſum hoc Oraculum ejusque allegationem expenderit, non tamen illius ſententia firmo ſatis ſtat talo, dum ſcil. ſtatuit, *totum hoc allegatum non eſſe Zachariæ etiam ex parte, ſed in ſolidum ſolius Jeremiæ*, quod etiam aliquot rationibus confirmare ſatagit. Tertio plus quoque ſubtilitatis habet Opinio *Joannis Lichtfooti* Angli, quam ſoliditatis, qui exiſtimat *totum volumen Prophetarum citari à primo Propheta Jeremia ſcil. denominatum*, ſupponens, ſeductus à Rabbinis quibusdam, ſecurè, *Jeremiam primum inter Prophetas locum obtinuiſſe*, quod tamen ipſi Ebræi improbant.

XXVIII. Cainan, qui conſpicitur in Exemplaribus Lucæ, ſecundum quam plures ὑποβολιμαῖος facile deprehenditur, ſi primo collatio inſtituatur cum Genealogia, quàm adornavit Moſes Genes. 11. vſ. 12. & conſulatur libri primi Paralipomenων caput primum & verſiculus illius vigeſimus quartus, ubi nullum illius occurrit veſtigium; ſi ſecundo ipſa Græca Lucæ Exemplaria conferantur, quæ non omnia fovent hunc ſuppoſitium fœtum, obſervante *Scaligero* & *Beza*; tertio ſi verſiones Chaldaica & Arabica, Perſica, Latina, & cæteræ conferantur, quarum nulla habet hunc Cainanem: ignotus ille *Philoni* & *Joſepho*, imo ipſa Patria LXX. ſcil. Interpretes, qui pro illo laudantur, ſuſpecta. Nam etiam in illorum Interpretum Editione, quæ olim in *Alexandrina Cleopatræ*

Bibliotheca, & Hexaplis *Origenis* fuit inſerta, habitaque pro ſola incorrupta, caret illo, & ita Moſis verba exprimit; καὶ ἔζησεν Κεβαξὰθ ἑκατὸν τεσσαράκοντα πέντε ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Σαλά. Unde etiam, qui verſione ſeptuagintavirali uſi, eum prætererierunt.

XXIX. Non itaque facimus primo cum Pontificiis, qui cum *Lipomanno, Cano, Martino Del Rio, Alphonſo Salmerone, Auguſtino Torniello, Saliano, Harvillæo, Samerio*, & aliis quam plurimis, negant *Cainanum eſſe* παρένσακτον, quibus opponimus *Cornelium à Lapide* & *Joannem Cordeſium*. Secundo cum *Jacobo Bolduoco Capuccino*, qui Arphaxadum cum Cainane confundit. Tertio cum quibusdam, *Hermanno* ſc. *Contracto, Joanne Lucido*, & ex Calvinianis *Ludovico de Dieu* & *Franciſco Gomaro*, qui Cainan & Salam eundem eſſe volunt, atque ita reddunt, τοῦ Σαλά, τοῦ Καϊνάν, *qui fuit Sala, qui & Cainan.*

XXX. Sed quid cenſendum de variis lectionibus in codicibus N. T. occurrentibus, in quibus deprehenditur vel additio vocum, ut Joh. 7. ℣ſ. 39. τὸ διδόμενον in quibusdam exemplaribus, vide etiam 2. Petr. 1. ℣ſ. 10. vel Phraſium & Sententiarum, ut Actor. 14. ℣ſ. 7. ubi in quibusdam codicibus additur: *& mota eſt tota multitudo ſuper illâ doctrinâ. Paulus verò & Barnabas degebant Lyſtriæ.* vide quoque 1. Joh. 2. ℣ſ. 23. ubi additur: *qui confitetur Filium, etiam Patrem habet.* Vel detractio ſeu vocum, ut Math 6. ℣ſ. 6. & 18. ἐν τῷ φανερῷ, in quibusdam exemplaribus non legitur, ut & illud cap. 9. ℣ſ. 13 εἰς μετάνοιαν; ſeu ſententiarum, ut illuſtris illa Matth. 18. ℣ſ. 11. *Venit enim Filius hominis ſervare, quod perierat.* Adde locum 1. Johann. 5 ℣ſ. 7. vel mutatio in nominibus propriis Marc. 5. ℣ſ. 1. & 7. cap. ℣ſ. 26. in numero, ut Matth. 3. ℣ſ. 8. Actor. 7. ℣ſ. 51. in genere ut Joh. 12. ℣ſ. 32. caſibus Matth. 3. ℣ſ. 8. Rom. 4 ℣ſ. 11. verbis 1. Corinth. 1. ℣ſ. 15. temporibus verborum Matth. 13. ℣ſ. 24. modis 1. Corinth. 15. ℣ſ. 49. perſonis 1. Joh. 4. ℣ſ. 3. vocibus conjugatis Matth. 5. ℣ſ. 48. & 17. ℣ſ. 5. vocibus diverſis ejusdem ferè ſignificationis Matth. 23. ℣ſ. 8 & diverſa ſignificationis Matth. 2. ℣ſ. 11. Luc. 14. ℣ſ. 15. ſententiis Matth. 19. ℣ſ. 17. textus diſtinctione 1. Cor. 7. ℣ſ. 33. vel metatheſis in ſingularibus vocibus Marc. 5. ℣ſ. 5. Sententiis Matth. 23. ℣ſ. 8. Cenſemus autem, illam varietatem non arguere corruptionem textus ſacri, cum quædam ita ſint comparata, ut utraque lectio ſine ullâ ſenſus jacturâ commodè

modè retineri, & in textus explicatione conjungi poſſit, quædam ita, ut una alteri ob inſtitutam ἐξέτασιν & diſcretionem præferenda ſit, licet neutra fidei analogiæ repugnet, quædam verò ita, ut una retinenda, & altera, quæ vanitatis coarguitur, rejicienda, pleræque etiam ut irrepentes ex oſcitantia Scribarum, ſtudio & opera *Complutenſium*, *Eraſmi*, *Roberti Stephani*, *Bezæ* & aliorum fuerint reſtitutæ. Nec deſunt adminicula, quibus in genuinæ lectionis veritatem poſſumus devenire, qualia Exemplarium antiquorum & probatorum fides, Doctorum Veterum Allegatio & Expoſitio, Scripturæ Conformitas & Analogia, variæ Paraphraſes & Verſiones.

XXX. Nimis itaque exaggerat illam varietatem I. *Johannes Morinus* in exercitationibus ſuis p. 80. ita ſcribens: *Robertus Stephanus Novum T. Græcum cum ſedecim antiquis MSS. Græcis exemplaribus contulit, variasque lectiones ex iis collegit, easque adſcripſit margini editionis, quæ anno 1550. typis elegantiſſimis in folio Lutetiæ excuſa eſt. In ſolo Matthæo collegit 298. loca, quibus Textui Græco, quem Robertus excudebat, in aliis Codicibus additum erat aliquid aut immutatum; præter 35. alia loca, quæ ut dictionibus nonnullis deficientia, obeliſco jugulavit. Similiter in ſequentibus libris Novi T. etiam varias lectiones annotavit, adſcribens ſimul in margine, ex quo Codice MS. illas varietates deprompſerit. Atqui Matthæus totius Novi T. circiter pars octava eſt: adeò ut ex 16. illis MSS. exemplaribus collegerit circiter 2384. variantes lectiones, præter 280. defectus obeliſcis notatos. Si ſuprà dictus Stephanus adhuc plures codices, præter illos ſexdecim, contuliſſet, procul dubio etiam plures varias lectiones collegiſſet. Illa eadem editio Roberti Stephani eodem modo cum omnibus variantibus lectionibus ſecunda vice impreſſa eſt Francofurti typis Wechelianis anno 1601.* II Ex Arminianis *Stephanus Curcellæus*, qui præter varias lectiones *à Roberto Stephano* obſervatas, multas alias exhibet in editione N. T. anno 1658. Amſtelodami impreſſâ, quas ex Codice illo manuſcripto *Theclæ* Conſtantinopolitano, editione *Frobenianâ*, *Hiſpanicâ* & aliis collegit, nec non promittens adhuc alias. Quaſi verò quævis lectiones in hoc vel illo vitioſo Codice occurrentes, faciant varietatem lectionum, cum ita in immenſum eſſent multiplicandæ. Annon enim illæ tantùm habentur pro variantibus lectionibus, de quibus occurrit ratio dubitandi, num pro

genuinis, nec ne, ſint habendæ? III. *Gordonus Huntlæus*, qui pro Lydio lapide dignoſcendarum variantium lectionum, & oſtendendæ veræ, ponit Vulgatam Verſionem, ſcribens controvers. 1. cap. 13. §. 1. *Nos textum Græcum N. T. depravatum eſſe affirmamus, præſertim ubi diſſentit à vulgatâ noſtrâ editione.*

XXXII. Impingunt non tantùm, qui defectum integrorum librorum aut Epiſtolarum N. T. inconſideratè propugnant, ſed & illi, qui cum Rabbi *Farrare* aliisque Judæis, quibus *Hugo Brougthonus* ſe oppoſuit, ut ipſe teſtatur in libro *de familiâ Chriſti* Anglicè edito, Marcionitis & Manichæis, *Muhamede*, *Azoarâ* quinta, *Sebaſtiano Franco* in præfatione ad paradoxa, & in librum 7. Sigillorum, corruptiones locorum eliciunt, vel cum *Melchiore Cano*, *Pento*, *Bailio*, *Bonfrerio*, *Menochio*, *Huntlæo*, *Serario* corruptionem textus Græci tribuunt hæreticis, Origeniſtis, Manichæis, Valentinianis, Arianis, Macedonianis, Neſtorianis, cum *Tirino* Librariorum & Typographorum negligentiæ & invidiæ; vel cum *Bellarmino* lib. 2. de Verbo DEI cap. 7. ſect. 5. ſtatuunt, *Novum Teſtamentum eſſe ſummæ authoritatis, ſed cum exceptione quadam, niſi conſtet, illud eſſe corruptum*, & allegant ea de cauſa locum 1. Corinth. 15. ℣ſ. 47. qui tamen genuinus. 1. Cor. 7. ℣ſ. 33. & ℣ſ. 34. qui tamen in omnibus ferè Codicibus fundatus, & conſpirantem habet Arabicam & Syriacam verſionem, quæ verbum μεμέρισται conjungunt cum conſequentibus. Rom. 12. ℣ſ. 11. genuina enim eſt lectio: κυρίῳ δουλεύοντες ſecundùm quoſdam, quanquam præferenda videatur καιρῷ δουλεύοντες, ex Codicum multorum conſenſu & teſtimonio *Eraſmi*; quem ſenſum quoque expreſſit in ſuâ verſione *B. Lutherus*. 2. Qui objiciunt Hiſtoriam adulteræ Joh. 8. ℣ſ. ult. Evangelium Marci à nono usque ad finem, teſtimonium illuſtre de Trinitate 1. Joh. 5. ℣ſ. 7. 3. *Complutenſes*, qui in editione primâ & præſtantiſſimâ Bibliorum anno 1515. impreſſi, notas accentuum & ſpirituum omiſerunt, & putarunt, illas non pertinere ad integritatem textûs N. T.

XXXIII. Fruſtra quoque ſunt illi, qui in præjudicium Integritatis librorum N. T. ſubventaneos fœtus commendant, & prædicant *Abgari Epiſtolam ad* CHRISTUM, & CHRISTI *ad Abgarum*, quæ legitur apud *Euſebium* lib. 1. hiſtor. Eccles. cap. 13. cùm nullus tum temporis fuerit Uckaniæ Rex, qualis dicitur ille *Abgarus*, nec ullum colorem habeat, Chriſtum aliquid citaſſe in N. T. ut in illâ

Epiſto-

Epiſtolâ occurrit. *Pro Evangelium Jacobi*, cujus meminit *Origenes* & *Hieronymus*, quod fabuloſiſſima prodit de *Joachimo*, *Annâ* & *Mariâ*. *Evangelium Nicodemi*, quod prodit ſuam ſpuriam originem, in fine finiens, *in nomine ſanctæ Trinitatis* &c. *Evangelium Ebionitarum*, quod idem cum Matthæi, ſed corruptum. *Evangelium Nazarenorum*, *Encratitarum* & *Pauli*, *Epiſtolam Lentuli de* CHRISTO, de quâ *Daniel Mallonius* ad *Alphonſi Paleotii hiſtoriam de* CHRISTI *ſtigmat.* cap. 11. *Epiſtolam S. Mariæ Virginis ad Ignatium*, & *hujus ad illam*, quam ut confictam rejiciunt *Pametius*, *Valla*, & *Cocus*. *Pontii Pilati de* CHRISTO, cujus meminit *Tertullianus* in Apologiâ. *Canones Apoſtolorum*, qui inter opera *Clementis Romani*, & à Papa *Leone* nono inter ſcripta orthodoxæ fidei relata, quorum author, authoritas & numerus in incerto: *Liturgiam Jacobi, Petri*, *Matthæi*, *Marci*, *Epiſtolam ad Corinthios Clementis ſecundam, primam ad Jacobum, ſecundã ad Jacobum, Epiſtolam ad omnes Coëpiſcopos*, *ad Julium & Julianum*, *ad Fratres Hieroſolymæ cum Jacobo habitantes*, *librum unum Apoſtolicæ Liturgiæ, Canonum Apoſtolicorum librum unum, libros decem recognitionum*, *itinerarium Clementis*, *Pauli Epiſtolam tertiam ad Corinthios*, *tertiam ad Theſſalonicenſes*, *ſex ad Lucium Annæum Senecam*, *de raptu ſuo in cœlum*, *librum de actibus ſuis*, *librum de ſuis & Teclæ actibus*, *Linum de paſſione Petri & Pauli*, *Prochorum de vitâ Johannis Apoſtoli*, *Hermetis libros tres*, *Martialis Epiſcopi Lemovicenſis Epiſtolas duas*, *unam ad Burdegalenſes*, *alteram ad Tholoſanos*, *Dionyſii Areopagitæ Scripta*, & conſimilia.

XXIV. De *Pentateucho Samaritano*, qui conſtat literis Samaritanis, & caret vocalibus, eruditi cenſent, quòd plurimis laboret nævis, & proinde non poſſit pro authentico haberi, & per exempla probant. Deuter. 22. ℣ſ. 20. סובא notat bibonem, at Samaritanus ſubſtituit מתועב vertitque abominandum Numer. 20. ℣ſ. 22. & 23. הור. Hor nomen proprium vertit appellativè הר Montem. Gen. 1. ℣ſ. 2. Ruach Elohim Samaritano non eſt Spiritus S. ſed ventus, & ſic in plurimis, obſervantibus ſacris philologis.

XXV. Patet igitur 1. quid dicendum de Sententia *Hieronymi* ſcribentis *in præfatione ad libros Regum* tom. 4. *Samaritani Pentateuchum Moſis totidem literis ſcriptitant*, *figuris tantum & a-*

picibus diſcrepante. Quod etiam adoptavit *Joſephus Scaliger lib. de emendat. temp. 6. p. 662.* 2. Quid de ſententia quorundam Judæorum, qui cum *Benjamino Tudelenſi* falsò dicunt, *Samaritanos Pentateuchum ſuum corrupiſſe.* 3. Quid de ſententia *Johannis Morini, Bleſenſis Congregationis Oratorii*, ut vocant, *Presbyteri*, qui *Pentateuchum Samaritanum textui Hebræo ſuperiorem eſſe* aſſerit, & ſcribit: *Se Pentateuchum ſuum Samaritanum purum putum Moſis Pentateuchum deprehendiſſe*, cùm tamen quàm plurimis ſcateat erroribus.

XXVI. Sed quid habendum de *prima Clementis ad Corinthios*, quam à *Cyrillo Epiſcopo Conſtantinopolitano ad Regem Angliæ* cum codice *Theclæ* transmiſſam, *Patricius Junius*, Bibliothecarius Regius in Anglia ante aliquot annos edidit *Oxonii?* Canonicam eſſe, non dicendum: Canon enim Biblicus illis conſtat libris, qui hodie noſtra manu volvuntur, & cum Apocryphis paſſim proſtant; genuinam tamen, adeòque à *Clemente* exaratam, nec ſubventaneum illius fœtum quidam colligunt, tum ex mentione Templi adhuc extantis illo tempore, ſacrificiorum adhuc fumantium, Sacerdotum adhuc miniſtrantium, tum ex teſtimonio *Irenæi* lib. 3. Euſebii lib. 3. cap. 12. & ex recentioribus B. *Chemnitii* in Examine Concilii Tridentini de confirmatione, cap. 32. de qua nos noſtrum ſuſpendimus judicium. Aliàs illæ, quæ extant ſub ejus nomine Epiſtolæ, & in tom. 1. Conciliorum leguntur, de quibus ſupra, ſatis ſe produnt, utpote in quibus occurrunt *honor Cathedræ & poteſtas, Vulgus ineruditum, Laici epibate*, quæ nova nomina, nec Apoſtolicis temporibus uſitata. Novæ res ſacratæ, ſcil. *veſtes, vaſa, altaris palla, cathedra, candelabrum, velum, miſſa*, & conſimilia. Nova officia, *Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Metropolitanorum*, unde ipſe *Bellarminus* ſcribit, *eas non carere Scrupulo.* Leviter illos tangit *Sixtus Senenſis.* Et quàm propudioſè in ultima Epiſtola dicitur: *Sapientiſſimum Græcorum dixiſſe, communia debere eſſe amicorum omnia, in omnibus autem ſine dubio conjuges.*

DISPU-

DISPUTATIO DECIMA NONA

De

PERSPICUITATE SCRIPTURÆ,

THESIS I.

EXcipit perfectionem Perſpicuitas, Dignitas ſcil. ſive Proprietas Scripturæ, quâ Verbum DEI in literas redactum, ea, quæ continet dogmata, tum fidei tum morum, neceſſaria cognitu, ex intentione authoris & vi verborum, clarè & luculenter proponit, ut omnis docilis, & attendens, poſſit cognoſcere voluntatem DEI, nec luce alienâ, nec externâ indigeat; quam demonſtrant Dicta Scripturæ, quæ illam ſub ratione luminis & lucernæ nobis præſentant, Pſalm. 119. ℣ſ. 105. Proverb. 6. ℣ſ. 23. 2. Petr. 1. ℣ſ. 19. Secundò partes, quæ ſunt Lex & Evangelium, quæ Verbis perſpicuis tum in Decalogo, tum Joh. 3. ℣ſ. 16. nobis proponuntur; nec alio fine Scriptura à DEO fuit Eccleſiæ commendata, quàm ut ex illâ cognoſceret illius voluntatem, quæ credenda, facienda & fugienda, quod ex obſcuro Volumine & Sibyllæ foliis nemo obtinebit. Tertiò Patres Eccleſiæ, *Irenæus* lib. 3. cap. 11. *Tertullianus* lib. de reſurrectione carnis, cap. 47. *Clemens Alexandrinus* in protreptico. *Lactantius* lib. 6. inſtit. cap. 21. maximè verò *Chryſoſtomus* & *Auguſtinus*.

II. Dirigimus hanc theſin I. contra Pontificios, qui cum *Bellarmino* Scripturam dicunt *ambiguam*, cum *Gregorio de Valentia in maximis fidei quæſtionibus obſcuram*, cum *Caniſio naſum cereum*, cum *Salmerone* obſcuriorem *Heraclyti* libro & *Ariſtotele*, *qui ob affectatam obſcuritatem ingeniorum carnifex* audiat, & proinde *Piſtorium Apoſtatam* ſecuti, ſtatuunt, *Eccleſiam illi inferre lucem*: *Valerianum Magnum*, affirmant, *verum ſenſum Scripturæ ab Eccleſiâ eſſe exigendum*: *Gordonum Huntlæum*, *ex Eccleſiæ judicio & interpretatione* dicunt *unicè hauriendum eſſe*. Quibus videntur accedere moderni quidam Theologi aliquatenus, dum *Scripturam in Eccleſia Scripturam explicitam*, *Scripturam verò in ſe traditionem Apoſtolorum implicitam eſſe* docent. II. Contra

quos

quoſdam Calvinianos, qui vel cum *Piſcatore* in Reſpons. Apolog. ad *Cunradum Vorſtium*, part. 1. pag. 20. in genere. Scripturam *obſcuritatis* arguunt; vel in ſpecie cum *Oecolampadio* libr. de Verbo DEI, *Matthæum & Marcum obſcurè ſcripſiſſe de Cœnâ Domini, ideoque Sententiam petendam eſſe ab eo, qui clarius ſcripſit, videlicet Lucâ:* cum *Calvino* in admonit. ultim. *Sententiam Pauli, quâ jubet nos induere CHRISTUM, eſſe obſcuram* pronunciant. III. Contra Socinianos, qui conformiter *Smalzio* contra *Franzium* impudenter ſtatuunt: *nihil dubitandum eſſe, Chriſtum ita locutum eſſe, ut hoc & illo modo verba ipſius intelligi poſſent, ut homines improbi verba non conſiderantes haberent, quod ſpecioſè carperent, hunc enim morem fuiſſe CHRISTI, improbos homines ſuis ſermonibus quaſi intricare.* Adde *Eniedinum Wigelianos*, qui cum *Wigelio* parte ſecundâ Poſtillæ pag. 185. Scripturam vocant *obſcuram & ambidextram, quâ etiam in injuſtiſſimâ cauſâ aliquis uti poſſit contra adverſarium; Quackeros*, qui Scripturam quidem dictam à luce admittunt, ſed addunt, *illam non eſſe lucem, nec verbum, nec vitam, nec judicem, nec regulam, nec hodegetam. Iſaacum Peyrerium*, qui in Syſt. libr. 4. cap. 1. hæc habet: *tantâ incuriâ & caligine tantâ ſcripta eſſe, quæ ſcil. in Bibliis extant, ut nihil plerumque intricatius, nihil obſcurius legi poſſit.*

III. Ita autem aſſerimus Perſpicuitatem Scripturæ, ut non tantum cum Paulo, *nos videre hîc per ſpeculum & ænigma*, 1. Cor. 13. dicamus, ſed etiam primò admittamus diverſam lucis menſuram, ita ut quidem ſatis clara ſit in ſingulis doctrinæ capitibus, ad fidem cultumque DEI neceſſariis; non tamen in omnibus locis: quemadmodum Cœlum Græcis dictum Olympus, quaſi ὁλολάμπης, totus ſplendidus, quod tamen inæquali lumine fulget, radios explicet in hiſtoriis, condat aliquatenus in Vaticiniis, in libris V. T. lunam, in N. verò Solem referat. Proinde etiam *Auguſtinus* lib. 2. de doctrinâ Chriſtianâ: *in his, quæ apertè in Scriptura poſita ſunt, inveniri*, ait, *illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi*, & alibi: *ita magnificè & ſalubriter Spiritus S. Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret:* Secundò ut ſtatuimus, res eſſe diſcernendas à verbis, & concedamus, illas ſæpè eſſe ὑπὲρ νοῦν καὶ κατάληψιν, interim utut res ipſæ ſint altiſſimæ & profundiſſimæ, omnem humani in-

ni intellectus perſpicaciam tranſcendentes, nihilominus verbis claris, perſpicuis, & ſimplici ſermone tradi: Tertiò non ita claram dicimus Scripturam, ut excludamus vel organa ancillantia, vel media interpretationis, multò minus illuminationem Spiritus S. quaſi etiam cuivis quacunque mente & propoſito illam accedenti ſit obvia, & ingerat profano etiam non attendenti nobile verum: neceſſariam enim eſſe illuminationem Spiritus S. & conjungendam eſſe lectioni Scripturæ, docet tum conditio Subjecti, quia homo irregenitus eſt *caro de carne* Joh. 3. ℣ſ. 6. *eſt animalis* 1. Corinth. 2. ℣ſ. 14. *luce deſtitutus, & tenebris obſeptus* Eph. 4. ℣ſ. 18. Tum natura & indoles objecti, quod res ſpiritualis, ſphæram humani intellectus tranſcendens, unde Chriſtus: *Si terrena vobis dixero, & non credatis, quomodo, ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?* Joh. 3. ℣ſ. 12. tum qualitas actus illuminatorii, qui non poteſt eſſe niſi à Spiritu S. Eph. 1. ℣ſ. 17. Joh. 6. ℣ſ. 29. Actor. 16. ℣ſ. 14. Quod etiam demonſtrant exempla populi Iſraëlitici Deuter. 29. ℣ſ. 2. Phariſæorum & Scribarum Matth. 23. ℣ſ. 2. imò Diſcipulorum Chriſti Luc. 18. ℣ſ. 20.

IV. Errant itaque I. ex Pontificiis, qui nobis imponunt, quaſi Scripturam ita ſtatueremus lucidam, ut nihil in illa difficile, & quod Sapientes etiam myſterio exerceat, agnoſceremus: expendatur Syllogiſmus *Jeſuitarum Moguntinenſium.* II. Ex Calvinianis, qui verba Scripturæ obſcuritatis arguunt, *ut Piſcat. Reſp. Apolog. ad Conrad. Vorſt. part. 1. p. 20.* Sic in ſpecie, quando deſcenditur ad Articulum quempiam fidei, qui ſuperat rationis humanæ captum, ſtatim excipiunt; haud ſtandum eſſe Scripturæ verbis, quippe obſcuris. Hinc *Calvin. admonit. ult. p. 221. Sententia Pauli, qui nos jubet induere* CHRISTUM Rom. 13. ult. *eſt obſcura. Oecolamp. l. de Verb.* DEI ait: *Matthæum & Marcum obſcurè ſcripſiſſe de Cœna Domini, ideòq; ſententiam petendam eſſe ab eo, qui clariùs ſcripſit, videlicet Luca:* III. Qui vel, ut nonnulli Viri docti, quemadmodum *Mareſius* loquitur, cenſent, *perſpicuitatem ſacræ Scripturæ eſſe attributum reſpectivum, non abſolutum, nec in ſe perſpicuam dici poſſe, ſed tantùm reſpectu hominum,* & cum *Exercitature Paradoxo c. 3. §. 3.* erinere non verentur: *Ex his autem definitionibus manifeſtum evadit, tam perſpicuitatem quam obſcuritatem, reſpicere auditoris, lectoriſve intellectum, adeoque totam utriuſque naturam conſiſtere in relatione ad aliud. Quod idem inſuper ex eo confir-*

 matur,

matur, quod ſæpiſſimè accidat, orationem, quæ uni obſcura eſt, alteri eſſe perſpicuam, & contra &c. Unde gravis eſt illorum Theologorum error, qui non ut de relatis, ſed tanquam de rebus abſolutis loquuntur, quando de S. Scripturæ perſpicuitate atque obſcuritate diſputant, easque ad ſolem ejusque lucem comparatione explicant. Sic Magnus inter Reformatos Theologus: Perſpicuitas Scripturæ eſt proprietas, quæ in ipſa Scriptura eſt, & quam ſemper retinet, ſive homo illuminatus, ſive non illuminatus ſit; quamvis non illuminatus iſtam perſpicuitatem non videat: ſimili modo, quo Sol in ſeipſo clarus eſt & manet, ſive homo oculos aperiat ſive claudat; ſive videat, ſive cæcus ſit: iſta enim in homine varietas ipſum Solem nec clarum nec obſcurum reddere poteſt. Et ut nihil intereſt (ſunt verba alterius, inquit, eximii inter Reformatos Theologi) ad Solis lucem, quis ſit oculus: quia quicunque tandem ille ſit, tamen Solem videre non poteſt, niſi per ejusdem Solis lucem, & ideò ſemper Sol lucidus eſt, quamdiu percepta ejus luce videtur, nec aliter videtur; ſic perſpicua erit Scriptura, quia ſive magis ſive minus acuta ingenia, Scripturas ex Scripturis intelligunt, quæcunque tandem menſura ſit, gradusve intelligentiæ. Vel ad mentem *Arminianorum, illuminationem, quæ per Scripturam ſit, irreſiſtibilem eſſe volunt,* cum *Epiſcopio* dicunt ex tomo 2. oper. pag. 445 *ad intelligentiam Scripturæ conſequendam aliud neceſſarium non eſſe, quàm vim apprehendendi & percipiendi ſenſum illorum verborum, quæ clarè & ſignificanter proponuntur, quæ vis naturalis & omnibus ratione præditis communis in omni ætate;* vel ſecundùm Photinianorum placita dicunt: ſufficere legiſſe ſcripturam, de quo in ſequenti theſi. Videatur *Oſtorodus* in inſtit. cap. 1. p. 3. & 4. *Volkelius* libr. 5 *de Veritate Relig. Chriſtianæ* cap. 6. *Author brevis disquiſitionis contra Valerianum Magnum de Acatholicorum regulâ* cap. 4. pag. 15. & 17.

V. Excedunt itidem hîc primò qui primò, cum Photinianis Spiritus S. operam non requirunt ad Intelligentiam Scripturæ, ſed claritatem *objecti ſufficere* opinantur, atque cum *Oſtorodo* in Inſtit. cap. 1. p. 3. & 4. ita pronunciant: *Judicamus, omnes illos graviter & periculoſe errare; qui putant, S. Scripturam ſine præcedenti interna illuminatione, & ſpeciali revelatione ſpiritus ſancti nullo modo fidem & obedientiam in hominibus efficere poſſe. Quas opiniones,*

brevi-

breviter, ut ſcripti hujus ratio poſtulat & patitur, falſas eſſe demonſtrabimus. pag. 2. §. 5. quod alterum illud ſpectat, quaſi homo ſine ſpeciali interna illuminatione & revelatione ſpiritus ſancti nullum uſum ad ſalutem ſui ſpectantem ex S. Scriptura habere poſſit, quando illam legit, vel audit legi &c. Secundo, qui cum Remonſtrantibus easdem inflant tibias, & dicunt: *Præterea eorundem librorum, (ſacrorum ſc.) licet alicubi (præſertim indoctis & minus exercitatis) ſatis obſcuri ſint, tanta eſt claritas & perſpicuitas, in ſenſibus imprimis ad æternam ſalutem intellectu neceſſariis, ut omnes Lectores, non docti tantum, ſed & idiotæ, (communi quidem ſenſu ac judicio præditi) quantum ſatis eſt, mentem eorum adſequi poſſint, modo præjudicio, vana confidentia, aliisq; pravis affectibus ſeſe occæcari non ſinant, ſed Scripturam hanc pie & ſedulo ſcrutentur, &c.* Tertio, qui cum Carteſianis, inprimis *Wolzogio de Interpr. Script.* p. 175. conſimiliter loquuntur & dicunt: *Credimus ſemper ea, quæ ſalus noſtra exigit, ut ſciamus, eſſe obvia, & ita clara, ut ab omnibus intelligi poſſint, in quibus ſuam Voluntatem* D e u s *expreſſit, ut non poſſimus de eâ dubitare.*

VI. Cùm autem D e u s mentis & linguæ artifex perſpicuè nobis voluerit tradere Myſteria regni, ideòque Scripturam patere volumus omnibus & ſingulis, ut ſcil. illam legant non tantùm docti ſed & Laici: huc enim ducit ipſe Chriſtus, ablegans fratres epulonis ad Scripturas, dicendo: *habent Moſen & Prophetas, illos audiant* Luc. 16. ℣ſ. 19. Judæis intimando τὸ ἐρευνᾶτε; *ſcrutamini Scripturas.* Joh 5. ℣ſ. 39. Secundò commendatio *lectionis* à Paulo 2. Tim. ℣ſ. 15. *attentionis* 2. Petr. 1. ℣ſ. 19. Tertiò promiſſio divina de felici ſucceſſu Eſa. 54. ℣ſ. 13 Joh. 6 ℣ſ. 45. adde finem indicatum Rom. 15. ℣ſ. 4. & hac quidem in Sententiâ fuerunt non tantùm ex Patribus *Ignatius, Cyprianus, Hieronymus*, ſed vel maximè *Chryſoſtomus.*

VII. Perverſè Pontificii primò, qui cum *Sixto Senenſi* lib. 6. Biblioth. annotatione 152. dicunt, *Laicis lectionem biblicam permittere, eſſe ſanctum canibus dare*, & ad Mentem *Nicolai de Mayre Conſiliarii, Eleemoſynarii & Prædicatoris Regis Chriſtianiſſimi in Sanctuario profanis occluſo* illud defendere ſatagunt. Secundò illam in Indicem librorum prohibitorum referunt: Tertiò Orthodoxos & alios *tanquam propter ſcelus aut flagitium commiſſum*, ſi legunt Scripturam, perſequuntur, quemadmodum olim ferventibus

 perſe-

perſecutionibus contra *Waldenſes* ſatis habebatur, quòd *Remundus* *Comes Toloſanus* accuſaretur, *quòd Biblia legiſſet.* Unde & Typographus aliquando combuſtus fuit Codice biblico à fronte & tergo bene cinctus & ſecum cremato, cædis nempe ſuæ indice & cauſâ: planè ad ingenium *Juliani* Apoſtatæ, qui Chriſtianos reprehendit hoc nomine, *quòd mulieres puerosque Scripturas legere patere* [illegible], teſte *Cyrillo Alexandrino* lib. 6. & 7. Perverſi itidem *Manichæi*, *Antinomi*, *Anabaptiſtæ* & *Mennonitæ*, qui vilipendunt Scripturam V. T. & lectionem illius neque urgent neque approbant. Perverſi denique Photiniani, qui *ſub N. T. V. T. librorum lectionem non neceſſariam nec magni momenti eſſe* ſtatuunt: A quibus non multum videtur recedere *Simon Epiſcopius.* Planè impiè autem *Quintinus*, *Dux Libertinorum*, ad ſuppliciũ in urbe Nerviorum ductus, populum monuit, *ut diligenter à ſacris literis caveret: nihil pejus aut perniciosius eſſe earum lectione ſimplicibus & illiteratis Viris.*

DISPUTATIO VIGESIMA

De

INTERPRETATIONE SCRIPTURÆ,

THESIS I.

TRibuimus, ex Dictis, Scripturæ facultatem interpretandi ſemetipſam. Docent quippe Noſtri, ſupremum Interpretem Scripturæ eſſe DEUM, tanquam Authorem illius Matth. 11. ℣. 25. 26. 27. 2 Petr. 1 ℣. 20. 1 Joh. 5 ℣. 7. Unde *Hieronymus* ad Paulinum: *niſi aperta fuerint univerſa, quæ ſcripta ſunt ab eo, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit, qui claudit, & nemo aperit, nullo alio reſerante pandentur:* ut autem epiſtola ab aliquo profecta ſenſum de ſe fundit legenti, ut decretum Principis per verba perſpicua intimat voluntatem ejus, ut teſtamentum patris exponit ſenſa animi, ut ex ipſa voce inſtrumenti poſſit haberi, quid illis ſit ſignificatum; ita cùm Scriptura nihil aliud ſit, quàm Epiſtola Omnipotentis ad ſuam creaturam, Promulgatio Legalis & Evangelicæ Voluntatis, Teſtamentum quoddam 2. Cor. 3 ℣. 6. eſt,

inde

inde mens ſeſe prodet illius, obſervante *Optato Milevitano* lib. 5. *contra Parmen.*

II. Ita autem Scriptura ſeipſam interpretatur, ut non excludat interpretes ordinarios, quales in V. T. fuerunt Sacerdotes & Levitæ Malach. 2. ỳſ. 7. hodie ordinarii Paſtores & Doctores Eph. 4. ỳſ. 11. & 15 Et cùm ipſa Scriptura fundat ſenſum de ſe Doctoribus, qui illam volvunt, eundem quoque non invidebit unicuique privato ſcrutanti ex numero fidelium: cur enim juberetur ſcrutari in illa tanquam in minera quadam, niſi aurum poſſet educere, tanquam in profundo maris, niſi margaritam omnibus theſauris pretioſiorem inde poſſet ſibi comparare, tanquam in ſylvâ aliqua, niſi indagine piâ poſſet cervam matutinam invenire? Joh. 5. ỳſ. 39 adde Luc. 16. ỳſ. 29. Actor. 17. ỳſ. 11. 2. Timoth. 3. ỳſ. 15 graduum aliquam diverſitatem in hoc officio & actu agnoſcimus inter Doctores & auditores, excluſionem ab hac facultate ſimplicium pernegamus, adeòque Scripturæ Interpres eſt vel publicus, qui hodiè maximè ſe prodit in libris noſtris Symbolicis, vel privatus, fidelis ſcil. Anagnoſtes.

III. Feliciter autem Interpretatio ſuſcipitur & abſolvitur, ſi requiſita & media non negligantur, quibus ad inveſtigationem veri ſenſus graſſamur. Requiritur enim primo ex parte ſubjecti in Interprete *velaminis* remotio, de quo 2. Corinth. 3. ỳſ. 16. animi diſpoſitio, absque quâ nihil proficies teſte Chriſto Luc. 9. ỳſ. 62. quæ conſiſtit in firmâ perſuaſione ſenſus impetrandi à DEO, de quo Proverb. 2. ỳſ. 6. ardentibus precibus pro illuſtratione, Jacob. 1. ỳſ. 5. timore DEI Pſalm. 25. ỳſ. 14. deſiderio Veritatis Pſalm. 119. ỳſ. 4. docilitate Joh. 3. ỳſ. 21. voluntate faciendi voluntatem DEI Joh. 7. ỳſ. 17. rudimentorum præcognitione, Hebr. 5. ỳſ. 12. & 13. notitia linguarum, quibus Scriptura exarata 1. Corinth. 14. ỳſ. 5. humilitate Prophetis & Miniſterio ſacro ſubdita 1. Cor. 14. ỳſ. 32. Quibus ſi quis inſtructus, adire poterit divinum hoc ταμεῖον; ex parte verò Actus in ipſa lectione & ἐξεργασίᾳ requiritur, præter communia bonæ interpretationis media & apparatum ancillarem diſciplinarum liberalium, præſertim in doctioribus, non tantùm aſſidua inveſtigatio, quam Paulus commendat 1. Tim 4. ỳſ. 13. Scopi attentio, tum generalis tum ſpecialis, & cum ille ſit Chriſtus, ad illum maximè reſpiciendum: Joh 5. ỳſ. 39 Circumſtantiarum collectio, quæ lucem ſæpius affundit dicto, ut conſtat ex Matth. 12. ỳſ. 9. totius textus cum antecedentibus

 & con-

& conſequentibus accurata expenſio, circa quod medium Diabolus peccavit Matth. 4. v. 6. literæ præ figurâ electio, cui tamdiu inſiſtendum, quàm diu poteſt, nec ab illa diſcedendum ad tropum, niſi neceſſitas premat, quod quidem maximè conducit ad explicationem verborum Chriſti Matth. 26. v. 26 27. 28. Sed & tandem analogia fidei, quam inprimis laudat Paulus Rom. 12. v. 6 ubi per illam analogiam non intelligimus μέτρον τῆς πίστεως cum *Bezâ*, *Piſcatore*, *Grotio*, ſed harmoniam dictorum biblicorum, typum doctrinæ claris & perſpicuis Teſtimoniis Scripturæ ſuperſtructum, quæ diſſentire nequeunt eo ipſo, quo Prophetarum & Virorum θεοπνεύστων *unum os* citra ullam diſſonantiam Luc. 1. v. 70. quæ in Eccleſiis Latinis tempore *Tertulliani* vocata fuit regula fidei. Confertur ſecundùm illam locus Scripturæ cum alio, obſcurus cum claro, qui vel ita parallelus, ut ejus ſenſus dependeat ab alterius luce, vel ut ſaltem proportionem unius ad alterum habeat: exponuntur res fidei & officia homini erga DEUM & proximum præſcripta: harmonia V. & N. Teſtamenti attenditur, de qua Actor. 17. v. 11. Tertiò poſt ἐξεργασίαν requiritur gratitudo pro revelato Senſu, cum ſeria precatione pro Senſus obſignatione. 1. Theſſ. 5. v. 17. ruminatio lectione hauſtorum, quo reſpexit Paulus Phil. 3. v. 1. communicatio cum aliis, & talenti accepti proba collocatio Matth. 25. v. 15. & ſeqq. translatio ad uſum multiplicem, cavendi Pſeudo-Prophetas, amandi DEUM, & proximum ſtabiliendi, in veritate agnitâ, exercendi quævis pietatis opera, juxta monitum Pauli 1. Timoth. 4. v. 7. & 8.

IV. Hallucinantur ergò I. Pontificii, qui cum *Bellarmino* negant, Scripturam ſemet ipſam poſſe interpretari *lib. 3. de Verbo DEI cap. 19.* nil niſi Eccleſiam crepant, & ad Pontificem, *qui in ſcrinio pectoris habeat lucem cœlitus acceptam*, remittunt, cum tamen deliquium apertè prodat, imò inſaniam, illa *Decretalis Nicolai* I. *ad Michaelem Imperatorem*, in qua exponit loca quædam, & ad Primatum ſuum ſtabiliendum detorquet illud dictum de Petro: *occide & manduca*; & quòd juſſus ſit *trahere rete plenum piſcibus ad littus*: Illa *extravagans Bonifacii* 8. *unam ſanctam*, in quâ primatum ſuum elicit ex verbis Geneſeos: *in principio DEUS creavit cœlum & terram*: & dicto Apoſtoli 1. Corinth. 2. *Spiritualis dijudicat omnia*: Illa denique *Innocentii* 3. qui *duo magna Luminaria* interpretatur *Papam* & *Imperatorem*, & *Papam quidem eſſe Solem*, *Imperatorem*

ratorem Lunam, quæ Septies millies Sole minor ſit. Secundò Sociniani, qui *rationem* ſive *principia & axiomata Philoſophica innata & exculta* putant *vel maximè facere ad interpretationem Scripturæ.* Videatur *Oſtorodus* cap. 4. Inſtit. *Smalcius* homil. 8. in Johannem, *Socinus* de Servatore parte 3 cap. 6. Tertiò Calviniani, qui etiam *rationi* nimium permittunt in Exegeſi locorum Scripturæ.

V. Errant itidem, qui non tantùm cum *Anabaptiſtis* publicam interpretationem cuivis privato permittunt, *Novatores in Angliâ*, qui *mulieribus* hoc officium aſſignant, ita quidem, ut *Honorius Reggius* referat pag. 104. & 105. *In Licolnia, Elii, Hartfordiæ, eſſe mulieres, quæ concionentur & baptizent, Londini ſingulis ſeptimanis doceant, qualis ſurrexerit menſe Decembri anno 45. Londini, quæ dixerit: nunc eſt tempus illud, quo impletur, quod Deus promiſit: effundam Spiritum meum in ancillas meas, & prophetabunt,* de qua plura ibidem; nec non Libertini, qui *Scripturam in naturali ſenſu acceptam, literam mortuam eſſe, atque occidere, ideoq; miſſam faciendam eſſe, ut ad Spiritum Vivificatorem veniamus,* dicunt; ſed &, qui cum Pontificiis nobis imputant, quaſi quemvis admitteremus ad lectionem & interpretationem Scripturæ, nec ſuas partes Eccleſiæ ſive Miniſterio deferremus, ut quidem *Valerianus Magnus in Regulâ credendi* multis contendit. II. Qui Philoſophiam conſtituunt interpretem Scripturæ, ut implè fecit *Exercitator Paradoxus*, quo poſito removendi eſſent expertes illius, nec ad officium illud idonei III. Qui ex fanaticis negant Scripturæ interpretationem eſſe neceſſariam, quia Scriptura à fidelibus in primitivâ Eccleſia ſit lecta atque intellecta abſque commentariis, ſimiles ferè *Ruſſis*, quibus, *Oleario* teſte, nefas textum biblicum explicare. Conſilium tale quondam Anno 1617. dederat *Adolphus Venator*, & *Author quidam* pariter vult in peculiari libello, *ut nudus textus Scripturæ ſine ulla explicatione proponatur in Conventibus publicis, usque dum novus Apoſtolatus oriatur.*

VI. Non audiendi tandem, qui media interpretationis primò cum Pontificiis impugnant, *illa tantùm diſpoſitiones & præparationes eſſe* dicunt, *directas ad verum intellectum aſſequendum, non autem, quæ immediatè illum poſſint conferre, ut pateat in diſpoſitis iſtiusmodi hominibus, Davide, Dicipulis Emmaunticis, Eunucho, & aliis,* ut loquitur *Author Speculi Brandenburgici.* Secundò qui ad

novam

novam Philoſophiam Carteſianorum nimium hîc Philoſophiæ tribuunt, & cum *Chriſtophoro Wittichio* illam nimium evehunt, aut cum *Ludovico Wolzogio principem Scripturas intelligendi & interpretandi normam uſum linguæ ſive loquendi*, ſtatuunt. Aut denique cum *Exercitatore paradoxo* requiſita genuini Interpretis in Philoſophum conferunt, & eousque evehunt, ut ſolus ſeſe Theologicè jactet in aulâ. clara ſunt Verba illius *Capitonis ſequentia. Quibus omnibus poſtremo adde, quod in hunc noſtrum interpretem etiam quadrent conditiones, quas in ſummo controverſiarum judice requirunt Theologi, quæque huic negotio non incongrue adaptari poſſunt. Hæ vero à quibusdam tres, ab aliis quatuor enumerantur. Prima eſt, ut errare non poſſit, illudque liquido conſtet, cum enim omnia Theologiæ dogmata indubitatæ debeant eſſe veritatis, hæcque non niſi ex interpretamentis exſtrui queant; cumque inſuper nullum, quod textui ſacro, qui infallibiliter verus eſt, non reſpondeat, ſit genuinum; patet illud omni prorſus errore vacare, ac tale etiam eſſe, illius Authorem oſtendere debere. Secunda eſt, ut ab illo non poſſit provocari, hoc eſt, ut illius interpretatio ad aliud non ſit examinanda. Provocatio enim proprie ad Judicem pertinet. Tertia, ut non ſit partialis, magisq; ad unam quam ad alteram partem inclinet. Quarta denique & ultima, ut ad aſſenſum cogere, vel ut alii, ut certa homines cognitione imbuere poſſit. Quæ tres conditiones in prima fundantur, ex eaque deducuntur. Quoniam enim prima præcipit, ut ab omni prorſus errore ſit immunis verus Interpres, idque perſpectum eſſe debeat, perſpecta ſimul atq; cognita erit illius expoſitionis veritas, quæ idcirco nec ad aliud exigenda, quid enim amplius, quam verum ſenſum certo cognoſcere expetimus? Nec partium ſtudio duci poteſt: ſed ſola animis & aſſenſum extorquere, & infallibilem notitiam inſerere: Atque has quatuor conditiones aſſignato à nobis Interpreti ineſſe omnes, cuilibet illas ei adaptare atq; accommodare volenti manifeſtum eſſe putamus.* Tertiò qui cum Socinianis ſibi peculiarem Analogiam fidei confingunt, de quâ videatur *Crellius in epiſtolâ manuſcriptâ.*

VII. Fulcit hanc interpretandi facultatem ſenſus in dictis Scripturæ unitas, quam confirmat ipſius Authoris veritas & benignitas, qui intendit per ſcripturam nobis luculenter ſuam exponere volunta-

luntatem, & de illa edocere: diaboli eſt ludere præſtigiis, adhibere ambigua, quæ in utrumque flecti poſſunt oppoſitorum: longè id abeſt à Deo benigniſſimo, cujus non eſt decipere, aut tenebris involvere, ſed evolvere & ſerenare; unde ipſa Scriptura dicitur σοφίσαι *ad Salutem*: 2. Timoth. 3. ℣ſ. 15. 2. Vocum, quæ adhibitæ ſunt, integritas; ſunt enim illæ planæ, ſimplices, perſpicuæ, ut vel docere poteſt doctrina Evangelii claris verbis expreſſa, Joh. 3. ℣ſ. 16. 3. Senſus divini veritas: Id enim, quod verum eſt, etiam unum eſt, nec multiplex: Id, quod formæ rationem habet in dicto aliquo, dat illi eſſe atque diſtingui; & ſicut forma non eſt, niſi unius una, ita quoque non niſi unus unius dicti ſenſus eſt, maximè in illo corpore, in quo divina niteſcit veritas. Pſalm. 119 ℣ſ. 142.

VIII. Meritò itaque orthodoxi *Pontificios* redarguunt, qui *plures ſenſus* Scripturæ tribuunt, & in eadem ſententiâ *literales diverſos* commenti ſunt, ut videre eſt apud *Thomam 1. p. quæſt. 1. art. 10. Alphonſum à Caſtro lib. 1. adverſus hæreſes*; quibus *Bellarminus* in tantum acceſſit, in quantum *probabile hoc ipſum eſſe* admiſit: aut dividunt ſenſum Scripturæ in *literalem & myſticum*, & *myſticum* ſubdividunt *in allegoricum, anagogicum, tropologicum*, quorum primus mores inſtruat, alter ſtatum Eccleſiæ militantis reſpiciat, tertius ad triumphantis Eccleſiæ conditionem pertineat, de quo videndus *Tannerus tom. 1. p. 126.* In praxi verò maximè *Martinus Delrio in expoſitione Cantici.* II. *Quosdam Calvinianos*, qui *uni voci in Scripturâ geminum ſenſum* affingunt, ut videre eſt apud *Bucanum* lib. 42. *Goclenium in miſcellaneis: & Combachium de Eucharistiâ.* III. *Photinianos*, qui volunt, *ſufficere, ſi verbis aliquis ſenſus affingi poſſit*, vel, *ſi verba aliter, quam à fidelibus intelliguntur, ab aliis intelligi poſſint.*

IX. Novaturientis Ingenii fœtus ſunt *Coccejanæ* aſſertiones, dum primò ille, & qui ipſum ſequuntur, ſtatuunt, *verba Scripturæ eſſe latiſſimè accipienda, ut tantum valeant, quantum valere poſſint*, ut videre eſt apud *Coccejum*, in caput Habakuki ſecundũ verſiculumq; ejus nonum, & ad Rom. 10. ℣ſ. 6. cujus ſpecimen habetur Deut. 31. ℣ſ. 1. *Ubi cœlum notat ipſi primo locum, in quo* Christus *eſt, cujus indigitatur magnitudo in aſcenſione in cœlum, ſeſſione ad dexteram* Dei, *imò ejus divinitas, quia in cœlum aſcenderat antè.* Secundò, *in cœlo ſunt ſydera: Teſtabuntur & hæc de magnitudine filii*

Dei pendentis in cruce. Tertiò, *per cœlum metonymicè intelligitur ipſe* Deus. *Sic cœlum dat magnitudinem filio, quia eum* Deus *glorificat.* Quartò, *per cœlum intelliguntur angeli, qui & ipſi ejus magnitudinem annunciant, & quatenus orbis habitabilis non eſt ſubjectus angelis, ſed* Christo Hebr. 2. Quintò, *per cœlum intelliguntur ſeniores Judæorum, qui erant ſydera cœli, quos draco cauda ſua traxit,* Apocal. 12. *qui etiam dederunt gloriam* Christo, *ut* Pſalm. 2. *oſculamini filium.* Secundò, *Prophetias* referunt *ad noſtra tempora,* & *eventus ſingulares cum illis* comparant, atque eum illo illa Cantic. 8 *Quisque feret proventum mille argenteos,* exponunt: *Papa quæſtum faciet ex Evangelio;* illa Hoſeæ 10. *Dicunt, non habemus Regem:* Videlicet: *Epiſcopi conſtituentes Papam caput Eccleſiæ, obluctante Epiſcopo Conſtantinopolitano:* Et iterum eodem capite: *exciſus eſt Rex Iſraelis:* Id eſt: *Occiſus eſt Rex Angliæ;* Habacuk 2. *Væ avaro ſectanti avaritiam &c. de Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ:* adde *commentationem* peculiarem *de Gog & Magog:* Apoc. 6. *Datæ ſunt ipſis ſtolæ albæ,* explicant, *juſtificati ſunt in tranſactione Paſſavienſi: Nicolaitæ* omnes hæretici, *Jezabel* Syſtema falſorum prophetarum, *Antipas* eſt *ex antipatros* ſive *propatros,* & *iſopatri* ſunt aſſertores Deitatis Chriſti in Concilio Nicæno: adde, quæ in Pſalmis & Cantico occurrunt, ut & peculiari *tractatu de vaticiniis Danieliticis,* & *Johannæis,* in Argumento de *Antichriſto.* Tertio periculoſè philoſophantur, *conſtituendo à tempore Moſis ad plenitudinem temporis ſex periodos obſervatas à Moſe* Deuter. 30. ℣ſ. 1. Statum Eccleſiæ ſub N. T. diſtinguendo *in ſeptem periodos temporum, ad quarum ſeriem prophetiæ V. T. ex mente Spiritus S. ſint explicandæ,* nempè *Canticum Moſis & Salomonis:* Denique *ſeptem Eccleſias Aſiaticas,* ad quas totidem Epiſtolæ datæ, *non hiſtoricè, ſed propheticè, de ſeptemplici ſtatu ſub totidem periodis in N. T.* accipiendo.

Dispu-

DISPUTATIO VIGESIMA PRIMA
De
EFFICACIA SCRIPTURÆ,

THESIS I.

EFficaciam Scripturæ Paulus diſertis verbis oſtendit: *Vivus eſt ſermo* DEI, *& penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad diviſionem animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis* Hebr. 4. ꝟſ. 12. Alii Scriptores Sacri paſſim, dum illam comparant *Pluviæ* Eſa. 55. ꝟſ. 10. 11. *Igni* Jerem. 23. ꝟſ. 29. *Semini* Marc. 4. ꝟſ. 27. & 28. Dum denique illi adſcribunt *converſionem hominum & ſalutem* Rom. 1. ꝟſ. 16. & 1. Corinth. 1. ꝟſ. 18. adde exempla converſorum ex lectione Scripturarum, *Juſtini Martyris, Tatiani Alexandrini, Theophili Antiocheni, Origenis, Gregorii Thaumaturgi, Philoſophi gentilis in Concilio Nicæno, Victorini Rhetoris, Pauli Weidneri*, qui ex collatione N. T. cum Veteri, *Johannis Iſaaci*, qui ex lectione capitis Eſaiæ 53. *Chriſtiani Gerſonis*, qui ex codice N. T. pignoris loco accepti, Juvenis in aulâ *Amurathis*, fuerunt ad fidem Chriſtianam permoti.

II. Iniqui ergò ſunt in Scripturam primò *Pontificii*, qui, *ex Stapletono, illam literam mortuam eſſe*, criminantur. II. *Calviniani*, qui *reſpectu reproborum* vim vorticordiam verbo derogant. III. *Photiniani*, qui, *verbum aures tantùm ferire, nec ultra progredi*, aſſerunt; nec non *Arminiani*, qui in *Apologia cap. 17.* ſcribunt: *Alienum atq; abſurdum foret, effectum illum, id eſt, converſionem, tribuere hominibus & prædicato verbo, quorum efficacia tota non niſi moralis.* Quibus conſimilia docent *Rathmanniani, Anabaptiſtæ, Schwenckfeldiani, Enthuſiaſtæ, David Joriſtæ, Wigeliani, Paracelſiſtæ, Jacobus Böhmius, Hans de Ries, Elias Prætorius, Quakeri in Angliâ.* Videatur libellus editus à *Miniſtro Edwardi Burrough*, ex Anglico in Belgicum Sermonem converſus Anno 59.

III. Non tantum autem competit Scripturæ ſive verbo Dei efficacia quædam ſingularis, ſed & divina planè, cum Deus ſuum conceptum illi infuderit, ut propterea dicatur λόγος ζῶν καὶ ἐνεργὴς: præterea intrinſeca, ita ut intimè illi ſit connexa, quod ipſa vox ἐνεργὴς ſufficienter indicat: denique ordinaria, tanquam Medio divinitus conſtituto, efficaci ad animos hominum perrumpendos, & in obſequium fidei ſubigendos, quod prædicata demonſtrant, cum dicatur: Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, καὶ ἐνεργὴς, καὶ τομώτερος ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον, καὶ διϊκνούμενος ἄχρι μερισμὸν ψυχῆς τε καὶ πνεύματος, ἁρμῶν τε καὶ μυελῶν, καὶ κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας, *vivens enim ſermo Dei & efficax, & penetrantior quovis gladio utrinq; incidente, ac pertingente uſque ad diviſionem animæ ſimul ac ſpiritus, compagumq; & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.*

IV. Malè itaque hanc divinam vim impugnant *Libertini*, & moderni *Quakeri*: Secundo intrinſecam illam *Calviniani*, quos ipſa natura ſeminis refutat, de quo videndus *Chamier in panſtratia*: Tertio moderni *quidam Theologi* illam ordinariam, dum ſcil. confugiunt ad *Elevationem quandam ultra ordinariam ſuam agendi vim & rationem*, ut ſc. ea præſtet, quæ aliàs à noſtris illi in Reformatione hominis tribuuntur.

V. Efficacia hæc competit verbo divino non tantùm in Uſu & Exercitio lectionis, auditionis, & meditationis, ſed etiam extra illum, uti probè obſervavit noſter *B. Thummius*, qui ad Controverſiæ Statum prænoſcendum hæc præmiſit p. 2. Quando dicimus, *verbum Dei ſcriptum & orale, ratione ſenſus divini, ſeu ſignatæ ſubſtantiæ dogmatum, actu primo, & in ſe, habere potentiam convertendi*, nos illos terminos non adeò *accuratè* & *ſimpliciter philoſophicè* ſumere, uti à Rattmanno *de formali* quadam, *phyſica*, & *ſubjectiva inhæſione explicantur*, quaſi *divina hæc convertendi virtus à Spiritu Sancto verbo ita eſſet quaſi communicata & concreata, ut ab ipſo jam quaſi naturaliter reſultaret, ſicuti alii actus primi è formis ſuis reſultant*; Sic enim dubio procul verbum Dei ſcriptum & ore prolatum per ſummam idololatriam *deificaretur*: ſed hoc duntaxat velle, *verbum ſcriptum & prædicatum, ratione ſenſus divini, ſeu ſignatæ ſubſtantiæ dogmatum conſideratum, etiam ante & extra uſum, ex æterno conſilio & gratioſo Dei beneplacito, ſuo*

modo

modo, vero tamen & reali, divinam hanc convertendi & regenerandi vim, ordinariè ſibi ſemper & perpetuò ita habere ſive inditam, ſive connexam, ſive unitam, ſive conjunctam, ſive communicatam, ut convertere & illuminare poſſit omnem hominem, qui actuali & contumaci malitiâ obicem non ponat. II. Quando aſſerimus, *verbum orale & ſcripturam ſacram* actu primo *habere potentiam ſalutariter convertendi*, non hoc volumus, *duplicem eſſe virtutem vivificam divinam, unam verbi, alteram Spiritus S. quarum una ab altera ſit ſeparata; aut partem quandam virtutis vivificæ à Spiritu S. eſſe quaſi abſciſſam, & ſcripturæ ſacræ verboq; orali, ratione ſenſus ſeu ſignatæ ſubſtantiæ dogmatum conſiderati, quaſi infuſam*: ſed ſtatuimus, *unicam eſſe virtutem divinam*, quæ Spiritui Sancto quidem ſit *propria & naturalis*, verbo autem divino, ceu *inſtrumento, ex ſingulari* DEI *ordinatione, decreto & Beneplacito, realiter unita & communicata.* Nec tamen *ſubordinationem* Spiritus S. & verbi divini tollimus, uti Rattmannus cavillatur, cùm *diverſo modo* divina illa virtus vivifica Spiritui Sancto & verbo divino aſſignetur, illi ſcil. *independenter* EX SE & A SE, huic verò *dependenter*, hoc eſt, ex divina ordinatione, IN SE quidem, non tamen A SE, nec EX SE. Dein dextrè demonſtravit hoc tum ex Joh. 20. ℣ſ. 31. Joh. 17. ℣ſ. 20. Luc. 7. ℣ſ. 30. Actor. 13. ℣ſ. 46. Rom. 1. ℣ſ. 16. cap. 15. ℣ſ. 4. 1. Corinth. 1. ℣ſ. 21. 2. Timoth. 3. ℣ſ. 15. & 16. & Hebræor. 4. ℣ſ. 12. ex quo tale argumentum. *Quicquid vivum, quicquid efficax, quicquid penetrabile ad hominis converſionem: illud utique etiam ante uſum actu primo in ſe habet potentiam, hominem vivificandi & convertendi.* Ratio: quia vivum, efficax, penetrabile, κριτικὸν, &c. propriè & primariò *potentiam* dicunt, non *uſurpationem*, aut ſi hanc indigitant, illam *involvendo præſupponunt. Atqui verbum prædicatum & in ſcripturas relatum* (de quo hîc agi in Conſideratione Anti-Rattmanniana pag. 27. 28. probavi) *ratione ſenſus divini & ſignatæ ſubſtantiæ dogmatum, eſt vivum, efficax, & penetrabile ad hominis converſionem*, uti è textu patet. *Ergo etiam ante uſum actu primo in ſe habet potentiam, hominem vivificandi & convertendi.*

VI. Addidit rationes 1. ab *immutabilitate* verbi DEI. *Verbum Domini manet in æternum*, Eſa. 40. & *ſicut incredulitas hominum fidem* DEI *non evacuat, ita nec verbum* DEI *immutat,*

 quaſi

quaſi *aliud* ſit, quando uſurpatur legitimè, *aliud* verò, quando non uſurpatur. Argumentor: *Si verbum* DEI, *ratione ſenſûs divini ſeu ſignatæ ſubſtantiæ dogmatum conſideratum* IDEM *manet, neq; ullatenus mutatur, ſive credatur, ſive non credatur, tunc ſequitur, illud tam ante uſum, quàm in uſu, actu primo habere potentiam, hominem convertendi. Atqui prius eſt ex dictis, Ergò & poſterius.* II. Ab attributo proprio. *Verbum* DEI, *ratione ſenſûs divini ſeu ſignatæ ſubſtantiæ dogmatum conſideratum, eſt ſapientia* DEI, *ſive ipſi credatur, ſive non credatur*, 1. Corinth. 2. ℣ſ. 6. 7. Argumentor: *Sapientia* DEI *hanc in ſe habet potentiam, ſive actus ſecundus exeratur, nec ne, ut poſſit hominem illuminare & convertere.* Blaſphemum enim & extremè impium eſſet, *ſtatuere ſapientiam* DEI *abſq; potentia intrinſeca hominem efficiendi ſapientem. Atqui prius eſt ex dicto allegato. Ergò & poſterius.* III. Ab *abſurdo Calviniano.* Si verbum DEI ex ordinatione ac beneplacito divino *actu primo* non habet potentiam convertendi ac regenerandi hominem, ſed demum *in ipſo uſu*, prædicatione ſc. auditione & lectione, ipſi à Spiritu Sancto *potentia & efficacia hæc imprimitur*, tùm neceſſariò ſequitur, *operationem Spiritus S. reſpiciendo ad ipſam actionem ſalutaris converſionis, ordine naturæ, imò etiam temporis, præcedere & antegredi ipſam operationem verbi, nec jam ampliùs horum duorum agendi principiorum* (Spiritus Sancti videl. & verbi) *in ipſo converſionis & regenerationis actu, ex ordinatione* DEI, UNAM UNICAM INDIVISAM *actionem eſſe & manere*, ſi quidem non ampliùs *ſimultate temporis & naturæ* operarentur, ſed Spiritus S. *ordine temporis & naturæ prior operaretur*, & verbum *per Spiritum quaſi vivificaretur*, atque ita *potentia iſta convertendi hominem, in verbum demum introduceretur*, quod maximè Calvinianum. Si enim *unicum* ſit *punctum*, illud ſc. *quo Spiritus S. ordine temporis & naturæ* PRIOR *agit abſq; verbo, non eſt abſurdum, ut etiam tota hominis converſio fiat cum verbo, in verbo, & per verbum,* ABSQUE *tamen verbo præciſe quoad ſalutarem hominis converſionem cooperante*, quæ eſt ipſiſſima nonnullorum craſſorum Calvinianorum ſententia. IV. Ab Abſurdo Schwengfeldiano. *Si verbum, ratione ſenſûs ſeu ſignatæ ſubſtantiæ dogmatum conſideratum, non habet in ſe actu primo quandam convertendi potentiam ante uſum, tunc inevitabiliter ſequitur,* PRIMUM *converſionis* PRINCI-

PIUM *eſſe* IMMEDIATÈ *immediatam Spiritus S. operationem ſine verbo.* Ratio: quia *Spiritus S. operatio ordine naturæ præcederet operationem verbi, & verbum demum in ipſo actu converſionis per Spiritum Sanctum vivificaretur.* Atqui hoc eſt abſurdum & Schwenckfeldianum; Ergò & prius.

VII. Denique illuſtravit ſimilibus: *comparatur enim Verbum Semini: Atqui omne ſemen, etiam antequam in terram projiciatur, & actu ſecundo fructum ferat, hanc vim naturalem ſibi habet inſitam, ut fructum ſecundùm ſuam ſpeciem producere poſſit. Ergò etiam verbum* DEI, *ratione ſenſûs ſeu ſignatæ ſubſtantiæ dogmatum conſideratum, ex ſingulari* DEI *ordinatione & beneplacito, inſitâ quadam vi, convertendi hominem, præditum eſt, etiam antequam vel audiatur vel legatur, alioquin* ſemini *ratione hujus tertii à Spiritu Sancto non compararetur.* II. Comparatur *imbri*, Eſa. 55. ℣ſ. 10. *pluviæ*, Oſe. 6. ℣ſ. 3. Argumentor: *Sicut ſe habent pluvia & imber ad arvum, ſic ſe etiam habet verbum* DEI *ad hominis cor in converſione. Atqui pluvia & imber, etiam antequam decidant & actu humectent, vim habent irrigandi & terram humectandi: Ergò & verbum* DEI *eodem modo ſe habet erga hominem convertendum, adeò, ut licèt actu non convertat, potentiam tamen quandam convertendi ex* DEI *ordinatione & beneplacito inſitam habeat.* III. Comparatur *pani*, Matth. 4. & *aquæ*, Joh. 4. *Atqui panis in ſe habet vim nutriendi, & aqua ſitim ſedandi, antequam quisquam actu nutriatur vel potetur: Ergò etiam verbum* DEI, *ratione ſenſûs ſeu ſignatæ ſubſtantiæ dogmatum conſideratum, ex divina ordinatione & ſingulari* DEI *beneplacito, eâdem vi præditum ſit neceſſe eſt, etiam ante uſum legitimum, alioquin ratione hujus tertii pani & aquæ comparari non poſſet.* IV. Comparatur *Conſiliario, lumini, lucernæ, carboni jam ignito, malleo conterenti petram, &c.* Argumentor: *Quidquid confertur Conſiliario, lumini, carboni jam ignito, antequam in Prophetæ os immittitur, ut prædicetur populo: malleo conterenti petram, antequam illa petra contrita eſt, illud, non quidem à ſe, vel ex ſe, ſed ordinatione & beneplacito divino* IN SE, *habet actu primo facultatem hominem illuminandi, convertendi, &c. etiam ante legitimum uſum.* Ratio: Aliâs daretur *Conſiliarius*, deſtitutus *facultate conſulendi*, daretur *lumen*, cui in

ſe

ſe etiam potentia lucendi deeſſet; daretur carbo, qui quidem eſſet ignitus, nec tamen vel potentiam adurendi haberet: daretur malleus conterens petras, qui tamen illas conterendi ne facultatem quidem in ſe haberet. Atqui verbum Dei orale, ſcriptum, prædicatum, confertur Conſiliario Pſalm. 119. ℣ſ. 24. lumini, Pſal. 119. ℣ſ. 105 lucernæ, 2. Petr. 1. ℣ſ. 19. 2. Corinth. 4. ℣ſ. 4 Proverb. 6. ℣ſ. 23. carboni jam ignito, Jeſ. 6 ℣ſ. 6. igni, Jerem. 5. ℣ſ. 14. c. 23. ℣ſ. 29. Deuter. 33. ℣ſ. 2. (cujus vim & flammam ſenſêre Jeremias, Jer. 20, ℣ſ. 9. & Emauntum profecti, Luc. 24. ℣ſ. 32.) malleo petras conterenti, Jerem. 23. ℣ſ. 29. Ergo verbum Dei orale, prædicatum, & ſcriptum, non quidem à ſe, vel ex ſe, ſed In Se, habet, ex ordinatione & beneplacito divino, actu primo facultatem, & ante legitimum uſum, hominem convertendi.

VIII. Malè itaque primo Rathmannus fuit argumentatus: Quicquid non eſt ſenſus divinus, ſeu ſapientia ſpiritualis, & ſubſtantia dogmatum, illud non eſt proprie verbum Dei, & conſequenter, actu primo vim in ſe non habet, hominem convertendi. Atqui ſcriptura ſacra extra uſum, h. e. ſine lectione, auſcultatione, meditatione, & perceptione hominis, non eſt divinus ſenſus & ſapientia ſpiritualis, ſed ſolummodò literæ & voces. Ergo Scriptura ſacra extra uſum non eſt verbum Dei propriè loquendo, & conſequenter, nec actu primo vim habet in ſe hominem convertendi; vel magis perſpicuè & breviùs ita: Literæ & voces non ſunt verbum Dei propriè dictum, nec habent actu primo vim convertendi in ſe. Atqui Sacra Scriptura extra uſum, h. e. auſcultationem vel lectionem hominis, eſt ſolummodò literæ, ſyllabæ & voces: Ergo non verbum Dei propriè dictum, & conſequenter nec actu primo vim habet in ſe convertendi. Malè, ſecundò, Brentium adduxit, quaſi ſententiæ illi præludentem dum ita ſcripſit: Falſum eſt, quod dicit Sotus, Scripturam manere mortuam, nec reſpondere, nec ſe explicare. In præſentia enim, cùm ſermo eſt de Scriptura, non loquimur tantùm de literis, ſyllabis, & dictionibus, quibus Scriptura continetur, ſed loquimur de ſententia, quæ his literis ſyllabis ac dictionibus ſignificatur, & quæ vel res certiſſimè geſtæ, vel perpetua Dei voluntas nobis cognoſcenda proponitur. Deinde non loquimur de Scriptura, ut per ſe ſimpliciter in libro continetur, ſed ut eſt in eo uſu, ad quem Deus ipſam ordinavit. Ordinavit

autem

autem eam, ut legatur, conferatur, explicetur, & audiatur, & cùm vel legitur vel auditur, ſit ordinarium organon, quo Spir. S. mentes lectorum & auditorum regeneret, illuſtret, vivificet: Et addit ibidem: *Sacram Scripturam eſſe rem mortuam, ſi extra ſuum uſum clauſo libro contineatur.* Malè denique diſſenſum objecit *Oſiandro* & *Thummio*, quòd ille verbum Dei *creaturam*, hic verò *accidens* appellaverit.

IX. Exerit autem hanc efficaciam ſuam, primò: Operando realiter: ut enim, quod vivum & efficax eſt, ſi applicetur paſſo, realiter in illud agit, vim ſuam & virtutem demonſtrat, ut gladius realiter ferit, vulnerat, dividit; ita Verbum quoque, quod vivum, efficax, penetrantiusque quovis ancipiti gladio, exſerit vim ſuam, corda hominum realiter afficit, & in illa operatur. Secundò, organicè ſive inſtrumentaliter: ut enim gladius Inſtrumentum eſt, quo à principali cauſa adhibito actiones deprehenduntur oboriri; ita Verbum eſt Organon & Medium, ex quo operationes divinæ, per quod effectus ſingulares producuntur: Tertiò hyperphyſicè ſive ſuper turaliter: quòd enim eſt Verbum Dei, illud præter Verbi ordinariam ſignificandi Vim habet divinum quid & ſupernaturale, eo ipſo, quo verbum non hominis ſed Dei eſt: quod pertingit usque ad diviſionem medullarum & compagum, id ſupernaturalem vim exercet in facultates hominis, nec moraliter agit tantum ſuadendò aut diſſuadendo, ſed phyſicè novas vires homini corrupto conferendo.

X. Malè itaque primò *Calviniani*, verè & realiter verbum operari, *negant*, inter *internum & externum* periculoſè diſtinguunt, & *modum operandi illius cum modo operandi Sacramentis competenti* conferunt; quibus accedunt *Photiniani*, *Anabaptiſtæ*, & alii fanatici. Secundò, qui voce Inſtrumenti abutuntur, & comparationem cum Inſtrumentis paſſivis, quale Gladius & ſimilia, *non ad Efficientiæ actum ſed modum* referunt, vel etiam ex illo nativam vim Verbi divinam ſolicitant. Adde, quæ diſputat *Camero theſi decima de Efficacia Gratiæ* Dei. Tertiò, qui cum *Guilielmo Twiſſe, in Animadverſione in Corvini Defenſionem Arminii*, *moralem tantum* agnoſcunt *operandi modum in Verbo*, & ſtatuunt, *ultra Inſtitutionem & Exhortationem Operationem illius non porrigi.* quibus accedunt *Arminiani*, quorum ſunt ſequentia: *Si Verbum concurrit*

ad converſionem, concurret per modum Inſtrumenti; ſi hoc, concurret per ſenſus ſuos, quos in ſe habet; at ſenſus illi Verbo comprehenſi non agunt niſi objectivè & moraliter, quia aliud nihil continent, quàm hortationes, promiſſiones, ſuaſiones.

DISPUTATIO VIGESIMA SECUNDA

De

VI NORMATIVA SCRIPTURÆ,

THESIS I.

FAcile ex dictis colligitur, illam Scripturam, quæ tam perfecta, perſpicua, & efficax, rectè conſtitui Normam adæquatam omnium eorum, quæ ad fidem & mores pertinent. Nam primò hoc nomen legitur apertè de illâ Pſalm. 19. ℣ſ. 5. Galat. 6. ℣ſ. 16. & Philipp. 3. ℣ſ. 16. Secundò ad Scripturam unicè omnes & ſinguli, qui deſiderant habere Regulam infallibilem, revocantur Deuter. 4. ℣ſ. 2. & 12. ℣ſ. 28. Joſuæ 23. ℣ſ. 6. Luc. 16. ℣ſ. 29. Tertiò ipſe CHRISTUS & Apoſtoli ad Scripturam provocarunt, illam tanquam principium Theologiæ & regulam credendorum adhibuerunt, ut conſtat ex Matth. 22. ℣ſ. 29. & 31. Marc. 9. ℣ſ. 12. Act. 3. ℣ſ. 20. cap. 31. ℣ſ. 33. & cap. 18. ℣ſ. 28. Atque ita ſenſerunt de illâ Patres quoque, *Irenæus lib. 3. cap. 1.* appellans illam *fundamentum & columnam fidei noſtræ: Baſilius, canonem recti & normam veritatis; Chryſoſtomus, exactiſſimam trutinam & gnomonem ac regulam;* addatur *Auguſtinus lib. 11. contra Donatiſtas cap. 6.*

II. Præmonendum autem, quod ad Normam ſive Canonem ſtabilem requiratur 1. inſpiratio divina, ex quâ liber aliquis habet, quòd ſit divinus 2. Timoth. 3. ℣ſ. 16. 2. Petr. 1. ℣ſ. 21. 2. Conſtitutio illius in ratione Regulæ Eccleſiæ deſtinatæ, quod reſpicit finem: quanquam enim liber aliquis divinus, non tamen confeſtim cenſendus eſt canonicus, præſertim, ſi de canone univerſali & perpetuo ſit ſermo, qui divinam intentionem conſecratum in hunc uſum unà requirit.

III. Repudiamus itaq; non tantùm *Judæorum* figmentum, ſtatuentium, *præter legem ſcriptam dari oralem, quam Moſes in monte Si-*

te Sinai acceperit, & deinde aliis tradiderit; quos oppugnant *Sadducæi, Samaritani, Karaitæ, Eſſeni;* nec quicquam concludunt argumenta *Menaſſe Ben-Iſraël, in Conciliatore Exodi quæſt.* 50. ſed & *Pontificiorum*, qui Scripturam *negant* eſſe normam, *Lesbiam* dicunt *regulam*, & *naſum cereum*, ut videre eſt apud *Albertum Pigghium, Loricbium, Garanzam, Andradium, Lindanum,* & alios. Secundò, ſi admittunt eſſe regulam, *partialem* illam faciunt, ut quidem docent *Bellarminus, Franciſcus Longus à Cariol.* fratresque *Walenburgii.* Tertiò *traditiones* unà ingeminant, verbo jungi deſiderant, & *pari pietatis affectu & reverentiâ ſuscipiendas eſſe* decernunt, ut habet definitio *Concilii Tridentini.* Imò *Cæſar Baronius*, Cardinalis, *tom.* 1. *Annalium ad annum* 53. *n.* 11. eousq; progreſſus fuit, ut ſcripſerit: *traditiones excellere ſupra Scripturas, quando quidem Scripturæ non ſubſiſtant, niſi traditione firmentur, traditiones verò ſine Scripturis ſuam retinere firmitatem.* Secundò Opinionem *Epiſcoporum Angliæ*, qui *traditiones dogmaticas præter Scripturam* requirunt, nempe de *Baptiſmo infantium, diei Dominicæ ſanctificatione, traditione poculi Eucharistici Laicis, orationibus in linguis populo cognitis &c.* de quibus videndi *Whitus* Epiſcopus *Elienſis, Montacutius in originibus, Samuel Hoardus in concione viſitationis metropolitanæ, Chounæus* in *collectionibus theologicis, Poklingthon* in *Altari*, & *Cantuarienſis* in *relatione colloquii.* Tertiò ſententiam illorum, qui nimium extollunt *conſenſum quinqueſecularem Patrum* vel *Eccleſiæ*, volunt eſſe *principium fidei ſecundarium* & *regulam*, imò, *dari aliquam traditionem inde ab Apoſtolis profectam*, & *in Patrum Scriptis aſſervatam, quæ pariter cum Scripturâ S. pro indubitato Verbo* DEI *haberi debeat*, aſſerunt.

IV. Conſiſtit autem ille Canon in libris Veter. Teſtament. & Nov. Teſtam. quorum hîc à noſtris exhibetur catalogus: Moſis quinque ſunt, *Geneſis, Exodus, Leviticus, Numerus, Deuteronomion; Joſuæ unus; Judicum unus; Ruth unus; Samuelis duo; Regum duo; duo Chronicorum: Eſdræ unus; unus Nehemiæ; Eſtheræ unus; Jobi unus; Pſalterium; Salomonis tres, Proverbia, Eccleſiaſtes; Canticum Canticorum; Prophetæ Majores quatuor, Eſaias, Jeremias, ejus Lamentationes, Ezechiel, Daniel; minores duodecim, Oſeas, Joel, Amoſus, Abdias, Jonas, Michæas, Na-*

humus, Habacukus, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. N.T. hiſtorici quinq; ,nempe Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis, & Lucæ Acta Apoſtolorum; Propheticus unus, Apocalypſis Johannis; Paulinæ Epiſtolæ 14. una ad Romanos, duæ ad Corinthios, una ad Epheſios, una ad Philippenſes, una ad Coloſſenſes, ad Theſſalonienſes duæ, duæ ad Timotheum, una ad Titum, una ad Philemonem, una ad Hebræos; Etſi cum quibusdam ex *Latinis Veteribus*, quibus ſe *Græci* omnes conſtanter opponunt, *Sociniani* hanc Paulinam eſſe negent, & alii eam voluerint aliquando lancinare; *& ſeptem aliorum, quæ Catholicæ vulgò dicuntur, quarum una eſt Jacobi, duæ ſunt Petri, tres Johannis, & ultima Judæ.*

V. Longe itaque à finibus Eccleſiæ abeſſe jubemus primò illos, qui divinitatem & canonicam authoritatem librorum V. T. non tantum in dubium vocarunt, ſed & impugnarunt: inter quos primo numeranus *Simonianos, Baſilidianos, Marcionitas*, de quibus *Irenæus lib. 1. cap. 20. 22. 29. Bogomilem & Anabaptiſtas:* cum tamen Paulus diſerte reclamet, Actor. 24 ✠. 14. & cap. 26. ✠. 22. Secundo *Ptolomæum* quendam, qui *legem Moſis in tres partes* dividebat, *unam* tribuens *Opifici Mundi, alteram Moſi, tertiam ſenioribus Synagogæ*, cum tamen Paulus dicat, *omnem* ſive totam *Scripturam eſſe* θεόπνευστον 2. Timoth. 3. ✠. 16. Tertio *Theodorum Mopſueſtinem*, qui *negat* Prophetas quicquam prædixiſſe de Chriſto, eorumque authoritatem & utilitatem extenuat. Quartò *Nicolaitas & Gnoſticos*, qui Pſalmos Davidis, ut *humana & profana Cantica*, repudiarunt. Quinto *Rabbinos*, qui *Jobi* Hiſtoriam in *Drama* convertunt: Sexto illos fanaticos, qui *Eccleſiaſticen* & *Canticum Canticorum* rejiciunt: Denique *Porphyrium*, qui, teſte *Hieronymo*, *contra Danielem duodecimum librum ſcripſit, nolens eum ab ipſo, cui inſcriptus eſt nomine, eſſe compoſitum, ſed à quodam, qui temporibus Antiochi, qui appellatus eſt Epiphanes, fuerit in Judæa. & non tam Danielem ventura dixiſſe, quam præterita narraſſe. Denique quicquid uſque ad Antiochum dixerit, veram Hiſtoriam continere: ſi quid autem ultra opinatus ſit, quia futura eſſe neſcierit, eſſe mentitum.* Secundo illos, qui *negant* Evangelia ſcripta eſſe ab Apoſtolis, vel aliis Chriſti diſcipulis, quæ *Manichæorum* fuit Inſania, quam retudit *Auguſtinus lib. 32. contra Fauſtum cap. 16. & 21. &*

lib.

lib. 33. cap. 7. qui ſecundo cum *Alogianis* Matthæum, Marcum & Lucam receperunt, Joannem verò repudiarunt, vel *ſoli* Matthæo ſubſcripſerunt, de quibus *Irenæus lib. 1. cap. 26.* ut de prioribus *Philaſtrius cap. 60.* vel teſte eodem *Irenæo lib. 3. cap. 11. ſolo* Evangelio fuerunt uſi cum *Cerintho*, vel Lucam prætulerunt cæteris, cum *Marcionitis*, de quibus *Tertullianus lib. 4. contra Marcionem*: vel *ſolum* elegerunt Joannem cum *Valentino*, ut idem docet *Irenæus*; tertio, qui expunxerunt Acta Apoſtolorum, quales *Cerinthiani, Cerdoniani, Tatiani, Manichæi*: vel cum *Marcionitis* Epiſtolas Pauli ad Timotheum & Titum integras repudiarunt: In reliquis, quæ erant ad palatum, tantum receperunt, obſervante *Epiphanio hæreſi 42.* illos, qui maximè infenſi Epiſtolis Pauli, & quædam humanâ ratione Duce & ſola Prudentia conſcripta eſſe volunt, cujus rei aguntur Erroris *Anomæi* apud *Epiphanium hæreſi 76.* à quibus non procul fuerunt illi *Inquiſitores*, qui, cum ex captivis *Ludovicus Marſacus homo militaris* è S. literis multa recitaret, *qui aderant Inquiſitores rogabant: num* ipſius *eſſet legere S. libros, & qui* ſciret, *hæc eſſe Evangelica? Præfectus etiam Regius* duos *eſſe* tantum *ajebat Evangeliſtas*, Matthæum & Johannem, reliquos enim duos & *Paulum* veluti *Centones* quosdam *conſuiſſe: quod niſi Eccleſiæ Doctores eam* Paulo *tribuerent authoritatem*, *ſe* non *pluris facturum ejus* Epiſtolas, quàm Æſopi fabellas. *Cumq; Marſacus diceret*, de Pauli *vocatione atque munere præclara exiſtere teſtimonia, præſertim in* ejus Epiſtola, *quam ſcripſit* ad Galat. cap. 1. *Nihil* (reſpondit ille) *ad rem illud facit*, *nam* ſibi *teſtimonium ipſe dicit*. Et *Cajetanus*, qui *negavit*, Epiſtolam ad Ebræos eſſe canonicam: imo aſſerere auſus fuit, *authorem illius erraſſe, non tantum in Verbis*, *ſed etiam in ſenſu & ſententia Scripturarum*: quæ Audacia tantoperè diſplicuit *Ambroſio Catharino*, ut *horribilem* pronunciarit *Chriſtianis auribus*. Tertio illos, qui *in partes Scripturæ* impegerunt; & vel *ultimum Caput Marci*, vel *quædam ex Lucæ vigeſimo ſecundo*, nempe *Hiſtoriam de ſudore* CHRISTI *ſanguineo*, *Angelicâ apparitione & conſolatione*: vel in *Joanne Hiſtoriam Adulteræ*: vel denique *teſtimonium Johannis* 1. Epiſtola cap. 5. ℣ſ 7. in dubium vocârunt: aut *in Epiſtola ad Ebræos, Jacobi, Judæ*, *ſecunda Petri, ſecunda & tertia Joannis, & Apocalypſi* hæſerunt.

VI. Probat hunc canonem *Hornejus*, adducendo pro illo ex

Seculo ſecundo *Melitonem*, ex tertio *Origenem*, ex quarto *Athanaſium* & *Hilarium* : *Concilium Laodicenum*, *Cyrillum Hieroſolymitanum*, *Gregorium Nazianzenum*, *Amphilochium*, *Epiphanium*, *Hieronymum* & *Ruffinum*: in ſexto *Leontium*, Monachum Byzantinum: in octavo *Damaſcenum*: in nono *Strabum Fuldenſem*: in duodecimo *Hugonem*, *Abbatem S. Victoris*, & *Richardum de S. Victore*: in decimo tertio *Hugonem* Cardinalem: in decimo quarto *Nicolaum Lyram*: in Seculo decimo quinto *Antonium*, Archi-Epiſcopum Florentinum, in decimo ſexto *Franciſcum Ximenium*, Archi-Epiſcopum Toletanum; adde *Eccleſiam Græcam* & vide Beatum noſtrum *Thummium*, qui in *Tractatu de Verbo* DEI *quadripartito* operoſè hoc argumentum pertractat.

VII. Peccant hîc I. *Pontificii*, qui addunt libros illos in V. T. quos nos *Apocryphos* dicimus, cum tamen deſit ipſis cùm lingua ſancta, qua cæteri ſunt exarati, tum Criteriorum Divinitatis, quæ in Canonicis renident, ſplendor, tum teſtimonium Eccleſiæ Judaicæ & Chriſtianæ. II. *Quidam ex Anabaptiſtis*, qui cum *Mennone Simonis*, *Jacobo Outermanno*, *Cornelio Cupero*, & *Reinero Wybrando*, nimium tribuunt *Apocryphis*, & probationes ex illis pro dogmatibus ſuis adornant. III. Qui ſcripta ſubſtituere voluerunt pro divinis dubia & errorum fœcunda, *Epiſtolam Abgari ad Chriſtum*, & CHRISTI *ad Abgarum*, *Jacobi Protevangelium*, *Evangelium Nicodemi*, *Lentuli epiſtolam de* CHRISTO, *Epiſtolam de eodem Pontii Pilati*, *Canones Apoſtolorum* &c. de quibus ſupra. fruſtra ſunt quoque *Pontificii*, qui primo cum *Cano*, contrà argumentum noſtrum, quod Eccleſia vetus Judaica hos omnes à Canone rejecerit, reponunt & dicunt, *etſi non receperit*, *non tamen rejeciſſe*: deinde qui cum *Cano* & *Genebrardo* dicunt: *fuiſſe ſemper nonnullos*, *qui hos libros ſacros* & *divinos eſſe crediderint* : Cum tamen nulli produci poſſint, & apertè contrarium profiteatur *Joſephus contra Appionem lib.* 1. Tertio qui cum *Bellarmino*, *Edmundo Campiano*, & cæteris, dicunt: *Si non poſſint pro Canonicis recipi hi libri*, *eo quod prima Eccleſia de illis dubitavit*, *neque Libros N. T. aliquot admitti debere*, *de quibus fuerit aliquando controverſum*, *Epiſtola* ſcil. *ad Ebræos*, *Apocalypſis*, *ſecunda Petri* & *Jacobi*; quis autem demonſtrabit, illos libros N. T. fuiſſe excluſos canone? quis non admittet, Epiſtolam ad Ebræos probatam eſſe omnium Græcorum Teſtimonio? agnoſcente

ipſo *Bellarmino, Controverſiâ 1. lib. 1. cap. 17.* quis non novit, aliud eſſe dubitare de Authore, aliud de Authoritate?

VIII. Quanquam libri Apocryphi non ejuſdem dignitatis ſunt cum Canonicis, neque vim probandi ſolidam in rebus fidei nobis ſuppeditare poſſint, rectè tamen pronunciaſſe *Hieronymum* exiſtimamus, dicentem: *alios libros quidem legit Eccleſia ad exempla vitæ & formandos mores, illos tamen ad dogmata confirmanda non adhibet.*

IX. Peccant itaque in exceſſu 1. non tantùm *Pontificii*, qui nimium de Apocryphis præſumunt, ſed & *Anabaptiſtæ*, inprimis *Mennoniſtæ*, qui ſua dogmata ex libris apocryphis ſtabilire nituntur, cum *Mennone Simonis*, loca ex illis Canonicis opponunt textibus, cum *Jacobo Outermanno* ex Sap. 8. ℣ſ. 3. ὁμοούσιαν Filii & Spiritus S. impugnant, cum *Cornelio Cupero*, librum quartum Esdræ laudant, contra dicta Canonica, de DEI omnipotentia. 2. *Calviniani*, in defectu, qui nimis infenſi ſunt lectioni librorum apocryphorum, & publicè nolunt coram populo integros, vel textum ex illis, tractari. 3. Egregium ſpecimen hypocriſεως ediderunt *Presbyteriani in Angliâ*, qui non tantùm aſſeruerunt, *non expedire, ut in Templis legantur libri apocryphi, ne rudiores tandem eos pari pietatis affectu & reverentiâ cum Canonicis ſuſcipiant & venerentur, ſed & Symbolum Apoſtolorum:* Sic enim & *Athanaſii è Directorio cultus, in Liturgiæ Sacræ locum* ſuffecto, prorſus excluſerunt; at funeſtum ſolennis *Ligæ* ac fœderis de mutuâ ope ad Regem opprimendum ſibi ferenda, deque evertendo Eccleſiæ regimine *juramentum* in Eccleſiis publicè prælegerunt, *imò Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta opertis, decretum verò apertis capitibus audiri & excipi* voluerunt. & poſt reverſum in Regna ſua Regem tabulis inſcriptum atque Templorum columnis parietibusque affixum reliquerunt, non metuentes, *ne illud decretum pari pietatis affectu ac reverentiâ cum Scripturâ Canonicâ auditores ſuſciperent & venerarentur.*

X. Ut illis, qui poſſunt legere, cujuscunque ſint conditionis, licita, utilis, & certâ ratione neceſſaria eſt Lectio Scripturæ in linguâ vernaculâ, vi dictorum Deuter. 6. ℣ſ. 6 7. 8. 9. *Verba hæc, quæ ego præcipio &c.* & Joh. 5. ℣ſ. 39 *Scrutamini Scripturas &c.* ita nihil præjudicare volumus aſſertione hac noſtrâ informationi publicæ & pri-

& privatæ Miniſtrorum Eccleſiæ, quorum *labia cuſtodire debent ſcientiam, ut lex ex illorum ore requiratur* Malach. 2. ℣ſ. 7. Ordinem quoque in lectione probamus in ipſis libris legendis, quorum quidam obſcuriores & profundioris ſenſus, quidam faciliores & magis perſpicui, qui proinde cæteris præmittendi: de quo videndus *Hieronymus in Epiſtolâ ad Lætam de inſtitutione filiæ*.

XI. Iniqui itaque ſunt *Pontificii* in oves Chriſti, dum 1. non permittunt Biblia Laicis, ut omnes vocant, qui non ſunt ex ordine ſacro, imò teſte *Molinæo*, *in terris, ubi dominatur Inquiſitio, habere Biblia in vulgari linguâ* reputant pro *crimine igne expiando*. 2. Dum ludunt homines, prætendendo, *non prohiberi lectionem Bibliorum in vernaculâ, impetratâ* ſcil. *prius facultate ab Ordinario*, cum Epiſcopis, Inquiſitoribus & Regularium Superioribus ſublata ſit, mandato & uſu Romanæ & univerſalis inquiſitionis, facultas *concedendi licentiam legendi, & retinendi Biblia Vulgaria, aut alias Sacræ Scripturæ tam N. quàm V. T. partes, quavis vulgari linguâ editas, & inſuper ſummalia & compendia etiam hiſtorica Bibliorum, ſeu librorum ſacræ Scripturæ, quocunque vulgari idiomate ſcripta*, ut habet *Clementis VII. regula quarta*. Dum quidam ex illis nolunt, neceſſariam eſſe Scripturæ lectionem etiam ex hypotheſi, & cum *Stapletono* non aſſerere verentur: *Deum non alligaſſe nos ad lectionem Scripturarum*, Tom. 1.

XII. Libellos practicos ex Scripturâ concinnatos & conformes orthodoxiæ, ut Eccleſiæ utiles, non improbamus: quosvis tamen ſine diſcrimine legi, tutum non eſſe exiſtimamus; Si enim εὐγενέστεροι *ex Theſſalonicenſibus* probarunt dicta Pauli, cum recurſu ad Scripturam, & collatione inſtitutâ inter dicta & ſcripta Act. 17. ℣ſ. 11. quanto magis adhibito judicio verſandi erunt libelli practici obſervata regulâ Paulinâ: *Omnia probate, & quod bonum eſt, tenete*. 1. Theſ. 5. ℣ſ. 21.

XIII. Non ſatis prudenter agunt 1. illi, qui libellis *Thomæ de Kempis, Joannis Tauleri, Pauli Lautenſak, Caſpari Schwenckfeldii, Valentini Weigelii*, & aliis, in quibus tamen miſcentur putamina baccis, nimium tribuunt: à quo favore non planè immunis fuit *Johannes Arndius*. 2. Satis impudenter *Julius Sperber* in libro Germanico *de ſummo hominis Theſauro cap. 18.* jactavit, *ſe noſſe ea, quæ nullus Prophetarum, nullus Apoſtolorum, ſibi unquam*

adſcri-

adſcripſit: Eſaias Stifelius, qui dicere non eſt veritus: *Ego ſum* CHRISTUS, *ego ſum Verbum* DEI *vivum; Paulus Felgenhauer*, qui in ſcriptis ſuis ſe nimium effert, *in Scholâ Spiritus S. doctum & enutritum ſe* aſſerit; adde *Ezechielem Methum*, & conſimiles. 3. Nimis ſe credulum exhibuit *Joannes Angelius Werdenhagen* cum *Balthaſare Walthero* Medico, qui nimium fecit libros *Jacobi Behmii* ſutoris, & ei tribuit in revelationis modo *extraordinariam vocationem*.

XIV. Judex quoque Controverſiarum eſt Scriptura. Nam non tantum interpretando ſeipſam, judicat inſimul, & indicat, quid credendum, quid agendum, quid omittendum: non tantùm, tanquam Vox ſummi Judicis, definit controverſias, diſcernit pretioſum de Vili, lites dirimit, ſed & in conſcientiâ convincit, quod ſanè longè majus eſt, quàm quod judex aliquis ſecularis obtinet, qui rarò aut nunquam eò pertingit. Et hoc facilè doceri poteſt, quia Scriptura dicitur *loqui* Luc. 16. ℣ſ. 27. *Judicare* Joh. 12. ℣ſ. 48. *damnare* Gal. 3. ℣ſ. 22. 2. Quia ad illam remittuntur in rebus fidei ſub comminatione, *quòd lucem matutinam non ſint habituri, illi, qui in Eccleſiâ* Eſa. 8. ℣ſ. 19. 20. 21. 3. Apertè τὸ κριτικὸν *cogitationum & intentionum cordis* Verbo tribuitur Hebr. 4 ℣ſ. 12. Inde *Auguſtinus: Sedeat inter nos Judex Apoſtolus Johannes, de gratiâ & libero arbitrio cap. 18. & de nuptiis cap. 33. lib. 2. judicet* CHRISTUS, *judicet cum illo Apoſtolus, quia & in Apoſtolo ipſe loquitur Chriſtus.* Et *contra Creſcon. lib. 2. cap. 31. non ſine cauſâ tam ſalubri vigilantiâ Canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi Prophetarum & Apoſtolorum libri pertinent, quos omnes judicare non audemus, & ſecundùm quos de cæteris libris, vel fidelium vel infidelium, liberè judicamus.*

XV. Non ergò audiendi ſunt *Pontificii* I. qui non tantùm cum *Grezero* dicunt & provocant: *Jam adſum, dicat: erras Jacobe Gretzere, ſi eſt Judex Spiritus S. nunc condemnet me, ut evidenter mihi conſtet, me cauſâ cecidiſſe*; cum *Aſſeſſoribus Concilii Tridentini* negant Scripturam loqui: cùm enim Proteſtantes ad illam provocarent, reſponſum eſt illis: *Scripturam inanimem & mutam eſſe, adeoq; animandam voce infallibilis judicis.* Imò Itali *negarunt, tolerabilem eſſe methodum diſputandi ex Scripturis, in thematis diſcutiendis potius ſequendum eſſe D. Thomam, D. Bonaventuram,*

alioſq; magni nominis Theologos; rationem enim ex Scripturis diſputandi eſſe cum hæreticis communem, doctrinam poſitivam, quæ verſatur in colligendis Scripturæ & Patrum dictis, eſſe memoriæ laudem duntaxat, imperfectam & pridem deſitam: imò hâc viâ futurum, ut Lutherani victoriam reportent, teſte *Suave Polono lib. 4. p.* 291. II. Qui ad Concilia remittunt vel generalia vel particularia, cum *Alphonſo à Caſtro lib. 1. adverſus hæreſes cap. 2.* & ſtatuunt *Conciliorum omnium probè congregatorum decreta firmiſſimam habere authoritatem, quibus nemini liceat repugnare:* cum *Thoma Bozio lib. 5. de notis Eccleſiæ cap. 7.* Dicunt: *Concilia repræſentant ipſum* DEUM*, qui infallibilis eſt, ac proinde Concilia errare non poſſunt:* cum *Petro à Soto: Concilia Spiritus S. Magiſterium præſentiſſimum habent:* aſſerunt. III. Qui ad Pontificem omnem judicandi poteſtatem & dignitatem devolvunt, quæ communis ſententia *Jeſuitarum*, cujus ſpecimen edidit nuper *Franciſcus Annatus* in Cavillis *Janſen.* cap. 6. p. 407. ſcribens: *primis mediis & infimis Eccleſiæ temporibus uſurpatum reperimus morem illum, & recurrendi ad Pontificem Romanum, & ab eo reſponſa petendi in cauſis fidei, nullo præmiſſo earum provinciarum, quæ hæc petebant, concilio. Nec quiſquam Catholicorum reſtitit unquam.* Videatur *Ludovicus de Marche in Apologiâ pro veritate conſtitutionis Innocentii X. adverſus Janſen.* p. 150. Non procul abire videntur ſecundò à *Pontificiis Arminiani*, qui judicium Scripturæ diſputant, atque Vim coactivam & conſcientiarum convictivam eidem detrahunt, ut conſtat ex *confeſſionis* capite 1. §. 10. & *Apologiâ* cap. 1 p. 30. Tertiò, qui cum *junioribus quibuſdam Theologis* ſtatuunt, *Scripturam non aliter eſſe Judicem, quam prout vocabulum Judicis accipitur pro ipſâ doctrinâ, juxta quam de re aliquâ judicatur: non eſſe talem, qui ita judicet, ut una pars fateri cogatur, ſe in judicio illo ſuccubuiſſe;* huc referimus quoque illa *Franciſci Burmanni in Synopſi, Tomo 1. lib. 1. cap. 12. th. 32. p. 75.* ſcribentis: *Ita ergo nullum humanum nomen controverſiarum judicium auctoritativum habet. Sed & rigide loquendo ne quidem Scriptura ipſa propriè eſt controverſiarum judex; quippe quæ, ſine interno Sp. S. lumine, inefficax & quaſi muta eſt; & cum ab omnibus non recipiatur, eorum reſpectu inutilis eſt; cum tamen judex ſine poteſtate atque auctoritate eſſe non poſſit. Illa ergo potius norma & regula*

gula eſt, quam fidelis, accedente luce Spiritus, in corde ſuo accenſa, ſemper ob oculos habet, & proprio judicio ſubſequitur.

DISPUTATIO VIGESIMA TERTIA

De NECESSITATE SCRIPTURÆ,

THESIS I.

NEceſſitas Scripturæ ita explicari ſolet, ut primò aſſeratur à noſtris neceſſitas Scriptionis, quò nos ducit mandatum ſcribendi, Moſi datum Exod. 17. ℣ſ. 4. Eſaiæ 8. ℣ſ. 1. & 30. ℣ſ. 8. Jeremiæ 30. ℣ſ. 2. Habacuco cap. 2. ℣ſ 2. mandatum illud generale Apoſtolis datum Matth. 28. ℣ſ. 19. ſpeciale, directum ad *Johannem* duodecies, cujus Summa Apocal. 1. ℣ſ. 11. Adde illud *Judæ* ℣ſ. 3. ubi Apoſtolus diſertè: *Neceſſe habui ſcribere vobis ad vos hortandos, decertetis pro fide, quæ ſemel tradita eſt ſanctis.* Secundò cauſarum Attentio: ea enim literis ſolemus mandare, quæ volumus ad poſteros propagare, pluribus & diſſitis communicare, fideliter exprimere: pari itaque modo humanæ vitæ brevitas, hominum multitudo, maximè tempore N. T. convertendorum, traditionis oralis fallibilitas, induxit ſcriptionis neceſſitatem, quo reſpexit Lucas cap. 1. ℣ſ. 3. Tertiò Prophetarum & Apoſtolorum pietas, quibus aliquid aggredi abſque juſſu divino fuit religio; Ipſe *Gregorius de Valentia* vocat illos *calamos*, qui conſequenter non niſi moti à DEO, ſcripſerunt; alii illos *Amanuenſibus* & *Secretariis* comparant, qui, quod ſcribunt, ex mandato ſcribunt: quanquam autem non negemus, ſcriptos eſſe libros ex variis occaſionibus, divinitus ſuppeditatis, tamen illæ non pugnant cum mandato, nec inde conſequens eſt, tantùm occaſionaliter eſſe ſcriptos. Adde *Irenæum*, qui *lib. 3. adverſus hæreſes cap. 1.* hæc habet: *non per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, poſtea verò per DEI voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamen-*

tum & columnam fidei noſtræ futurum. Paria habet *Auguſtinus de conſenſu Evangeliſtarum* libro ſecundo capite ultimo. Secundò neceſſitas exiſtentiæ in V. & N. T. per hanc enim DEus fideles tum ſub priore tum ſub poſteriore Oeconomiâ informare voluit, mandando Eccleſiæ V. T. ut reverenter habeat codicem ſacrum, inprimis Joſuæ cap. 1. ℣ſ. 8. remittendo ad illum fideles N. T. 2. Petr. 1. ℣ſ. 19. promittendo in illo vitam, fidem, & ſalutem Joh. 5. ℣ſ. 39. Joh. 20. ℣ſ. 31. 2. Timoth. 3. ℣ſ. 15. Quorſum reſpexit *Hieronymus*, dicendo: *Scripturarum ignoratio* CHRISTI *eſt ignoratio.* Tertiò neceſſitas conſervationis: ut DEus defendit hunc codicem adverſus tot injurias hoſtium, *Antiochi* ſævitiem, *Domitiani* tyrannidem, fraudes *Apollonii*, *Celſi*, *Jamblichi*, *Plotini*, *Porphyrii*; ita conſervabit illum usque ad conſummationem ſeculi. Eſt enim ille *fundamentum Eccleſiæ* Eph. 2. ℣ſ. 20. 21. 22. eſt ille ſcutum adverſus errores, munimen contra vitia, promptuarium ſolatiorum adverſus afflictiones, calamitates, & quasvis ex quovis profundo profectas tentationes; eſt denique illud unicum medium, ex quo ſalus & beatitudo æterna Joh. 20. ℣ſ. 31. conſulatur *Chryſoſtomus homiliâ 3. de Lazaro.*

II. Deviant itaque à vero *Pontificii*, qui dicunt cum *Bailio*, *Amanuenſes ſacros nullo mandato divino excitatos ſcripſiſſe, ſed tantùm ex occaſione.* II. *Anabaptiſtæ* quidam, qui vel Scripturam totam rejiciunt, vel libros V. T. & quia in N. T. omnes docti à DEO futuri, illis *non opus eſſe Scripturis*, opinantur, III. *Fanatici in Angliâ*, qui, teſte *Honorio Reggio*, ſtatuerunt: *revelationes* DEI *non eſſe alligandas ad Scripturas, nec dimidium gloriæ* DEI *ſive in praxi ſive doctrinâ adhuc revelatum; ſed expectandum, quid ulterius revelaturus ſit in corde noſtro.* Impia autem vox F. Richardi de Mans, Ordinis Franciſcanorum, in Concilio Tridentino, dicentis: *Fidei dogmata operâ Scholaſticorum in præſens ſic eſſe enucleata, ut in poſterum ex Scripturâ ea addiſcere nihil eſſet opus, eam olim in Eccleſiâ legi & in Scholis addiſci ſolitam ad populum inſtituendum, nunc vero in Eccleſiâ lectitari, ut orare ſolùm doceat, qui unicus debet eſſe illius uſus, non autem ut addiſcatur, atque eum eſſe cultum ac venerationem à ſingulis verbo* DEI *debitam. Illud verò omninò prohibendum, ne quis diſcendi ſtudio Scripturam legat, niſi qui in Theologiæ Scholaſticæ doctrinâ prius ſit inſtitutus.*

tutus. Et hanc ſententiam fautores ſuos habuiſſe oſtendit *Petrus Suaves Polonus lib. 11. p. 174.*

III. Ita autem neceſſariam ſtatuimus Scripturam, ut maximè commendemus V. T. uſum, & criteriorum illius cum libris N. T. collationem. Huc enim ducit Apoſtolus *Paulus* 2. Tim. 3. ℣ſ. 14. 15. 16. 17. huc *Petrus* 2. Petr. 1. ℣ſ. 19. 20. 21. imò huc ipſe CHRISTUS Joh. 5. ℣ſ. 39. nec inſigni utilitate collatio illa deſtituitur: ita enim conſenſu illorum librorum ſtabiliuntur fideles, ut *Berroënſes* Act. 17. ℣ſ. 11. ita interpretatio & ſenſus inveſtigatio facilitatur, quod colligi poteſt ex Actor. 17. ℣ſ. 2. ita illi validè convinci poſſunt, qui vel V. T. libros recipiunt, repudiato N. T. volumine: vel Evangelia, & in V. T. ſunt injurii; Unde etiam *Apollo Alexandrinus* ex Scripturis V. T. convicit publicè *Judæos*, quòd Chriſtus verus Meſſias Act. 13. ℣ſ. 29. Quò reſpexit *Auguſtinus*, qui *lib. 28. de doctrinâ Chriſtiana cap. 6.* voluit, *divinarum Scripturarum ſolertiſſimum indagatorem primò totas ſacras Scripturas legere, easq; notas habere, etſi non intellectu, tamen lectione.*

IV. Impii ergò fuerunt quondam 1. *Cerdoniani, Marcionitæ, Gnoſtici,* & *Manichæi*, quia dixerunt, *ab alio* DEO, *qui non eſſet Pater Domini noſtri* JESU CHRISTI, *V. T. eſſe profectum:* imò de ipſo N. T. perverſè ſtatuerunt, *multa eſſe aſſuta à neſcio quibus & inter ſe diſcordantibus Semi-Judæis.* De quo *Auguſtinus contra Fauſt. cap. 3.* II. Impius ille *Servetus*, quem alii variarum hæreſeωr propolæ ſunt ſecuti. III. *Becanus*, qui in *tractatu de analogiâ V. & N. T.* hoc diſcrimen conſtituit, *quod in Veteri promitterentur bona terrena, in Novo cœleſtia & æterna,* quæ planè gemella *Servetianis* & *Socinianis* hypotheſibus.

DISPUTATIO VIGESIMA QUARTA
De
ÆTERNITATE ET HARMONIA SCRIPTURÆ,

THESIS I.

ÆTernitatem Scripturæ commendat 1. *David* Pſalm, 119. ℣ſ. 89. 2. ipſe CHRISTUS Matth. 5. ℣ſ. 18. denique *Petrus* 1. Epiſt. cap. 1. ℣ſ. 25. in quo dicto de æternitate propriè ſic dicta agi, patet tum ex eo, quia omne analogum ſtat pro ſignificatu ſuo famoſiori, & ſi adſit nulla conditio limitans, diminuens, aut reſtringens, ſignificationi propriæ preſſè ſit inſiſtendum: tum quia oppoſitio inter homines mortales, herbas, & flores caducos, omnem mutationem à Verbo divino removet: tum quia hæc æternitas alibi per ἀφθαρσίαν & μονὴν εἰς τὸν αἰῶνα exponitur 1. Tim. 1. ℣ſ. 17.

VI. Impingunt ergò I. *Pontificii*, qui cum *Gregorio de Valentia* & *Gretzero* Scripturæ hoc attributum derogant, & Verbum DEI ab illâ, *tanquam multò latius patens*, diſcernunt. Quorſum referimus verba Viri inter Romanos Clariſſimi, qui in Epiſtolâ ad Epiſcopum quendam ſcripſit: *verba Epiſcopi hujus eſſe magis certa, quam ſit fides publica, & eadem eſſe duratura, donec cœlum & terra prætereant.* II. Quidam *Calviniani*, qui cum *Aretio* per Verbum DEI hîc intelligunt Verbum hypoſtaticum: quibus prælusit *Cajetanus*, acceſſit *Rathmannus*. III. Qui cum *Schwenckfeldianis, Scripturam*, non tantum dicunt, *literam eſſe mortuam*, ſed etiam aliis ſcriptis, quibus nihil ineſt vitæ aut æternitatis, comparant.

VII. Conſpirat autem Veritas in Scripturâ non tantùm in ordine articulorum fidei, myſteriorum, & illorum, quæ faciunt ad beatitudinem æternam, ſed etiam, quæ in illâ de rebus phyſicis, mathematicis, & moralibus, aut alterius generis ſunt, ita reſpondent rebus, ut nihil falſi, nihil erronei, in toto codice oſtendi poſſit. Nam primò, cùm tota Scriptura ſit divinitus inſpirata, admiſſo, quod illa in rebus phyſicis, mathematicis, aut etiam moralibus, loquatur non

ex

ex veritate, ſed ad erroneam opinionem vulgi, ipſe DEUS falſus teſtis (quod horrendum) dicendus erit, utpote loquens id, quod diſſentit à re, non reſpondet objecto. 2. Admiſſâ hac opinione everteretur fides, ipſo Apoſtolo dicente: *Si teſtimonium noſtrum falſum eſt, vana erit quoque fides veſtra* 1. Corinth. 15. ℣ſ. 14. 3. Si dicatur, DEUM in verbo ſuo de rebus phyſicis, mathematicis, & moralibus loqui, non pro ut ſe res habet, facile erit oſtendere, à DEO etiam eſſe dubitationem, in illis, quæ ſunt res fidei: qui enim uno in loco loquitur non ad veritatem, ſed opinionem, ille utique occaſionem ſuppeditat dubitandi, cur non in aliis locis conſimiliter locutus ſit: Sique luxatur hoc principium, quidquid DEUS dicit, illud verum eſt, nil niſi Scepticiſmus etiam in rebus fidei oboriri poteſt; ſi dicamus, loqui DEUM erroneè, ipſe DEUS & medium Scripturæ principium erit deceptionis; ſi loquitur, ut ſermo ejus non reſpondeat rebus, qui adſtringat lege ſuâ ad aſſenſum & fidem, moraliter bonum erit errare, quia legi illius conforme.

VIII. Non parum itaque detrahunt Scripturæ, qui ex Philoſophiâ *Carteſianâ* ſingularia commenta orbi erudito obtrudere latagunt, & 1. cum *Wittichio* dicunt, *Spiritum S. non velle in Scripturâ nudam veritatem circa res naturales, quas optimè cognitas habeat, manifeſtare, ſed eam in medio relinquere, permittentem interea literatis hominibus, ut locutiones tales conferant cum Philoſophiâ, & inde, num accuratæ, num vulgares ſint, diſcant.* II. Cum *Lansbergio* ſtatuunt, *Scripturam tam ruditer & tam craſsè loqui, ut rei ipſius veritas ex verbis erui non poſſit.* III. Cum *Wittichio* aſſerunt, *uti Scripturam locutionibus falſis ſecundum opinionem vulgi, quando præter judicia quædam de rebus naturalibus per ſenſus hauſerit: at verò in iis rebus, de quibus vulgus per ſenſus nihil judicat, loqui aliquando ex rei veritate.*

IX. Harmoniam in veritate oſtendit *Zacharias* Luc. 1. ℣ſ. 70. *Paulus* Act. 26. ℣ſ. 22. & *Petrus* 2. Petr. 1. ℣ſ. 19. 20. 21. Unde etiam *Chryſoſtomus homil. 36. in Matth.* ſcribit ad dictum ℣ſ. 37. cap. 10. *qui non odit &c. Quid igitur? objiciet quispiam: an hæc veteribus contraria? nequaquam, imò verò valde conſona, omninoq́ conjuncta.*

X. Malè itaque agunt, qui cum *Becano* contradictiones apparentes in Scripturâ colligunt, vel cum *Pareo*, *ſi hyberbole admittatur*

tatur in Scripturâ, vacillaturam veritatem illius, opinantur, *quia hyberbole ſit id, quod dicitur ſupra rei veritatem, quòd ſit ſpecies mendacii:* vel cum *Socinianis* aliquam *diſſenſionem inter Scriptores Sacros* admittunt.

DISPUTATIO VICESIMA QUINTA

De

PURITATE SCRIPTURÆ,

THESIS I.

SEquitur Puritas & Sinceritas fontium. Vetus quidem Teſtamentum Hebræo conſignatum eſt idiomate, & in quibusdam capitibus *Danielis* & *Eſræ* Chaldæo, Novum verò Græco, ita tamen, ut cum *Laurentio Fabricio* admittamus, permiſceri Græcam linguam in libris N. T. liquore Ebræi Sermonis, cum ea ſit indoles rerum Sacrarum, ut proprietas primæ linguæ non ſolùm ſe diffundat per Veterem Scripturam, ſed etiam ſeſe inſinuet in Græciſmum N. T. unde multis in locis N. T. hoc ad oculum patet, & ut Chaldaica etiam in *Jeremiâ* cap. 10. ℣ſ. 11. & aliis, Arabica in *Jobo*, Ægyptiaca in *Moſe*, Græca in *Eſrâ & Nehemia*, Perſica in *Eſthere* & *Daniele* occurrunt, nec tamen nitorem linguæ primigeniæ obfuſcant; ita quamvis iſtiusmodi ſtellulis diverſæ etiam linguæ interdiſtinguatur textus Græcus, non tamen propterea dicendus eſt impurus. Nam 1. Prophetæ & Apoſtoli fuerunt Viri θεόπνευστοι, qui, quicquid ſcripſerunt, Spiritu dictante ſcripſerunt; quis autem arguat Spiritum ſanctum, mentis & linguæ artificem, alicujus impuritatis, aut quaſi non dextrè illa, quæ nobis ſignificare voluit, potuerit exprimere? 2. Lingua, quâ uſi fuerunt Scriptores V. T. fuit Hebræa, ſimpliciſſima, puriſſima, & ad res exprimendas aptiſſima, & Græca, quam adhibuerunt Scriptores N. T. attemperatè tamen ad libros V. T. quum aliud non dixerint aut ſcripſerint, quàm quæ in illis propoſita. 3. Si admittamus quandoque recedere ſtylum ſacrum à regulis Grammaticis, non tamen erit alicujus impuritatis accuſandus, ſed potius illæ regulæ Grammaticæ ſeſe ſubmittunt illi, & amplianda erunt, quemadmodum, ſi principium quoddam Philoſophicum

nimis reſtrictè ſeſe habet, & illis tantum, quæ in Naturâ animadvertuntur, eſt ſuperſtructum, per operationem Metaphyſicam eò deducitur, ut etiam in rebus divinis locum habere poſſit, & procedat in abſtractione Entis; Optimè *Cyprianus* de eleemoſynâ: *Spiritus S. erat Scriba, Prophetæ erant ejus calami, quibus Spiritus S. ſcribenda dictabat.*

II. Non placent ergò illa, quæ quidam impudenter diſputant. 1. non illa *Sixti Senenſis* cenſura de *Ezechiele* & *Jeremiâ lib. 1. p. 15. & 16.* ſcribentis, *illius ſtylum nec ſatis diſertum, nec admodum ruſticum eſſe, ſed ex utroque temperatum: hujus verò ſermonem incultum eſſe, & penè ſubruſticum.* 2. Non illud *Bezæ* judicium, qui *in Verbis Teſtamenti* CHRISTUM vult *commiſiſſe ſolœciſmum* Luc. 20. ỷſ. 22. *Goclenii*, qui *lib. 5. problem. Grammat. problem. 1. p. 226. in Verbis inſtitutionis baptiſmi* Matth. 28. ſtatuit *eſſe ſolœciſmum.* 3. Non illa *Claudii Salmaſii* opinio, quod *idioma Apoſtolicum N. T. ſit partim* ἰδιωτικὸν, *Syriacum Græcorum, idiotarum imperitè loquentium, partim* ἑρμηνευτικὸν *eorum, qui Syriacè exarata ab Apoſtolis Græcè verterunt, quum omnes ferè diſcipuli Chriſti & Apoſtoli, ut fuerunt idiotæ & plebeji, opifices, piſcatores, nautæ, & portitores, non aliam noverint linguam, præter vernaculam Galilæam & Syriacum idioma, quod in illâ regione obtinuerit;* quem alibi prolixè refutavimus. Nec tamen placet *Sebaſtiani Pfochenii* conatus, qui, in *diatribe* ſuâ *de linguæ Græcæ N. T. puritate*, in exceſſu videtur peccaſſe.

DISPUTATIO VIGESIMA SEXTA
De
LIBRIS APOCRYPHIS,

THESIS I.

Liber *Tobiæ* Poëticus verius, quàm Hiſtoricus eſt: in quo occurrunt ſequentia indicia. 1. Enim dicitur cap. 3. ỷſ. 7. *Sara habitaſſe in Reges civitate Medorum*, quod verum eſſe nequit, ſi verè dicitur Angelus Tobiæ comes, cùm ad eum locum veniſſet ubi habitabat Sara, rogatus à Tobiâ, *ut vaderet ad Ga-*

belem in Rages in civitatem Medorum cap. 9. ℣ſ. 3. 2. Mentitur perſonatus ille Angelus cap. 5. ℣ſ. 7 & 18. & c. 7. ℣ſ. 3. *ſe eſſe Azariam Ananiæ magni filium ex filiis Iſraël, ex tribu Nephtali & captivitate Nineves.* 3. Nimis manifeſtè ſapit Thalmudicas fabulas nomen perſonati illius Angeli *Raphaël* toties recurrens: *q. d. Medicus* DEI: ſimiliter nomen Diaboli *Aſmodæus* cap. 3. ℣ſ. 8. utrumque temerè, quà confictum extra Scripturas Canonicas, quà translatum ab homine ad Angelum 1. Chron. 26. ℣ſ. 7. 4. Neque caret Magicâ impietate Medicina à Medico iſto commendata: *Particulam ex corde piſcis ſi ſuper carbones ponas, fumum ejus extricare omne genus Dæmoniorum, ſive à Viro, ſive à muliere, ut ultra non accedat ad eos &c.* cap. 6. ℣ſ. 8. & ℣ſ. 19. *Incenſo jecore, piſcis fugabitur dæmonium.* 5. Velificatur porrò idololatrico cultui Angelorum, quod porrò mentitur perſonatus ille Angelus: *ſe eſſe unum ex ſeptem illis Angelis ſanctis, qui adſtant ante Dominum, & orationes piorum* DEO *offerunt*, ſcilicet cap. 12. ℣ſ. 12. & 15. 6. Fallit illud manifeſto anachroniſmo annorum, ad minimum 58. quod capite 14. Tobias, completis 102. annis vitæ, moribundus in lectulo affirmat, *Templum* DEI *in civitate Jeruſalem incenſum eſſe & combuſtum:* quia dicitur deportatus Tobias à Salmanaſſaro circa 6. annum Ezechiæ: ab anno autem Ezechiæ 6. ad conflagrationem Templi intercesſerunt anni quaſi 130. In deportatione autem Tobias vix minor eſſe potuit tricenario, adeoque deportationi haud ſupervixiſſe ultra annos 72. quia dicitur, jam tum ductâ uxore, ex eâ filium ſuscepiſſe, eumque piè educaſſe: ut de illis 130. deductis iſtis 72. reſidui ſint ante templi conflagrationem anni 58.

II. Hallucinantur hic primò *Pontificii*, qui eundem inter Canonicos cum *Cornelio à Lapide, Tirino, Bellarmino*, & cæteris referunt, cum tamen, teſte ipſo *Cornelio*, Patres olim nonnulli ipſum non habuerint pro Canonico, quia non extet in Canone Hebræorum: ſecundo *Anabaptiſtæ* & *Mennoniſtæ*, qui pro Canonica authoritate hujus libri pugnant, & conſimilia huic libro in Canonicis haberi oſtendere moliuntur; ſed fruſtrà. Tertio *Pontificii*, qui de Scriba hujus libri litigant, *Sixto Senenſi* & *Serario* opinantibus, ab utroque Tobia eſſe conſcriptum: *Sanchezio* tribuente hoc Opus alicui iſtius ævi Scribæ, vel Esdræ: Præterea hæſitantes circa linguam, in quâ ſcriptus, quam tamen Chaldaicam plerique volunt; & *Fagium* op-

um oppugnantes, qui Ebræum Exemplar Conſtantinopoli ad ſe allatum in latinum traduxit, & typis evulgavit; eo ipſo ſe ipſos refutantes, & è Cenſu librorum Canonicorum V. T. removentes, cum omnes illi lingua Ebræa ſint exarati.

III. Libri *Judithæ* hiſtoria fabuloſa eſt ſimiliter, & mendax: atque alicubi impietatis magiſtra. 1. Fallit omninò annus Regis Nabuchodonoſor 13. indicatus cap. 2. ℣ſ. 1. Etenim Nabuchodonoſor ille non eſt alius, quàm qui anno regni ſui 19. Hieroſolymā captâ, urbem & templum incendit, Judæos partim occidit, partim deportavit, partim paulò poſt aut cædendos aut deportandos reliquit in Judæâ. 2. Chron. ult. 2, Reg. 24. & 28. Jerem. 39. & 52. & capitibus interjectis: fatente *Genebrardo* Chronogr. lib. 2. ad A. M. 3960. Mendax ergò eſt fabula: *Anno 13. emiſſum Holofernem, poſt quem triumphatum Judith vixerit in domo viri ſui ad annum 100. neque fuerit ultra, vivente ipſa, & poſt mortem ejus annis multis, qui perturbarit Iſraël* cap. 16, ℣ſ. 28. 30. 2. Errore manifeſto, attamen non caſtigato in Bibliis *Clementis VII.* auctoritate editis cap. 8. ℣ſ. 1. ſcribitur *Simeon fuiſſe filius Ruben.* 3. Impium eſt, quod cap. 9. Judith probat facinus Simeonis & Levi, à Spiritu Sancto exertè damnatum Gen. 49. ℣ſ. 5. 6. 7. & quod precatione ſuâ DEUM alloquitur, ut facinoris damnati auctorem. Nec pia eſt fabula, in diebus noviſſimis ex poſteris Simeon & Levi DEUM excitaſſe Iſraëli Judicem Juditham: per quam tanta ſalus & tanta pax obtigerit Iſraëli: ut fuerit in benedictione memoria facinoris iſtius, propter quod prænuncius in Jacobo Spiritus DEI denunciavit poſteris Simeonis & Levi maledictionem in diebus noviſſimis eventuram, ut illos DEUS diſpergeret & divideret in Iſraële. 4. Notamus porrò Lenocinium minimè pium Mendacio & Perjurio ac profanatione nominis divini cumulatum capite 9. 10. & 11. Quando Judith, Holofernem (cum DEO ſcilicet) occiſura, *ſe ornaſſe* dicitur eo cultu corporis, quo Holofernem impurâ libidine inflammaret, ut ſcilicet illum ob eam ipſam cauſam juſtè occideret: & mentita cauſam fugæ ſuæ à Judæis ad Holofernem: & uſa narratione iſtâ, quæ tota ex mendacio contexta eſt; Interpoſito juramento *per vitam Nabuchodonoſoris*; & iſta ad DEUM provocatione inſerta, *DEUM hoc conſtituiſſe; per DEI Providentiam hæc ei dicta eſſe: Dominum hoc illi per Prophetas annunciaſſe*; Atque, quod caput eſt, ad

Lenocinium & ad mendacia DEUM vocaſſe in auxilium: *Fac Domine, ut gladio proprio ejus ſuperbia amputetur; capiatur laqueo oculorum ſuorum in me: & percuties eum ex labiis charitatis meæ &c.* c. 9. ℣ſ. 12. 13. 5. Fallunt ultima totius libri verba iſta: *dies victoriæ hujus feſtivitatis ab Hebræis in numero ſanctorum dierum accipitur, & colitur à Judæis, ex illo tempore, usq; in præſentem diem.*

IV. Errant primò *Pontificii*, qui volunt, *hunc librum eſſe Canonicum*, *Bellarminum* & *Baronium* ſequentes, quos tamen prodidit ipſe *Cornelius à Lapide*, ſcribens: *hic liber apud Ebræos non extat in Canone ſacræ Scripturæ, ſed apud Chriſtianos.* Secundò *Anabaptiſtæ*, *Mennoniſtæ*, & alii, qui *negant*, Sphalmata & falſa in illo libro doceri, & quamvis non conſtet de tempore liberationis illius, quæ ibi commemoratur, non tamen obeſſe illi opinantur, cum & in Canonicis hæc Eclipſis deprehendatur. Tertiò *Pontificii*, qui referunt Hiſtoriam hujus libri ad Tempus, quod præceſſit captivitatem Babylonicam, regnante Menaſſe in Juda, de quo videndi *Bellarminus*, *Pererius*, *Chriſtophorus à Caſtro*, *Serarius*, *Salianus*, & alii.

V. Mentitur libri *Sapientiæ* auctor, *ſe Salomonem Regem eſſe* cap. 8. ℣ſ. 21. usque ad cap. 9. ℣ſ. 9. Ac prodit ſe ſuo indicio, nimis manifeſtè alludens ad Græcorum certamina Olympiaca, cùm denatus ſit Salomon ducentis annis circiter, (computo *Beroaldi*) antequam prima Olympias eſſet acta, vide cap. 4. ℣ſ. 1. 2.

VI. Facilè hinc judicare datur, quid ſentiendum primò, de Opinione *Pontificiorum*, qui ſtant pro Canonica authoritate hujus libri, & nihilominus agnoſcere coguntur, ab Ebræis non haberi pro Canonico, nec à Patribus, *Athanaſio*, *Epiphanio*, *Hieronymo*, *Damaſceno*, nec à Pontificiis, *Nicolao Lyra*, & *Cajetano*; ut videre eſt apud *Tirinum* & *Cornelium à Lapide.* Secundò *Mennoniſtarum* & *Anabaptiſtarum*, qui argumentum ſupra ex certaminibus Olympicis deſumptum eludere tentant, dicendo, *illas voces, quæ alludunt ad certamina vetera Græcorum, non eſſe Auctoris, ſed Græci Interpretis*, cum tamen Ebræum Exemplar nullum poſſit oſtendi, ex quo Verſio fuerit adornata. Tertiò, de Opinione *quorundam*, qui volunt, *Authorem hujus libri fuiſſe Siracidem, vel Salomonem*: Ut prætendit *Sixtus Senenſis*, *Chriſtophorus à Caſtro*,

ſtro, Conſalvus Cervantes; vel tandem, *Ebræum Scribam* & *Rabbinum, qui dictante Spiritu S. illum conſcripſerit*, quæ *Cornelii* eſt Opinio.

VII. In *Eccleſiaſtico* Jesu *Sirach* tres potiſſimum notamus errores, quibus fallitur auctor, & fallit in Scripturis propheticis interpretandis. 1. cap. 24. ℣ſ. 12. captus errore LXX. Interpretum, qui Proverb. 8. ℣ſ. 22. pro ἐκτήσατο poſſedit, reddiderunt ἔκτισε creavit: cæcus Judæus jecit ſemina Arianiſmi, introducens, Solomonis æmulatione, Sapientiam loquentem his verbis; *Creator omnium, & qui creavit me: &c.* & ℣ſ. 14. *Ab initio & ante ſecula creata ſum.* 2. cap. 46. ℣ſ. 23. deceptus ſpecie verborum, quæ leguntur 1. Sam. 28. ℣ſ. 15. 16. &c. Necromantiæ velificatur: exiſtimans, *ipſum verum Samuelem per Pythoniſſam evocatum, Sauli Regi locutum.* 3. Capite 48. ℣ſ. 10. Errore capitali, qui perimit fidem Chriſtianam de Adventu Meſſiæ, verba Malachiæ cap. 4. ℣ſ. 5. 6. interpretatur, *de Eliâ ipſo reverſuro ante Adventum Meſſiæ*; quæ Angelus Gabriel & Christus interpretati ſunt de Johanne Bapt. venturo in Spiritu & virtute Eliæ Luc. 1. ℣ſ. 17. Marc. 9. ℣ſ. 11.

VIII. Non in Via Veritatis procedunt primò *Pontificii*, qui hunc librum Canonicâ dignantur authoritate, cum tamen ipſe *Cornelius* inter *deutero Canonicos* eundem referat, & agnoſcat, *illum non eſſe in Canone Ebræorum, ſive Scripturæ ab Ebræis receptæ, quem ipſi repoſuerint in Arca.* Secundò *Mennoniſtæ*, qui Errores, qui in hoc libro occurrunt, palliare & excuſare nituntur, & non verentur ſcribere: *Authores Canonicos ſæpè ſcribere ſecundum receptas potius opiniones, quam ex ſenſu ſuo.* Tertiò *Pontificii*, qui de Authore illius diſputant, & nunc laudant quoſdam, qui illum tribuunt *Solomoni*, nunc, qui illum adſcribunt cuidam *Ben-Sira*, nunc volunt, ſcriptum fuiſſe *Hebræo* idiomate, nunc *Syriaco*, de quo videndus *Bellarminus libro ſecundo de Verbo* Dei cap. 4.

IX. In libro *Baruch* notantur mendacia ſequentia: 1. Contra veritatem expreſſam Jeremiæ capite 40. quæ docet, Baruchum cum Jeremiâ abductum in Ægyptum, hic dicitur, *Baruch legiſſe librum in Babyloniâ* cap. 1. ℣ſ. 1. 2. Dicitur ℣ſ 3. c. 1. *hic liber lectus in auribus Jechoniæ Regis, & totius populi*: At certum eſt, Jechoniam tunc fuiſſe in carcere. 3. Dicitur (ibidem ℣ſ. 10.) *Rex & populus rogaſſe Sacerdotes, ut offerrent ſacrificia ad Aram Do-*

mini D E I *ſui.* At nullum erat Templum, nullum Altare, quia à Babyloniis omnia exciſa & cremata. 4. Falſa eſt Prophetia in Epiſt. Jeremiæ, quæ refertur c. 6. ℣ſ. 2. *Ingreſſi in Babylonem, eritis ibi annis plurimis & temporibus longis, usque ád generationes ſeptem.* Nullo enim ſchemate captivitatis Babylonicæ anni definiti 70. æquari poſſunt Generationibus ſeptem.

X. Peccant primò *Pontificii*, qui librum *Baruchi* nimium extollunt, & canonicam illi tribuunt dignitatem, imò, *de fide boc eſſe*, pronuntiant, utut noverint, non eſſe illum in Ebræorum Canone, à Patribus in Catalogo librorum divinorum non recenſeri, & ab ipſo *Driedone* pro non Canonico haberi. Secundò *Memoniſtæ*, qui circà contradictiones, quas obſervant eruditi in hoc Scriptore, ſunt operoſi, & maximè illud, quod Baruchus cum Jeremia abductus ſit in Ægyptum, conciliare laborant. Tertiò *Pontificii*, qui putant, ſi Baruch non ſit Author hujus libri, ut ſentiunt *Nicolaus Lyra* & *Dionyſius, dictante Jeremia illum nibilominus ſcripſiſſe*, de quo videndus *Maldonatus.*

XI. In libro *Maccabæorum* I. utiliſſima quidem eſt hiſtoria de Antiochi Tyrannide, ad ea explicanda, quæ habentur in Prophetia Danielis 8. ℣ſ. 11. de *Cornu* illo, à quo ſanctuarium eſt profanatum. Attamen, ut Canonicus cenſeatur, non patiuntur variæ relationes, quas pugnare contra hiſtoriæ veritatem, arguit omnium gravium & probatorum hiſtoricorum conſenſus. v. gr. quod affirmatur: *Alexandrum, cùm adhuc viveret, ſucceſſoribus ſuis regnum ſuum diviſiſſe* cap. 17. item, quod *in Romanâ Rep.* dicuntur *fuiſſe Patres 320.* quos de negotiis publicis conſulerent: cap. 8. ℣ſ. 14. item, quod *in eadem Rep.* dicitur *uni bomini commiſſus fuiſſe annuus Magiſtratus* c. 1. ℣ſ. 16. & ſimilia iſtis ſphalmata occurrunt plura.

XII. Impingunt hic primò *Pontificii*, qui pro libro hoc primo depugnant, & cum *Aſſeſſoribus Concilii Tridentini*, pro Canonico agnoſcunt, & tamen admittunt, quod apud Ebræos non ſit Canonicus, tum quia Ebraicè non extet, tum quia ſcriptus ſit poſt Canonem ſacrorum librorum à Synagoga tempore Eſdræ editum, de quo *Sixtus Senenſis, Bellarminus, Cornelius*, & alii. Secundò *Mennoniſtæ*, qui, quæ ab Orthodoxis huic libro opponuntur, amoliri tentant. Tertiò *Pontificii*, qui hariolantur, *aliquem ex Sacerdotibus vel Pontificibus fuiſſe*, & quidem *Joannem Hyrcanum, qui hunc primum librum adornarit.*

XIII.

XIII. In libro *Maccabæorum* II. notantur Mendacia iſta: 1. capite 1. *Judas Ariſtobulo* dicitur *ſcribere Epiſtolam anno* 188. ꝟſ. 10. Non poteſt non fallere calculus, ſi verè dicitur *lib.* 1. cap. 9. ꝟſ. 18. 19. &c. *Judas jam mortuus anno* 152. ꝟſ. 2. Eodem capite 1. narratio texitur prorſus fabuloſa: *Tum, cùm Judæi in Perſidem abducerentur*, (quod minimè factum, conſtat enim tempore Jeremiæ abductos in Babyloniam) *Sacerdotes ignem ſacrum abſcondidiſſe in quodam antro: quo cum Nehemias, poſt multos annos, aliquos miſiſſet Sacerdotes, inventus quidem nullus eſt ignis, ſed aqua quædam craſſa: quam cùm attuliſſent, aſperſaq; inde fuiſſent ſacrificia, Sole affulgente ignis eſt conceptus.* Deindè attexitur illud pariter fabuloſum capite 2. *Jeremiam abſcondidiſſe Arcam & Tabernaculum & Altare in ſpeluncâ, quæ incognita futura eſſet, donec populus congregaretur*; atque hæc dicuntur conſtare ex ſcriptis *Nehemiæ*. Caret autem tota hæc fabula teſtimonio non tantùm *Jeremiæ & Nehemiæ*, ſed etiam omnium Judæorum. 3. 2. Maccab. cap. 1. ꝟſ. 16. narratur *mors Antiochi, capite truncati, & membratim diſcerpti in Templo Nanneæ in Perſide.* Capite autem 9. narratur idem *peregrè in montibus, de curru lapſus, miſerabili obitu vitâ functus.* Secus autem narratur *lib.* 1. *cap.* 6. *Antiochus mortuus in Babyloniâ.* Diſſidet ergò & à ſeipſo, & à libro *Maccabæor.* primo Auctor ſecundi *Maccabæorum*: Nec conciliari iſta poſſunt, niſi verum eſſe poſſit, unum hominem tribus locis, adeoque ter, mortuum eſſe. 4. Contra Scripturæ Canonicæ analogiam pugnant, quæ cap. 12. ꝟſ. 43. 46. extant de *benè & religioſe miſſis Hieroſolymas à Judâ Maccabæo* 12000. *drachmis argenti ad oblationem ſacrificii pro peccatis mortuorum*: (ita nunc habent Biblia *Clementis VIII.* juſſu edita, expunctâ veteri meliori lectione, pro peccato) & quæ Auctor libri diſſerit, *de ſanctâ precatione pro defunctis, ut à peccatis ſolvantur.* 5. Capite 14. minimè pium eſt, quod laudatur *Razias, ſeipſum interficiens.* ꝟſ 37. 46.

XIV. Fallunt hic primo *Pontificii*, qui inter Canonicos hunc quoque referunt; ſecundo *Mennoniſtæ*, qui varios colores quærunt, ut errores in illo obumbrent; Tertio *Pontificii*, qui volunt, ſcriptum fuiſſe Ebraicè.

XV. Huc referimus *Thargum* ſive *paraphraſin Chaldaicam*, quæ probabiliter cœpit in captivitate Babylonicâ, uſu linguæ Chal-

daicæ

daicæ invaleſcente, ſanctificata quaſi à Chriſto, qui in cruce pendens ex illâ uſurpavit vocem שבקתני *Sabachtani*, adornata in omnes libros, excepto *Esdrâ* & *Daniele*. In Legem quidem habemus *Onkeloſum: De quo authore ſunt quatuor ſententiæ, quarum* prima *eſt eorum, qui putant, ob ſoni nominalis affinitatem eum fuiſſe unum ex Patribus, cui nomen fuit Aquilas Ponticus. Sed hæc ſententia rejicitur ob has ſequentes rationes. 1. Magna eſt differentia inter* אונקלוס *(hæc enim paraphraſis vocatur* תרגום אונקלוס*) & inter Aquilam. 2. Aquilas ille quondam fuit celebris propter factam verſionem Græcam; verum hic celebratur propter paraphraſin Chaldaicam in Legem. 3. Aquilas fuit nominatus Chriſtianus, ſed hic Onkelos illo titulo fuit antiquior: nam vixit etiam ante tempora* Christi, *quando Nomen Chriſtiani adhuc fuit ignotum. 4.* Onkelos *olim Hieroſolymis vixit, etiam ante Chriſtum ſub Hillele; Aquilas verò vixit ſub Hadriano & Antonino pio Imperatoribus.* Secunda *ſententia eſt eorum, qui hunc Onkeloſum confundunt cum* עקילס Akilas. *Verum quidem eſt: hic Akilas etiam fuit proſelytus, & ſcripſit etiam Targum aliquod, quod in Bereſchit Rabba paſſim citatur; ſed hactenus injuriâ temporum periit. Attamen hic Akilas non eſt confundendus cum Onkeloſo. 1. Quia* עקילס & אונקלוס *nomine differunt, tam ratione ſcriptionis quàm pronunciationis. 2. In ſcriptis Rabbinorum utriusque ſit diſtincta mentio. 3. Akilas Prophetas & Hagiographa vertit, ut ex allegatis locis* Eſa. 3. & Proverb. 12. *apparet; Onkelos verò Pentateuchum tranſtulit.* Tertia *ſententia, quæ etiam eſt communis Judæorum, ſtatuit hunc Onkeloſum fuiſſe Titi Veſpaſiani ſororium, qui poſt excidium Hieroſolymæ, ejurato Gentiliſmo, factus Judæorum proſelytus. Hanc ſententiam elegit olim Elias Levita in præfat. ſui Methurgeman, ubi ait,* אונקלוס היה אן אחותו של טיטוס שחרב הבית Onkelos erat filius ſororis Titi, qui demoliebatur domum *(Sanctuarii.) Verum nec hæc ſententia placet, propter temporis nimiam diverſitatem: nam noſter Onkelos annis circitèr 40. ante Chriſtum natum ſub Hyrcano factus eſt proſelytus, quum ille Titi ſororius, qui fortaſſè eodem nomine fuit præditus, vixerit poſt Urbis excidium; nam tum demum factus eſt proſelytus; & nullo modo videtur veroſimile, noſtrum Onkeloſum, etiamſi maximè longævus fuiſſe ſtatuatur, usq; ad Urbis & Templi vaſtationem*

tionem

tionem ſupervixiſſe. Hic ergo noſter Onkelos nullus eſt ex tribus præcedentibus. Quarta *ſententia eſt noſtri Schickardi, qui* in Bechinath Happ. p. 25. *putat, noſtrum Onkeloſum ante Chriſtum natum fuiſſe, eique fuiſſe coætaneum, & Rabbino Gamalieli Seni, (ad cujus pedes Apoſtolus Paulus Phariſaiſmum didicit) octodecim annis ante Urbis incendium defuncto, Juſta feciſſe, 70. Thuris libras in ipſius Buſta honoris ergò inſumendo, & pro more gentis ſuper ejus cadaver comburendo. Noſter Onkelos fuit etiam proſelytus; nam paſſim in Thalmude vocatur Onkelos* הגר proſelytus.

XVI. Secundum eſt Hieroſolymitanum. *Hoc Targum vocatur* תרגום ירושלמי Targum Hieroſolymitanum. *Sed quare? Vel ab urbe, in quâ translatum eſt; vel à linguâ ſive dialecto, quâ conſcriptum eſt. Datur etiam Talmud Hieroſol. quod eâdem dialecto exaratum eſt. Dialectum quod attinet, etiamſi omnes Paraphraſtæ linguâ Chaldaicâ ſcripſerint, variis tamen dialectis pro ſeculorum & regionum varietate, in quibus vixerunt, uſi fuérunt. Chaldaicæ linguæ triplex olim fuit dialectus:* prima *fuit* Babylonica, *quæ in florente Regno Babylon puriſſima fuit. Hâc uſi ſunt in ſacris literis Daniel, Ezra, & Jeremias in verſu illo Chaldaico* cap. 10. ℣ſ. 11. *Et poſtea eâdem dialecto, licet impuriore, uſi fuerunt Onkelos, Jonathan, & Author, ſive Authores Talmudis Babylonici.* Secunda *dialectus eſt* Hieroſolymitana, *quæ Judæis Hieroſolymis, & in circumjacentibus regionibus habitantibus, familiaris fuit. Hâc dialecto uſi ſunt Authores Targumi, vulgò adſcripti Jonathani Uzielidi, & Jeruſchalemi in Legem, & illius in Hagiographa. Etiam hanc dialectum ſuam agnoſcunt Thalmud Hieroſolymitanum, Liber Zohar, & quædam Medraſchim.* Tertia *dialectus eſt* Syra, Comagena *ſive* Antiochena *dicta, quæ ex Antiocheno tractu in reliquas Syriæ partes propagata fuit. Eâ dialecto Novum Teſtam. Syriacum deſcriptum eſt. Targum igitur Hieroſolymitanum ad ſecundam dialectum referri debet.* Vide Præfat. Franciſci Taylori verſioni Targumi Hierof. præmiſſam. *Author hujus Targum planè eſt ignotus, etiam ipſis Judæis: ſic teſtatur Elias præfat. Methurg.* המתרגם ירושלמי שתרגם התורה לא נודע לנו מי הוא: Interpres Jeroſolymitanus, qui vertit Legem, ignotus eſt nobis, quisnam fuerit. *Nonnulli putant, illud Targum ab uno Authore eſſe compoſitum,*

Schickardus exiſtimat, Authores ejus numero plures fuiſſe, ſed collectorem unum.

XVII. Targum tertium in Pentateuchum: *Adſcribitur Jonathæ filio Uzielis, qui paraphraſes in Prophetas compoſuit: hinc hæc paraphraſis à Judæis vocatur* תרגום יונתן עוזיאל Targum Jonathanis Uzielidis: *ſed falluntur ſummoperè Judæi. Verum quidem eſt, & vix ulli dubitamus, quin Jonathan filius Uzielis etiam compoſuerit paraphraſin in Pentateuchũ: nam expreſſè hoc videtur indicari à Talmudiſtis in loco Talmudico ſuprà allegato* Tractatu bava bathra p. 134. אמרו עליו על יונתן בן עוזיאל בשעה שיושב ועוסק בתורה כל עוף שפורח עליו נשרף: Dixerunt de illo Jonatha filio Uzielis, quod horâ, quâ ſederit & ſtuduerit in Lege, *(h. e. Pentateucho)* omnis avis, quæ volârit ſuper eum, combuſta fuerit. *Deinde in loco ſuprà alleg.* ex Megilla pag. 3. *dicitur, quod, cum voluerit pergere in transferendis Hagiographis, audiverit vocem, quæ ajebat* דייך ſufficit tibi. *Videtur admodum probabile, Eum jam antea tranſtuliſſe Pentateuchum: quia libri Pentateuchi majoris fiunt à Judæis, quàm Hagiographa: deinde, quia Judæi ſingulis hebdomadibus ſectionem aliquam ex Pentateucho debuerunt legere. Verum enimvero inde non ſequitur, quod illa paraphraſis, quæ hodiè hoc ſpecioſo nomine circumfertur, ſit eadem illa, quam Jonathan ille olim compoſuit.*

XVIII. Targum quartum eſt Jonathanis Uzielidis, in Prophetas Anteriores & Poſteriores. *Hujus ſæpè fit mentio in Thalmude, uti ex antecedentibus manifeſtum eſt. Fuit unus ex diſcipulis magni & celebris illius Hillelis, prout dicitur in Thalmude, Tractatu* bava bathra c. 8. p. 134. Facie à circa Med. Tradunt magiſtri noſtri, quod octoginta diſcipuli fuerint ipſi Hilleli ſeni. Triginta ex illis digni, ut habitaret ſupra eos Spiritus S. ſicut ſupra Moſen præceptorem noſtrum, ſupra quem eſt pax. Et triginta ex illis digni, ut ſtet ipſis ſol, ſicut Joſuæ filio Nun. Viginti intermedii. Maximus, qui in omnibus illis, erat Jonathan filius Uzielis. Parvus, qui inter omnes illos, erat Rabban Jochanan filius Zaccai. *Hinc apparet, quanti Judæi hunc Jonathanem Uzielidem faciant. Ajunt eum eſſe diſcipulum, quod etiam creditur, illius magni & celebris Hillelis, qui 80. celeberrimos habuit diſcipulos, inter quos hic dicitur fuiſſe præſtantiſſimus. Præterea cum Zaccaide, viro profundiſſimè docto, eum comparant,*

& di-

& dicunt, illum fuiſſe minimum; hunc verò noſtrum econtrà maximum. Quod hic Jonathan tranſtulerit Prophetas, unanimiter creditur & defenditur à Judæis.

XIX. Targum Quintum eſt quinque Libellorum, ſcil. Cantici Canticorum, Ruthæ, Threnor. Eccleſiaſt. & Eſtheræ. *Hæc paraphraſis quinque libellorum, cujus Author planè ignotus eſt, in multis ferè eſt juſtus commentarius: aliquando loco trium aut quatuor vocum Hebraicarum viginti vel triginta voces Chaldaicas ſubſtituit. 2. Eſt conſcripta dialecto Hieroſolymitanâ, ſecundâ ſcil. dialecto, quâ Judæi Hieroſolymis, & in Judæa, fuerunt uſi. 3. In hac paraphraſi quædam fabulæ Talmudicæ inveniuntur: ex. gr.* Eſtheræ cap. 2. ℣. 9. *dicitur, quod Eſtheræ fuerint datæ ſeptem puellæ, quæ ipſi miniſtrarent. Hinc prima paraphraſis in ejus librum fingit, Eſtheram, cum inter gentiles habitaret, qui ſabbathum ſecundùm morem Judæorum non colebant, & propterea difficile eſſet dies ſeptimanæ & ſabbathum diſtinguere, habuiſſe ſeptem virgines, quas certis nominibus tanquam memorialibus inſignivissſet. Harum ſingulæ ſingulis diebus, prout ei nomen diei erat impoſitum, Eſtheræ inſerviebant, ut ſic, nominato nomine ancillæ, ſtatim diem hebdomadarum cognoſceret: e. gr. prima ancilla vocata fuit* חוּלְתָא prophana, *quia primo die ſeptimanæ (ſex enim dies vocantur* הולין prophani) *ipſi inſerviebat. Secunda ancilla vocabatur* רוּקְעִיתָא *à* רְקִיעַ expanſo, *quia expanſum ſecundo die creationis eſt creatum. Vide hanc fabulam plenius deſcriptam in ipſâ paraphraſi, & in Lexico Chal. & Syr. Buxtorf.* Rad. חלל *4. Invenitur adhuc aliud Targum in Eſtheram. Ita incipiens* והורה ביומי אחשורוש הוא אחשורוש חד מן עסר מלכין די מלכו ועתירן בעלמא ואילין אינון עסר מלכין מלכאתו קדמ ייתא דמלך מלכיא ײ׳ צבאות דבעגלא תתגדל מלכותיה עלן וכו׳. Et fuit in diebus Ahaſveri. Ille Ahaſverus fuit unus è decem regibus, qui regnabant, & divites erant in mundo. Et hi ſunt illi decem reges. Regnum primum eſt Regis Regum Domini exercituum, cujus regnum cito magnificabitur, &c. *Hæc poſterior paraphraſis eſt ferè duplo major priori, & ad minimum triplo major textu Hebraico; adeò, ut magis juſtus commentarius eſſe videatur, quàm verſio aliqua. A quo, & quando hæc paraphraſis ſit compoſita, ignoratur,*

Franciſcus Taylor Anglus Anno 1655. utriusq; in Eſtheram paraphraſeos Latinam translationem Londini in lucem emiſit.

XX. Targúm ſextum eſt illud in Pſalmos, Proverbia, & Jobum. *Hoc Targum vulgò vocatur* תרגום רב יוסי Targum Rab. Joſe. *Author hujus paraphraſeos vulgò conſtituitur Rab Joſe; qui dicitur cæcus, vel, ut alii volunt, luſcus fuiſſe. Sunt, qui hanc paraphraſin Jonathani adſcribunt, ſed contra Thalmudiſtarum ſententiam, qui ajunt, uti ſupra diximus, ipſum voluiſſe quidem Hagiographa transferre, ſed* per filiam vocis cohibitum *fuiſſe. Sunt nonnulli, qui putant, Authorem hujus paraphraſeos eſſe ignotum: ſic ait R. Azarias* in Meor. En. p. 148. *a.* תרגום כתובים הנמצא הוא מאיש לא ידענוהו Targum Hagiographorum præſens authorem habet nobis ignotum. *Utut ſit de Authore, hoc certum eſt, hanc paraphraſin non eſſe ſimilem cæteris paraphraſibus: eſt enim ſcripta ſtylo inæquabili; cui multæ voces Syriacæ, Græcæ & Latinæ immixtæ ſunt. Hinc eſt, quod hæc paraphraſis ita difficilis ſit, ut ne quidem ab ipſis Judæis, etiam doctiſſimis, qui cognitione harum linguarum deſtituuntur, rectè intelligi poſſit. Sic conqueritur Elias Levita, quod nonnullas voces, quæ Syriacæ erant, non intellexerit.* Quanquam autem paraphraſis quinque libellorum fabulis *Thalmudicis* ſit reſperſa, & ſuis etiam cæteræ non careant nævis, uſum tamen habent hunc, ut quandoque lucem affundant vocibus obſcurioribus, ſtabiliant in multis textus originarii authoritatem, & Meſſiæ axiomata contra modernos Judæos aſſerant.

XXI. Malè 1. *Pontificii* Translationum ſtudium, *tanquam novum & curioſum εὕρημα hæreticorum*, traducunt, & cum *Bellarmino lib. 3. de verbo* DEI *cap. 15.* ſcribere non verentur: *nullum antiquum authorem meminiſſe alterius alicujus translationis, exceptis Hebraicâ, Græcâ, & Latinâ*; contra neceſſitatem, cum *Gordono*: *usque ad tempora Auguſtini Biblia non extitiſſe præter Hebraica, Græca, Latina: imò Rabani Mauri tempore, qui vixit octingentis poſt* CHRISTUM *annis, nondum verſiones fuiſſe*, aſſerere audent: *Ulphilæ Gothorum Epiſcopi* verſionem, quia fuit *Arianus*, rejiciunt, cùm tamen illam adornarit, antequam ab *Eudoxio Epiſcopo Conſtantinopolitano* fuerat ſeductus; *Chryſoſtomi & Hieronymi* verſiones *Armenicas* & *Dalmaticas* elevant, quòd fuerint tantùm aliquarum partium Scripturæ, ut ſunt *Pſalmi, Epiſtolæ, Evangelia*;

cum

cum *Ludovico Temaſi* in *Iſagoge Scripturæ ſacræ*, *Martino Martineſco lib. 8. hypoth. cap. 6.* 2. Qui, ut legitur in *Waltbono*, paraphraſibus Chaldaicis nimiam antiquitatem tribuunt, & ad *Moſis* tempora referunt; vel ante *Onkeloſum* Scripturam Chaldaicè extitiſſe negant, contrarium docente *Rabi Azaria* in *Meor Emajim*, *Clemente Alexandrino*, *lib. 1. ſtromat.* & *Euſeb. lib. 13. præparationis Evangelicæ*. Ut & *Judæi*, qui Paraphraſes nimium extollunt, & 1. miracula, quæ contigerint Targumiſtis, recenſent. *ex. gr. Terra Iſraël per quadringentas leucas dicitur terræmotu tum temporis concuſſa.* 2. *Vox è cœlis dicitur audita, quæ ajebat,* Quis eſt ille, qui arcana mea filiis hominum revelavit? *Hæc in dicto loco Talmudico immediatè ſequuntur:* Et commota eſt Terra Iſraël quadringentis leucis, & ex intervallo quadringentarum leucarum exivit filia vocis, & dixit: quis eſt ille, qui revelavit arcana mea filiis hominum? Aſtitit Jonathan filius Uziëlis ſuper pedes ſuos, & dixit: ego ſum ille, qui manifeſtavi ſecreta tua filiis hominum. Apertum & notum eſt coram te, quòd non ad honorem meum fecerim, nec in honorem patris, ſed ad honorem tuum feci, ut non multiplicarentur diſceptationes in Iſrael. 3. *Ne Jonathan in hoc opere ullo modo impediretur, omnia impedimenta dicuntur fuiſſe remota; ſi fortè muſca, aliudve volatile, corpori vel chartæ hujus Jonathæ inſideret, illicò absq; ullâ læſione corporis vel chartæ volatile illud dicitur fuiſſe combuſtum. Hoc affirmat textus Talmudicus tractatu* bava bathra cap. 8. pag. 134. facie à cir[illegible] finem. אמרו עליו על יונתן בן עוזיאל בשעה שיושב ועוסק בתורה כל עוף שפורח עליו נשרף: Dicunt de illo Jonathâ filio Uzielis, quod horâ, quâ ſederit & ſtuduerit in lege, omnis avis, quæ volârit ſuper eum, combuſta fuerit. 4. *Ajunt, Angelos è cœlis deſcendiſſe ad audiendum, quando Jonathan paraphraſi formandæ intentus eſſet.* 5. *Denique, quum hic Jonathan in animum induxiſſet etiam Hagiographa transferre, divinitùs fuit prohibitus, ne omnia arcana manifeſtaret. Hoc dictus textus Talmudicus immediatè addit:* ועוד ביקש לגלות תרגום של כתובים יצתה בת קול ואמרה לו דייך מאי טעמא משום דאי ביה קץ משיח Et adhuc quæſivit revelare Targum Hagiographorum. Exivit filia vocis, & dixit ei: ſufficit tibi. Quâ ratione? Idcirco quod in eo finis Meſſiæ. Et inprimis 3. *Galatinus*, *Jacobus Epiſcopus Conſtantinopolitanus*, apud

pud *Sixtum Senenſem lib. 4. Veltuicus, Poſtellus*, & alii, qui *Jonathani* tribuunt paraphraſin in legem, *Polanus, Serarius*, ille in *commentario ad Daniel.* hic in *prolegomenis biblicis cap. 14. quæſt. 4.* qui *Onkeloſum* cum *Aquila* Græco confundunt. Videatur *Waltonius* prol. 12 ſect. 9. *Schickardus* in *Bechin.* p. 25. denique *Johannes Camero*, qui durius juſto, ut videtur, authorem paraphraſeos in hagiographa p. 348. oper. *ineptiſſimum & impudentiſſimum Scripturæ depravatorem* appellat.

Disputatio Vicesima Septima

De

KABBALA,

THESIS I.

Quemadmodum *Miſna* addita eſt legi à *Judæis*, tanquam commentarius, de quâ vide *Manaſſe Ben-Iſraël in Com. p. 109.* Ita fuit ſuperaddita *Kabbala*, quæ ſcientia occulta ex profundo, attendendo ad literas, voces, puncta, & accentus, explicans myſteria, dicta à קבל *accipere*, quaſi dicas: *doctrina, quam Moſes à Deo in monte Sinai accepit*; & ea eſt vel Practica, cujus beneficio *Judæi* miranda præſtare tentant: vel Theoretica, cujus beneficio ex literis tranſpoſitis, in numerum reſolutis, vel alio modo mutatis, aut ex vocibus, punctis, accentibusve muſicis, myſteria educuntur. Cujus quinque ſpecies enumerat *Schickardus in Bechin. Happ.*

II. Authores & Promotores tantæ artis fuerunt Judæi ſuperſtitioſi, quorum ſucceſſionem recenſet *Schickardus* ſequentibus: *Inveniuntur à Raf Aſche (retrò uſque) ad Moſen P. N. ſuper quem ſit Pax, Quadraginta generationes, quæ ſunt: Raf Aſche (accepit) à* רבא *Rabba, & is à* רבה *Rabbah, & is à Raf Honah, & is à Rabbi Jochanan atq; Raf Schemuel, & ii à Rabbinu Hakkadoſch, & is à Schieson Patre ſuo, & is à R. G. [fortè Gamaliel] Patre ſuo, & is à Rabban Schimon, Patre ſuo, & is à R. G. ſene patr. ſ. & is à Rabban Schimon Patre ſuo, & is ab Hillel. p. ſ. atque Schammai, & ii à Schamaja & Abtalion, & ii à Jehuda & Schimon, & ii à Jehoſua filio Perachiæ, atque Nithæo Arbelitâ, &*

ii à

ii à Joſe filio Joæſar atque Joſepho filio Jochannan, & ii ab Antigono, & is à Zephaniâ, & is à Chabakuk, & is à Nachum, & is à Joël, & is à Michâ, & is ab Eſaiâ, & is ab Amos, & is ab Hoſeâ, & is à Zachariâ, & is à Jehojada, & is ab Eliſa, & is ab Eliâ, & is ab Achia, & is a David, & is a Samuel, & is ab Eli, & is à Pinchas, & is à Joſuâ, & is à Moſe p. n. & is ex ore omnipotentis D e i.

III. Non una autem eſt Species illius. Prima *Kabbalæ Theoreticæ vocatur* גִּימַטְרִיָּא Gematria; *eſtq; vox origine Græca; dicitur enim græcè* γεωμετρία; *ſed hic in latiori ſignificatione ſumitur: nam hic denotat, & quidem præcipuè, Arithmeticam, ſecundariò etiam Geometriam, hoc eſt, dimenſiones ædificiorum ſacrorum, ut arcæ, tabernaculi, &c. Hæc igitur Kabbalæ ſpecies, quæ Geometria vocatur, duos habet modos. Prior modus eſt, quod diverſæ voces eundum numerum literis ſuis exprimunt, ut una per aliam explicetur. Fundamentum hujus ſpeciei eſt, quia literæ Hebraicæ in numeros reſolvi poſſunt, ideò alios ſenſus ex vocibus, in numeris cum aliis vocibus convenientibus, elicuerunt: ex. gr.* Geneſ. 1. ℣ſ. 1. *occurrit vox* בְּרֵאשִׁית, *ex quâ per Gematriam probant, quod* D e u s *mundum creaverit* in lege: *nam voces* בְּתוֹרָה יָצַר in lege formavit *eundem numerum exprimunt; ubiq; enim exprimitur numerus* 913. *Hinc Judæi per Kabbalam eliciunt, mundum* in lege *eſſe formatum. Hic modus etiam valet in pluribus vocibus conjunctis: ex. gr. ex vocibus* בְּרֵאשִׁית בָּרָא in principio creavit, *probant, mundum in principio anni, olim à Septembri incboati, eſſe creatum, quia in vocibus* בראש השנה נברא In principio anni creatus eſt, *idem numerus ubique exprimitur, ſcil.* 1116. *ergò ex* בראשית ברא in principio creavit, *probatur, mundum in principio anni, hoc eſt, in Septembri, eſſe creatum. Similiter per hanc ſpeciem quærunt rationes, ob quas Vetus T. incipiat à litera* ב Beth: *ajunt, quum* ב *in numero ſignificet duo, Moſen denotaſſe duplicem Legem, Scriptam ſc. & Oralem: vel Moſen reſpexiſſe ad duplicem mundum, ſc. ad* עוֹלָם הַזֶּה Mundum hunc, *in quo jam vivimus, &* עוֹלָם הַבָּא mundum futurum, *per quem denotatur tum mundus futurus temporibus futuri Judæorum Meſſiæ, tum etiam mundus poſt hanc vitam in cælo. Hæc ſpecies Kabbalæ etiam ad alias linguas emanavit:* Apocal. 13. ℣ſ. 18 *fit mentio beſtiæ, cujus numerus eſt* 666. *Irenæus vocem* λατεῖνος *huc applicavit, quia in hac Græcâ voce*

câ voce idem numerus exprimitur. Poſterior modus Gematriæ verſatur circa dimenſiones ſacrorum ædificiorum, ut arcæ, tabernaculi, altaris, templi &c. Sacra Scriptura perfectè recenſet quantitates plerarumq; fabricarum, ſc. earum longitudinem, altitudinem, & profunditatem: Sed S. Scriptura hoc non videtur fruſtra feciſſe: Ergò ſunt quædam rationes, ob quas ſacra illa ædificia ſunt tantæ, & non majoris, vel minoris quantitatis: rationes illarum quantitatum inquirere pertinet ad Kabbalam, ideoq; Kabbaliſtæ quantitates illas metiuntur, & numeros vel ſubtrahunt, vel multiplicant, vel etiam dividunt: exemplo res fiet clarior, Gen. *6. ℣ſ. 15. Arca Noachi dicitur 300. cubitos longa, 50. lata, & 30. alta fuiſſe: hinc quidam Kabbaliſta occultè Chriſtianizantes probant nomen* JESU: *Kabbaliſta primò longitudinem 300. dividit per altitudinem 30. & prodeunt decem, qui numerus deſignat* Jod, *huic* Jod *adjungatur longitudo 300. denotans* Schin, *tandem longitudo 300. dividatur per latitudinem 50. & emergunt,* ſex, *hoc eſt* Vau, *hæ tres literæ ſimul conjunctæ denotant* ישו JESU *nomen Meſſiæ noſtri: ſic enim ſolent Judæi in contemptum Chriſtianorum pro* ישוע *ſcribere* ישו JESU.

IV. Secunda *ſpecies Kabbalæ appellatur* נוֹטָרִיקוֹן Notarikon, *eſt*, *quando ex ſingulis vocabuli alicujus ſignificativi literis totidem aliæ dictiones formantur, e. g. vocis* מַכַּבִּי Macchabæi *ſingulæ literæ denotant integras voces,* מִי כָמוֹךָ בָּאֵלִים יְהוָה Quis ſicut tu inter DEOS ô JEHOVA? *Per hanc ſpeciem unum vocabulum etiam in duo dividitur: ex. gr. nomen* בראשית *in duo vocabula diviſum, ſc. in* ברא שית Creavit ſex, *denotat ſex dies creationis, vel ſex extrema mundi, ſc. ſummum, imum, & quatuor latera.*

V. Tertia *ſpecies nominatur* תְּמוּרָה Permutatio, *& fit, quando una Alphabeti litera ſumitur pro alia: ex. gr.* ת *pro* א, *&* א *pro* ת, *vel* ש *pro* ב, *& ſic deinceps. Judæi ſolent tali modo integros libros transferre. Cl. Hottingerus ait, ſe totum Pentateuchum ita translatum poſſidere. Menaſſe hanc ſpeciem probat ex* Jerem. 25 ℣ſ. 26. *Ubi Propheta, ne irritaret Regem Babel, eum vocavit* Regem שֵׁשַׁךְ *pro* בבל, *ſumendo literas* ש *pro* ב, *&* ך *pro* ל *per modum, qui vocatur* אתבש Athbaſch, *ſc. quando* ת *ſignificat* א, ש ב, ר *verò* ג, *& ſic deinceps.*

VI. Quarta *ſpecies Kabbalæ appellatur* צירוף Ziruph, *hoc eſt,* combinatio, *eſtque, quando ex alicujus vocis conſonantibus per Metatheſin*

theſin tranſpoſitis, aliterq; coagmentatis, nova dictio ſignificativa exurgit: ex. gr. Gen. 1. ꝟſ. 1. ex voce בראשית in principio Judei probant, mundum creatum eſſe primo die Septembris, quia ex hac voce Hebraicâ per Metatheſin formatur alia dictio, ſcil. א בתשרי, hoc eſt, primo Septembris ſc. mundus eſt creatus. Sic ex ישמח lætabitur ſit משיח Meſſias per Metatheſin. Græci & Latini hâc in parte Judæos nonnunquam ſunt ſequuti; ſic ex Julius formarunt Livius, ex Roma Maro, ex Corpus Porcus, quia eædem literæ continentur in his vocibus, quæ ita invicem transmutantur.

VII. Quinta ſpecies vocatur צוּרָה Zura, hoc eſt, forma aut figura: hæc ſpecies argumentatur ex figuris ſive formis characterum: per hanc ſpeciem quærunt, quare literæ א, ב, ג &c. talem habeant figuram, & non aliam. Omnium harum figurarum Kabbaliſtæ dant rationes. Sic quærunt, Quare Vetus Teſt. incipiat à ב, ſive à literâ, quæ talem habet figuram, & non aliam? Reſpondent, quia ב habet apicem ſupernè reſpicientem, ſi quis ergò quærat ex ב, quis te creavit? Reſpondebit, qui apice literæ ב denotatur, ſcil. Deus habitans in cælis. Menaſſe ex primâ illâ literâ ב aliud quid probat, ſcil. Deum, qui mundum creavit, eſſe unicum, & quidem tali modo: litera ב continet tres lineas, hoc eſt, tres literas Vau; hanc literam, ſi plenè ſcribas, ſcil. ואו Vau, valet in numero 13. ſi jam 13. quia in ב ſunt tres literæ Vau, triplicetur, exurgent 39. qui numerus etiam continetur in vocibus יהוה אחד; ergò ſecundum Menaſſe propterea Lex incipit à literâ ב habente tria Vau, quia Deus ſuam unitatem voluit indicare: ſed tædet, imò pudet tales nugas Judæorum referre; ex illis nihilominus Judæi ſua dogmata eliciunt, & confirmant.

VIII. Sexta ſpecies nuncupatur רָאשֵׁי תֵּיבוֹת וְסוֹפֵי תֵּיבוֹת Principia verborum, & fines verborum, vel nonnunquam etiam תוֹכֵי תֵּיבוֹת media verborum: hæc ſpecies elicit alias voces vel ex literis vocum initialibus, vel finalibus, vel nonnunquam etiam ex literis intermediis: ex. gr. Deuter. 30. ꝟſ. 12. dicitur מי יעלה לנו השמימה quis faciet aſcendere nos in cœlum: quatuor literæ initiales in his quatuor vocibus conſtituunt מילה circumciſionem: ſed quatuor literæ finales earundem vocum formant יהוה Jehovam: hæc verba ergò ex ſententia Judæorum continent & quæ

ſtionem & reſponſum: quæſtio eſt, quis nos evehet in cœlum? Reſpondetur kabbaliſticè per hanc ſpeciem, J E H O V A per circumciſionem. *Hæ literæ ſive initiales, ſive finales, vocem aliquam denotantes, à Kabbaliſtis ſolent notari accentu Sægolta, hoc eſt, tribus punctis tali modo* אֶ, *ut lectores certi eſſent, an ex initialibus, an verò ex finalibus literis aliæ voces formentur.*

IX. Septima *ſpecies Kabbalæ Theoreticæ eſt* חָסֵר וּמָלֵא defectivum & plenum. *In textu Hebraico ſæpiſſimè voces ſcribuntur defectivè ſine* Vau, *vel* Jod, *quæ literæ ſecundum regulas generales in illis vocibus regulariter requiruntur: ſed in quibusdam locis illæ literæ deſunt, quum in aliis omnibus locis adſint: horum omnium rationes expiſcantur Kabbaliſtæ, ſcil. quare uno loco vox ſcribatur plenè cum litera* Vau *vel* Jod; *in alio verò loco illud* Jod, *vel* Vau, *omittatur. Sic* אֱלֹהֵי D E U S *in Regimine ſemper defectivè, hoc eſt, ſine* Vau *ſcribitur; ſed excipitur unus locus, annotatus à Maſorethis, ubi* אֱלוֹהֵי *in Regimine ſcribitur plenè cum literâ* Vau, *ſcil.* Pſalm. 18. ℣ſ. 47. *Præterea eadem vox cum affixis ſemper etiam defectivè ſcribitur, exceptis duobus locis, ſcil.* Pſalm. 143. ℣ſ. 10. & 145. ℣ſ. 1. *in quibus* Vau *additur.*

X. Octava *ſpecies appellatur* כתומות וּפְתוּחוֹת clauſæ & apertæ. *Hæc ſpecies conſiderat literas* פ *&* ס *paſſim in Pentateucho occurrentes;* פ *eſt prima litera vocis* פְּתוּחָה aperta, *&* ס *vocis* סְתוּמָה clauſa. *Kabbaliſtæ inquirunt, & dant rationes, ob quas in quibusdam locis Pentateuchi occurrat* פ *vel* ס. *Literæ illæ* פ *&* ס *non ſunt ab ipſis Authoribus librorum; ſed à poſterioribus quibusdam Judæis: ergò myſteria, quæ eliciuntur, non ſunt intenta à ſacris Scriptoribus, ſed tantum à curioſis quibusdam Judæis. Similiter totus Pentateuchus dividitur in 54. ſectiones majores, quæ ſingulæ tribus literis* פ *vel* ס *diſtinguuntur, exceptâ ultimâ ſectione Geneſeos, quæ incipit* cap. 47. ℣ſ. 28. *ad hæc verba* וַיְחִי יַעֲקֹב & vixit Jacob. *Hæc ſola ſectio major diſtinguitur unicâ literâ* ס, *hujus rei cauſam inveſtigarunt Kabbaliſtæ per hanc ſpeciem Kabbalæ. Ad hanc ſpeciem etiam pertinent hiatus ſive ſpatia vacua, quæ in medio 28. verſuum inveniuntur: ſenſus S. Scripturæ aliquando videtur eſſe hiulcus & mancus in medio verſu: Maſorethæ enumerarunt illa loca, & Kabbaliſtæ rationes perſcrutati*

ſcrutati ſunt, quare hęc ita ſeſe haberent: ex. gr. Genes. 4 ℣ſ. 8. *relinquitur ſpatium in medio verſu, in quo ſcribitur circulus, qui denotat ibi verba quędam eſſe ſubintelligenda, Kabbaliſta hujus rei rationem dat. Huc etiam pertinet, quod* Jeſ. 9. ℣ſ. 7. occurrat ם *finale in mediâ voce* לםרבה, & Nehem. 2. ℣ſ. 13 מ *intermedium in fine vocis* המ.

XI. Nona *ſpecies comprehendit* קְרִי וְלֹא כְתִיב ׃כְתִיב וְלֹא קְרִי, *hoc eſt*, legitur nec ſcriptum eſt, ſcriptum eſt nec legitur. *Ut hæc Kabbalæ ſpecies clarius intelligatur, ſciendum eſt in textu Hebræo nonnunquam vocales occurrere ſine conſonantibus, & è contra conſonantes ſine vocalibus. Rabbini puncta ſine conſonantibus vocant* קרי ולא כתיב legitur & non ſcribitur, *hoc eſt, eo in loco, ubi vocales ſunt expreſſæ, legitur vox, quæ tamen in textu non eſt ſcripta: ex. gr.* Judic. 20. ℣ſ. 13. *occurrunt* Scheva & Tzere, *quæ denotant ex judicio Maſoretharum* בני filii. *E contra, conſonantes vocalibus deſtitutas vocant* כתיב ולא קרי ſcriptum eſt, nec legitur, *hoc eſt, vox illa, etiamſi in textu occurrat, non tamen legitur, quia caret vocalibus: ex. gr.* Jerem. 51. ℣ſ. 3. occurrit *verbum* ידרך *ſine vocalibus, quod in legendo omittendum eſſe judicarunt Maſorethæ.*

XII. Decima *ſpecies Kabbalæ continet* אוֹתִיוֹת קְטַנּוֹת וּגְדוֹלוֹת literas parvas & magnas. *In Veteri Teſt. Hebraico occurrunt 33. literæ cæteris multo minores, & circiter 30. cæteris multo majores: ex. gr.* Genes. 2. ℣ſ. 4. *in voce* בהבראם *literæ* ה *eſt multo minor, quam aliis in locis: è contra* Deuter. 32. ℣ſ. 6. *eadem litera in voce* הליהוה *eſt multo major; ſic totum Alphabetum literarum minuſcularum & majuſcularum invenitur in Veteri Teſt. Kabbaliſtarum officium eſt inquirere rationes, quare literæ quædam Alphabeti in uno loco minori vel majori formâ deſcribantur, quàm aliis in locis. Huc etiam pertinent quatuor literæ ſuſpenſæ, & novem inverſæ, ex. gr.* Pſalm. 18. ℣ſ. 40. *in voce* מיער *litera* ע *eſt ſuſpenſa ſupra alias literas: &* Numer. 10. ℣ſ. 35. *in verbo* בנסע *litera* Nun *eſt inverſa.*

XIII. Undecima *ſpecies vocatur* חִלּוּף variatio, *eſtque, quando una litera ſcribitur pro alia: ex. gr.* Deuter. 21. ℣ſ. 7. *eſt*

verbum שָׁפְכָה effuderunt, *quod in fine habet He loco Vau: ſimiliter* Gen. 13 ℣ſ. 2. *eſt nomen* אהלה tentorium ejus, *juxta regulas Grammaticæ ſcribendum eſſet* אהלו *cum Vau: horum rationes inquirunt Kabbaliſtæ.*

XIV. Duodecima *ſpecies conſiderat* נְקוּדוֹת puncta, *eſtq; quando myſteria quæruntur ex punctis. Quum vox aliqua irregulariter punctata eſt, ejus irregularis punctationis rationes inquirit Kabbaliſta, ſic ex. gr.* JEHOVA *communiter ſcribitur cum Scheva in principio, & Kametz in fine, ſed in quamplurimis locis aliter ſcribitur, ſc. cum Chateph Sægol in principio, & Chirek in fine, hoc modo* יֱהוִה. *Hæc irregularis punctatio cadit ſub cenſuram Kabbaliſtarum. Ad hanc ſpeciem etiam pertinent quindecim voces ſuperne variis punctis punctatæ, quæ puncta nec vocales, nec accentus ſunt: ſic* Genes. 16. ℣ſ. 5. & 18. ℣ſ. 9. & 33. ℣ſ. 4. *ut* & Deuter. 29. ℣ſ. 29. *aliisque in locis quædam puncta vocibus ſuperne imponuntur.*

XV. Decima Tertia *ſpecies continet* טעמים accentus, *ſcil. irregulares, quales aliis in locis regulariter non inveniuntur. Nonnulli accentus in linguâ Hebræâ diſtinguunt ſententias, ſed quibusdam in locis illi non diſtinguunt: ergò à Kabbaliſtis excogitanda eſt ratio, quare accentus illi uno in loco diſtinguant, & non ita alio in loco: ex. gr.* Geneſ. 1. ℣ſ. 1 *accentus Athnach denotans Colon non diſtinguit, cum alias ſolet diſtinguere. Similiter* Numer. 27. ℣ſ. 3. *filiæ Zelophad dixerunt* אבינו מת במדבר pater noſter mortuus eſt in deſerto, *vox* אבינו *habet accentum Zarka, qui ſolet diſtinguere à ſequentibus; ſed hoc in loco nullam efficit diſtinctionem: rationes hujus irregularitatis inveſtigant Kabbaliſtæ. Præterea ſingulæ voces Hebraicæ per tota Biblia tantum unico accentu tonico notantur; ſed excipitur Decalogus, in quo quamplurimæ dictiones duobus accentibus tonicis notatæ ſunt. Kabbaliſtæ rationes hujus multiplicationis accentuum in decalogo inveſtigarunt. Sed rationes, quas de multis dant, riſu, imò cachinno exſibilandæ ſunt. In his tredecim ſpeciebus tota ſcientia Kabbalæ conſiſtit, & qui talia ficta myſteria excogitare novit, ille magni fit apud Judæos, & pro docto ac ſubtili viro habetur, & quo quis plures ſimiles nugas expiſcari poteſt, eo doctior etiam æſtimatur.* Finis eſt illius, ut

quandoque ex illâ pugnemus contra *Judæos*, ut ex. gr. Geneſ. 49. ℣. 10. שילה per *Gemaram* deſignat Meſſiam.

XVI. Proſtituunt ſe, qui relicto nucleo ex *Philologorum* ordine *Kabbalæ* nimium indulgent 2. Qui cum *Henrico Moro* Anglo *Cabbalam* quandam *Philoſophicam* confingunt. 3. Qui cum *Juniore Helmontio Alphabethum naturale* commendant, &, *Scripturam Hebræorum ſanctiſſimam in ſe nihil aliud eſſe, quàm variorum humanæ linguæ motuum artificioſam repræſentationem, inque hoc ipſo proprie loquendo ejus naturam conſiſtere, nec in alio quoquam conſiſtere poſſe*, ſimplicioribus perſuadere nituntur.

XVII. Impii ſunt 1. omnes illi, qui *Kabbalâ Practicâ* utuntur, quæ nihil aliud, quàm pars Magiæ Diabolicæ. 2. Falſi ſunt, qui *Kabbalæ* originem referunt vel in *Moſen*, qui acceperit illam in monte Sinai, vel *Salomoni* illam tribuunt, vel ad *Eſdram* recurrunt. 3. Superſtitioſi ſunt illi, qui ex *Kabbala* quæſiverunt *unionem animæ contemplatricis cum* DEO *Creatore*, & *familiarem converſationem cum ejus domeſticis, hoc eſt, bonis Angelis*, per quam futura prædicere, & miraculoſos effectus præſtare ſe poſſe confidunt, quorſum collimavit *Reuchlinus in libro de Verbo mirifico*.

DISPUTATIO VIGESIMA OCTAVA

De

AUTHENTICA DIGNITATE SCRIPTURÆ,

THESIS I.

NOn tantùm aſſerimus puritatem Codici Hebræo & Græco utriusque Teſtamenti, ſed & Authenticam Dignitatem, quâ cenſetur eſſe originarius, præſtat omnibus Verſionibus, illas ad ſe revocat, ita ut omnis, quocunque nomine veniat, ſit examinanda ad hanc normam, ad hunc fontem, ad hoc exemplar; quam demonſtramus 1. ex eo, quia Hebræa ut & Græca N. T. editio à DEO immediatè Prophetis & Apoſtolis eſt inſpirata. 2. Quia in omni genere literarum ad originalia ſolemus re-

currere; Interpretes Ariſtotelis ad textum Græcum, qui primigenius: Medici ad illum, in quo Hippocrates Cous ſuos edidit aphoriſmos, & ſic conſequenter. 3. Quia non alia ante CHRISTUM natum, quàm Hebræa V. T. nec poſt Chriſtum natum alia, quàm itidem Hebræa & Græca N. T. editio per años ſexcentos authentica fuit in Eccleſiâ DEI. Unde *Auguſtinus tom. 3. lib. 2. de doctr. Chriſtian. cap. 11. contra ignota ſigna propria, magnum remedium linguarum cognitio. Et Latinæ quidem linguæ homines, quos nunc inſtituendos ſuſcepimus, & duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem habent opus, Hebraicâ ſc. & Græcâ, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas.* Adde *Hieronymum in epiſtolâ ad Luciam Fretellam:* imò ipſum *Gratianum* in jure *Canonico diſtinct. 9. ex Auguſtino* ſcribentem: *ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt, ita Novorum Græci ſermonis normam deſiderat.*

II. Errant itaque 1. *Judæi*, qui *Thargumim* inter authentica referunt. 2. *Pontificii*, qui verſionem LXX. Interpretum nimium extollunt. Quibus aliquatenus accedit *Socinus*. 3. Iidem *Pontificii*, qui vulgatam verſionem Latinam V. & N. T. authenticam eſſe aſſerunt, & *ſeſſione 4. c. 2.* ita definiunt: *ut vetus & vulgata verſio in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus aut expoſitionibus pro authenticâ habeatur, quam nemo quovis prætextu rejicere audeat vel præſumat.* Diſplicuit hæc ſententia, in ipſo *Concilio Tridentino, Moiſio Cataneo, Iſidoro Clario Brixiano, Abbati Benedictino, Andreæ Vegæ,* qui peculiarem Orationem ea de re habuit. Unde etiam quidam ex Pontificiis alienum ſenſum affinxerunt decreto, quaſi Concilium declaraverit vulgatam verſionem authenticam, *quatenus, cùm nullum contineat errorem in dogmatibus fidei vel morum, fidem in judiciis facere, & certam, atq; publicam authoritatem habere poſſit.* Quam tamen declarationem *detorſionem decreti Tridentini Dominicus Bannes* dixit: aliudque ipſa verba oſtendunt, & improbatio ſententiæ, quam *Vega* tenuit.

III. Nec præterire poſſumus 1. illos, qui circa partes Scripturæ hallucinantur, & 1. ſtatuunt cum *Bellarmino, Waltono*, & quibusdam modernis, *Evangelium Matthæi originale non in linguâ Græcâ eſſe conceptum, ſed Hebraicè ſcriptum & editum*, turpiter

confun-

confundentes, ut videtur, Evangelium Matthæi, quod *Nazareni* jactabant, cum genuino; de quibus *Epiphanius hæreſ. 29.* 2. Qui cum *Adriano Fino* & *Petro Antonio Beuthero*, nec non *Cornelio à Lapide*, volunt, *Marcum Evangelium ſuum Romæ Latinè conſcripſiſſe, & Aquilejæ in Græcum transtuliſſe, imò originale adhucdum Venetiis aſſervari*, aſſerunt, quod etiam *Genebrardus* & *Baronius* profitentur, qui hoc ipſo Pontificem accuſant vel negligentiæ vel invidiæ, quod illud exemplar non publicet, & cum Eccleſiâ communicet. 3. Qui vel ſecuti *Alphonſum Salmeronem*, *Epiſtolam Pauli ad Romanos eſſe Latinè ſcriptam*, aſſerunt, quod reliqui Pontificii ipſi improbant: *vel Epiſtolam ad Hebræos*, audacter, ad mentem *Sixti Senenſis*, *Hebraicè eſſe exaratam*, docent, *& poſtea converſam in Græcam*; cùm tamen rariores Hebraiſmi in illâ occurrant, nec obſcurè pateat, authorem illius magis LXX. Interpretes in allegatione fuiſſe ſecutum, quàm textum Hebræum V. T.

IV. Jure ſub cenſuram vocamus *Iſaacum Peyrerium*, qui in *ſyſtemate* ſuo prophano ſcripſit: *quis aſſerere audeat divinorum Authorum αὐτόγραφα ipſa, perplexè quamvis & ænigmaticè ſcripta, ad nos eadem transmiſſa, qualia dictante* DEO *ipſo voluminibus ſacris commiſſa ſunt?* non attendens, quòd per αὐτόγραφα intelligantur non tantùm illa ſcripta & exemplaria, quæ authores aut ipſi ſuâ manu exararunt, aut aliis dictarunt, & ſubſcriptione ſuâ obſignarunt; ſed etiam illa, quæ Verbum & ſenſum, quem Spiritus S. dictavit Viris θεοπνεύστοις, comprehendunt, quæ aliàs authentica dicuntur in oppoſitione ad apographa, & verſiones ex Originalibus exemplaribus, Hebræis ſc. & Græcis, adornatas.

DISPU-

DISPUTATIO VIGESIMA NONA

De

VERSIONIBUS SCRIPTURÆ,

THESIS I.

QUanquam autem illâ prærogativâ gaudeat textus originalis, non tamen illorum labor improbandus, qui in alias linguas tranſtulerunt, quæ DEUS in Græcâ & Hebrææ linguâ primùm publicari voluit, quod patet 1. quia *DEUS vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire* 1. Timoth. 2. Cui divinæ intentioni maximè ſubſervit verſionum in variis lingnis apparatus & copia, unde etiam DEUS Hebræis in linguâ Hebrææ ſcribi, Græcâ autem libros N. T. quia illa familiaris quàm plurimis, exarari voluit. 2. Quia populus ignarus eſt illarum linguarum, in quibus primitus Scriptura prodita, cui aliter non conſulitur, quàm translationibus in linguas alias. 3. Quia *Chryſoſtomus* N. Teſtamentum, teſte *Sixto Senenſi*, & Pſalmos in linguam *Armenicam*, *Hieronymus* utrumque Teſtamentum in *Dalmaticam*, *Ulphilas Gothorum Epiſcopus* in Gothicam tranſtulit, & Græca Eccleſia temporibus *Chryſoſtomi* divinos libros in vulgari linguâ legit. vide *Adamum â Conzen in quæſt. proœmial. ad Evang. q. 5. §. 10.*

II. Recenſentur à *Philologis* inter præcipuas Verſio *Syriaca* utriusque Teſtamenti, quanquam de V. T. parte dubium ſit, quod tamen videtur tollere Bibliothecarum *Ambroſianæ* & *Erpenianæ* opulentia. *Arabica*, quarum una tribuitur *Rabbi Saadiæ*, altera Arabibus Chriſtianis, cujus exemplar habetur in Bibliothecâ *Franciſci Swari de Breves*, *Legati Gallici ad Portam Ottomannicam*. Verſio *Perſica* V. T. cujus Pentateuchus Jacobi Tavaſii operâ litteris Hebraicis Conſtantinopoli Anno 1551. prodiit. Pſalmi quoque *Perſice* in Mſc. hucusque in Anglia deliteſcentes, qui quamprimùm publicè impreſſi prodibunt. E Nov. Teſt. Quatuor Evangelia *Perſice* occurrunt, nec non Epiſtola ad Romanos, atque Apocalypſis, ſed tantum in Mſc. Verſio *Æthiopica* V. T. particulatim fragmenta è

Libro

Libro Numerorum: Pſalterium operâ Joannis Potken Præpos. Ecclesiæ S. Georgii Colon. Romæ Anno 1513. impreſſum. Canticum Canticorum Pſalterio jam dicto adnexum. Novum Teſtamentum Romæ ſub Paulo III. Pontifice M. Anno 1548. editum, Typographo Valerio Dorico, impenſis Petri Comos Æthiopis, & Angeli de Oldradis ejus operarii, cujus laboris ſocii fuerunt Petrus Teſta Zeon Malezo filius Tecla Haimanot de Monte Libano, in Monaſterio S. Stephani, quod in Vaticano poſitum Æthiopum eſt, & Petrus Paulus Gualterius Aretinus, & Marianus Victorius Reatinus. *Armenica*, cujus Pſalterium Romæ excuſum, Novum Teſtamentum manuſcriptum ex *Alepo* in *Belgium* deportatum, integra autem Biblia V. T. manuſcripta *Romæ* aſſervantur. *Samaritana*, de quâ videndus *Morinus*; *Græcanicæ*, *LXX. Interpretum*, *Aquilæ Sinopenſis Pontici*, *Symmachi*, *Theodotionis* editio, inventa ſub *Antonio Caracallâ Severi Filio*, incluſa dolio in urbe Jericho; editio *anonymi* inventa *Nicopoli* apud *Actium* in doliis; opus *Origenis*, quod primùm *tetrapla*, poſtea *hexapla*, tandem *octapla* appellavit; editio *vulgata Latina*, *Santis Pagnini*, *Ariæ Montani*, *Iſidori*, *Clarii Brixiani*: ex noſtris *B. Lucæ Oſiandri* Proavi, *Sebaſtiani Münſteri*, *Tigurina Leonis Judæ*, *Bibliandri*, *Pellicani*, *Cholini*, & *Rudolphi Gualtheri*, præterea *Roberti Stephani*, *Franciſci Vatabli*, *Sebaſtiani Caſtellionis*, *Immanuelis Tremellii*, & *Franciſci Junii*, *Piſcatoris*. Novi Teſtamenti vero *Eraſmi* & *Bezæ*; *Gallica* Vetus *Genevenſis Petri Roberti Olivetani Noviodunenſis Picardi* divulgata, ſumptibusque *Waldenſium* impreſſa Anno 1535. nova à Paſtoribus *Genevenſibus* adornata, aliquoties interpolata & tandem operoſè limata. *Hiſpanica*, quam *Caſſiodorus de Reyno* Anno 1569. publicavit, *Cyprianus Valera* recognitam *Amſtelodami* Anno 1602. denuo inprimi & vendi curavit. *Anglica vetus* ſub *Henrico octavo*, multis in locis vitioſa, quam inſecuta fuit alia ab *Exulantibus* confecta, cum *Maria* ſæviret in Reformatos, & anno 1560. divulgata: quam iterum excepit illa *Parkeri Archiepiſcopi Cantuarenſis*, quæ dicta *the Bishops Bible*, quam tamen *Jacobus* rejecit cum priore *Exulantium Genevæ*, & novam procuravit. *Belgica vetuſtior*, è *Lutheri* Verſione ὑπομνίασμα, Anno 1527. vulgata: altera nova, de qua paulo poſt: tertia *Lutheranorum*, ad quam multum contuliſſe *Adolphus Viſcherus* refertur. Germanica editio, ante tempora *Lutheri*, *Auguſtæ* anno 1447. *Noribergæ* anno 1447. *Lubecæ* anno 1494. & iterum *Augu-*

DISPUTATIO VIGESIMA NONA

De

VERSIONIBUS SCRIPTURÆ,

THESIS I.

QUanquam autem illâ prærogativâ gaudeat textus originalis, non tamen illorum labor improbandus, qui in alias linguas tranſtulerunt, quæ DEUS in Græcâ & Hebræâ linguâ primùm publicari voluit, quod patet 1. quia DEUS *vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire* 1. Timoth. 2. Cui divinæ intentioni maximè ſubſervit verſionum in variis linguis apparatus & copia, unde etiam DEUS Hebræis in linguâ Hebræâ ſcribi, Græcâ autem libros N. T. quia illa familiaris quàm plurimis, exarari voluit. 2. Quia populus ignarus eſt illarum linguarum, in quibus primitus Scriptura prodita, cui aliter non conſulitur, quàm translationibus in linguas alias. 3. Quia *Chryſoſtomus* N. Teſtamentum, teſte *Sixto Senenſi*, & Pſalmos in linguam *Armenicam*, *Hieronymus* utrumque Teſtamentum in *Dalmaticam*, *Ulphilas Gothorum Epiſcopus* in *Gothicam* tranſtulit, & Græca Eccleſia temporibus *Chryſoſtomi* divinos libros in vulgari linguâ legit. vide *Adamum à Conzen in quæſt. procemial. ad Evang. q. 5. §. 10.*

II. Recenſentur à *Philologis* inter præcipuas Verſio *Syriaca* utriusque Teſtamenti, quanquam de V. T. parte dubium ſit, quod tamen videtur tollere Bibliothecarum *Ambroſianæ* & *Erpenianæ* opulentia. *Arabica*, quarum una tribuitur *Rabbi Saadiæ*, altera Arabibus Chriſtianis, cujus exemplar habetur in Bibliothecâ *Franciſci Swari de Breves, Legati Gallici ad Portam Ottomannicam*. Verſio *Perſica* V. T. cujus Pentateuchus Jacobi Tavaſii operâ litteris Hebraicis Conſtantinopoli Anno 1551. prodiit. Pſalmi quoque *Perſice* in Mſc. hucusque in Anglia deliteſcentes, qui quamprimùm publicè impreſſi prodibunt. E Nov. Teſt. Quatuor Evangelia *Perſicè* occurrunt, nec non Epiſtola ad Romanos, atque Apocalypſis, ſed tantum in Mſc. Verſio *Æthiopica* V. T. particulatim fragmenta è

Libro

Libro Numerorum: Pſalterium operâ Joannis Potken Præpos. Eccleſiæ S. Georgii Colon. Romæ Anno 1513. impreſſum. Canticum Canticorum Pſalterio jam dicto adnexum. Novum Teſtamentum Romæ ſub Paulo III. Pontifice M. Anno 1548. editum, Typographo Valerio Dorico, impenſis Petri Comos Æthiopis, & Angeli de Oldradis ejus operarii, cujus laboris ſocii fuerunt Petrus Teſta Zeon Malezo filius Tecla Haimanot de Monte Libano, in Monaſterio S. Stephani, quod in Vaticano poſitum Æthiopum eſt, & Petrus Paulus Gualterius Aretinus, & Marianus Victorius Reatinus. *Armenica*, cujus Pſalterium Romæ excuſum, Novum Teſtamentum manuſcriptum ex *Alepo* in *Belgium* deportatum, integra autem Biblia V. T. manuſcripta *Romæ* aſſervantur. *Samaritana*, de quâ videndus *Morinus*; *Græcanica*, *LXX. Interpretum*, *Aquilæ Sinopenſis Pontici*, *Symmachi*, *Theodotionis* editio, inventa ſub *Antonio Caracallâ Severi Filio*, incluſa dolio in urbe Jericho; editio *anonymi* inventa *Nicopoli* apud *Actium* in doliis; opus *Origenis*, quod primùm *tetrapla*, poſtea *hexapla*, tandem *octapla* appellavit; editio *vulgata Latina*, *Santis Pagnini*, *Ariæ Montani*, *Iſidori*, *Clarii Brixiani*: ex noſtris *B. Lucæ Oſiandri* Proavi, *Sebaſtiani Münſteri*, *Tigurina Leonis Judæ*, *Bibliandri*, *Pellicani*, *Cholini*, & *Rudolphi Gualtheri*, præterea *Roberti Stephani*, *Franciſci Vatabli*, *Sebaſtiani Caſtellionis*, *Immanuelis Tremellii*, & *Franciſci Junii*, *Piſcatoris*. Novi Teſtamenti vero *Eraſmi* & *Bezæ*; *Gallica* Vetus *Genevenſis Petri Roberti Olivetani Noviodunenſis Picardi* divulgata, ſumptibusque *Waldenſium* impreſſa Anno 1535. nova à Paſtoribus *Genevenſibus* adornata, aliquoties interpolata & tandem operoſè limata. *Hiſpanica*, quam *Caſſiodorus de Reyno* Anno 1569. publicavit, *Cyprianus Valera* recognitam *Amſtelodami* Anno 1602. denuo inprimi & vendi curavit. *Anglica vetus* ſub *Henrico octavo*, multis in locis vitioſa, quam inſecuta fuit alia ab *Exulantibus* confecta, cum *Maria* ſæviret in Reformatos, & anno 1560. divulgata: quam iterum excepit illa *Parkeri Archiepiſcopi Cantuarenſis*, quæ dicta *the Bishops Bible*, quam tamen *Jacobus* rejecit cum priore *Exulantium Genevæ*, & novam procuravit. *Belgica vetuſtior*, è *Lutheri* Verſione ὑπομνήματα, Anno 1527. vulgata: altera nova, de qua paulo poſt: tertia *Lutheranorum*, ad quam multum contuliſſe *Adolphus Viſcherus* refertur. Germanica editio, ante tempora *Lutheri*, *Auguſtæ* anno 1447. *Noribergæ* anno 1447. *Lubecæ* anno 1494. & iterum *Augu-*

ſtæ anno 1418. Verſio B. *Lutheri*, quæ tamen in quibusdam libris aliter atque aliter prodiit: *Joannis Dietenbergeri*, *Caſpari Ulenbergeri*, nova *Electoris Moguntini*.

III. Inſignes Editiones cenſentur: *Complutenſis altera operâ & impenſis Franciſc. Ximenii archiepiſcop. Toletani: altera Antverpienſis ſeu* REGIA, *ſumtibus Philippi II. Hiſpaniarum R. edita: illa Hebraicam, Græcam LXX. Vulg. Latinam & Chaldaicam, at ſolius Onkeloſi in Pentateuchum, editiones complectitur: hæc inſuper Chaldaicam totam, cum aliis duabus* Latinis *è Græco ſcil. LXX. & Chaldaica. Nov. verò Teſt. Græcam, Syriacam & Latinam.* Subjungimus *opus Anglicanum*, quod VI. conſtat tomis, quorum *primus exhibet apparatum chronologiæ, tractatuum variorum de nummis, ponderibus, menſuris, idiotiſmis, deſcriptionem terræ Sanctæ è Villalpando, & prolegomena quædam Bibliorum: tomi ſequentes quatuor, textum Hebræum, V. & Græcum Nov. Teſtam. cum interlineari verſione, Pentateuchum Samaritanum, verſionem Samaritanam, & utriusq; translationem Latinam, verſionem LXX. Interpretum è codice manuſcripto Vaticano, cum collatione codicis manuſcripti Alexandrini, veterem Vulgatam Latinam, ex LXX. Interpretibus expreſſam: Vulgatam Sixtinam & Clementinam, Chaldaicas paraphraſes, Targum Pentateuchi Hieroſolymitanum, & Jonathanis, cum Latinâ interpretatione, Pſalterium, Canticum Canticorum, & N. T. Æthiopicum cum interpretatione Latinâ, Evangelia Perſica, adjunctâ verſione Latinâ, Syriacam verſionem ex variis manuſcriptis, deniq; Arabicam translationem. In ultimo tomo continentur annotationes & collationes variorum exemplarium antiquorum Hebræorum, Græcorum, Latinorum, Samaritanorum, Chaldæorum, Syrorum, Arabicorum, Ægyptiorum, & Perſicorum.* quod tamen opus, num, ut gaudet apparatu ſplendido, eâdem utilitate ſe commendet, & omne, quod micare videtur, in illo aurum ſit, meritò dubitatur, præprimis, ſi attendamus ad illa, quæ homogenea *Morinianis*, *Grotianis*, & *Capellanis*.

IV. Non tantum non audiendi hîc, *Beza*, qui in cap. 22. Matth. num. 28. ſcribit: *DEUS certè durè dictus fuerit duo condidiſſe Teſtamenta, quæ rata fuerint, quum morte demum Teſtatoris teſtamentum obtineat, his autem non ſit Chriſtus mortuus: Vetus autem fœdus valuerit usq; ad Chriſti mortem: ac proinde Teſtamentum dici propriè nequeat, ac ne donatio quidem mortis causâ*; ut & *Rivetus*, qui concludit:

dit: *unum Teſtamentum ratione principalium & eſſentialium bonorum:* Sed & malè agunt *Pontificii*, qui cum *Alphonſo à Caſtro lib. 1. adverſus hæreſes cap. 13.* dicunt, *hinc eſſe originem hæreſeωr*, laudant *Hiſpaniæ Reges, quòd nihil inde, niſi pietatis interitus, religionis exitium, fideiq́; periculum ſperari poſſit:* cum *Grezero*, *verſiones vernaculas mereri maleficii potius, quàm beneficii titulum.* 2. Qui in verſionibus concinnandis non fideliter verſantur, &, ut *Beza*, vocabulum πᾶν, *omnis*, exponunt pro *quivis*. Vide loca Actor. 2. Rom. 10. ℣ſ. 4. 1. Timoth. 2. ℣ſ. 1. vel inſerunt, ut *Calvinus*, particulam *Nobiscum* 1. Corinth. 10. ℣ſ. 3. vocem ἐτέθησαν vertunt per *conditi ſunt*, 1. Petr. 2. ℣ſ. 8. 3. Qui nimium in verſionibus luxuriant, vel etiam cum *Caſtellione* ſingularem Latinitatem affectant.

V. Non etiam adſtipulamur 1. *Ariæ Montano*, qui putavit, *Syriacam verſionem V. T. non ex Hebraicâ & primævâ linguâ, ſed ex Græcâ, ab Origene permixtâ, ad Syros eſſe derivatam.* Duplex eſt enim verſio *Syriaca*, antiqua, quâ Syri utuntur, quæ ex Hebræo textu adornata, & recentior, cujus meminit *Arias*, prout docent *Uſſerius Epiſcopus Armachanus*, & *Gregorius Abulfaraius.* 2. Illis, qui cum *Gabriele Sionitâ præfat. in Pſalterium*, ex traditione, *coævam Salomoni eſſe*, aſſerunt, cùm ipſimet *Syri* quidam *Abgari* in tempora referant; vel, qui cum *Guilielmo Poſtello*, verſionem *Syriacam* N. T. ad *Marcum*, vel cum *Cornelio Bertramo*, *Ttoſtio*, *Geſnero*, *Waltono*, ad *Apoſtolicos Viros* referunt. Quanquam hæc poſterior ſententia præferenda priori, ſi traditioni *Maronitarum* fidendum: vel qui demum ad tempora *Caroli Magni* illius incunabula, & ad tempora poſteriora cum *Franciſco Junio* referunt. 3. Illis, qui nimis faciunt magni illas verſiones *Syras*, ut *Elias* refert, *quòd Papa advocaverit tres viros Chaldæos, ut ex libris eorum codicem Evangelii Latinâ linguâ ſcriptum caſtigarent.*

VI. Aſſenſum quoque cohibemus 1. circa quorundam ſententiam, qui, *ante Muhamedem verſiones Arabicas extitiſſe*, volunt, quò quidem vergunt illa *Hugonis Grotii de veritate relig. Chriſtian. lib. 6.* ſcribentis: *Scripturas poſt Muhammedis adventum planè non potuiſſe corrumpi, quod eo jam tempore extarent toto orbe plurima, non Græca tantùm, ſed Syriaca, Arabica* &c. *Exemplaria.* 2. circa *Perſicam* verſionem, an ſimpliciter ex *Syriacis* derivata ſit rivulis? 3. circa *Æthiopicam*, an demum ante tria ſecula fuerit

adornata? & num *Scaliger* novitatem rectè probet, quod ſerius *Auxinitæ* tempore *Juſtiniani* nomen Chriſto dederint?

VII. *Syriacæ* affinem quidam volunt 1. Verſionem Armenam, quæ in totum corpus Biblicum adornata à *Chryſoſtomo*, cùm in *Armeniam* relegatus eſſet Imperatoris decreto, ubi & vitam finiit, teſte *Sozomeno lib. 8. hiſtor. 22.* adde *Angelum de Rocha* pag. 157. 2. *Ægyptiacam*, quæ, ſi fides *Kirchero*, circa tempora *Concilii Niceni* effloruit. 3. *Æthiopicam*, quam habuit in totum V. T. *Gaulminus in Galliâ: Quod exemplar ope D. Bigo viri undiquaque doctiſſimi conſecutus fuiſſet Walthonus, niſi quod exemplar ipſum Sereniſſimæ Reginæ Suecorum commodatum, & in ipſius Bibliotheca repoſitum, fortuitò an fraude alicujus neſcio, amiſſum, haberi non poterat*, ſcribit Walth. Proleg. 15. ſect. 10. diſſertat. Videatur Epiſtola Dn. *Jobi Ludolphi de verſione illâ* ad *D. Hottingerum*, quam juvat ſubjicere. *Æthiopica Veteris Teſtamenti verſio*, ſcribit ille, *non ſecundùm Hebraicum textum, ſed ſecundùm Græcam verſionem facta eſt; idq; ex ipſa verſionum collatione ſtatim cognoſcitur. Nam ſenſus Græcorum ubiq; in Æthiopicis exprimitur: ordo capitum, & in Pſalmis, inſcriptiones ſervantur: & quod omnem tollit dubitationem, voces Græcæ difficiliores paſſim non explicatæ relinquuntur. Unde paulò infelicior hæc evadit verſio, dum nempe Græcorum errores aut lapſus manent, & alii, ex non intellectis Græcorum ſive ſenſu ſive vocibus, ſuperadduntur; ita ut multis in locis perparum lucis textui exinde affulgere poſſit. Retinentur autem vocabula Græca adeò ſuperſtitioſè & imperitè, ut ne caſus quidèm mutetur. Et dari voces poſſunt, quæ in omnibus ferè Græcorum caſibus reperiantur. Unde ſæpè inter Æthiopes miræ diſquiſitiones Grammaticæ oriuntur, quo potiſſimum modo tale vocabulum peregrinum orthographicè ſcribendum ſit. Quæ ignorantia maximè elucet, in terminis artium, aliisq; rebus peregrinis, ut animalibus, gemmis, plantis, &c. Ubi mireris, Græcum vocabulum alibi explicari, alibi retineri, tanquam ipſe interpres ſibi non conſtiterit. Nonnulla quidem verterunt, ſed ita, ut quid pro quo ponerent. Nam Æthiopica vocabula ſæpè diverſiſſimum quid à Græcis ſignificant. Jam mira audias, quid peregrina iſta ſignificare putent, dum veſtes pro gemmis & viceverſa accipiunt; quemadmodum* אבן אצמר צדף *ἐπωμίδα, ποδήρη, per appoſitionem generis, lapillum eſſe putavit author Orga-*

ni. A

ni. A quo autem, & quando iſtæ verſiones factæ fuerint, & ex qua potiſſimum verſione Græcâ, nondum cognoſcere potui. Diverſos autem fuiſſe Veteris & Novi Teſtamenti interpretes, ex eo apparet, quod res eædem diverſis vocabulis reddantur: aliter in V. aliter in N. T. nam in V. T. pro כאס *(χοῦς) Congiis, in N. T. legitur* בדס; *itaque ignoravit interpres χοῦς idem eſſe ac βάτος* בת *Hebr. Verùm iſtud ex nullâ re magis, quam ex gemmarum nominibus apparet. Quippe Æthiopum* סוסו *ſive vocabularium ſic habet:* גרין בארת אינכין בחזקאל יכנת באב קלמסס *Item:* סם בארת כלכדן באב קלמסס *Et ita de reliquis. Quibus innuere vult Nomenclator, quo pacto eadem gemma aliter in Pentateucho, aliter in Ezechiele, & aliter in Apocalypſi vocetur. De verſione autem Novi Teſtamenti, & impreſſione, quæ Romæ Anno 1548. facta eſt, nihil nunc addo, de ea enim jam ante in Epiſtola de libris Abiſſinorum, quæ Bibliothecæ Orientali inſerta eſt, ſatis dixi. Linguam ipſam quod attinet, eam notiorem eſſe puto, quam ut hic pluribus debeat deſcribi, extant enim jam paſſim Codices Æthiopici tam impreſſi, quàm Manuſcripti, ex quibus ejus natura & maxima cum Arabicâ lingua affinitas facile cognoſci poteſt. Id tantùm paucis monendum videtur, vernaculum olim fuiſſe Tigrenſium idioma; quo tempore dialectus Tigrana, cum Regia Axumæ in Regno Tigre eſſet, prævalebat. Unde etiamnum illa dialectus quam proxime ad hanc noſtram linguam accedit. Et ſi cæteri Æthiopes de vocis cujuſdam ſignificatione dubitant, Tigrenſes conſulunt, num apud illos forte adhuc reperiatur. Verùm, poſtquam Reges ex Ambarâ petiti fuerunt, prolatisq; imperii finibus, non in Urbibus, ſed in caſtris degere cœperunt, Ambarica dialectus invaluit, eaq; nunc in vulgari & præcipuo uſu eſt. Cur autem Linguam Æthiopicam Potkenus, primus Æthiopicorum librorum editor, Chaldæam vocaverit, incertum eſt; Jam dudum illi vivo controverſiam propterea movit Ambroſius Theſeus, in libello, quem de variis linguis edidit, Indicam eam nominans, more priſcorum, qui pleraq; peregrina, ex Zona torrida venientia, Indica vocabant; Æthiopes autem ipſi hanc ſuam linguam nullatenùs Chaldæam, ſed vel Æthiopicam, vel* לסן געז *Linguam ſtudii, vel* לסן מצחף *Linguam librorum appellant. De reliquis dialectis atque linguis, quarum plurimæ, & quidem multum inter ſe differentes, in tam vaſto Im-*

perio deprehenduntur, nihil nunc attinet dicere. Sola hæc noſtra Æthiopica in ſcriptis uſurpatur; Ambarica, quæ & regia dicitur, in ſermonis uſu principatum obtinet; nec ſcripturam ingreditur, niſi ſcribentis imperitia, vel cum difficilior Æthiopica vox eſt explicanda.

VIII. De *Verſione LXX. Interpretum* multum fuit litigii & olim & noſtro tempore inter eruditos: nos eò usque progredi non poſſumus, ut ſtatuamus, illam eſſe authenticam, quanquam dignitatem quandam, & authoritatem illi non denegemus. Nam 1. *Malachias* Prophetarum fuit ultimus, Virorum θεοπνεύςων meta & terminus. Cum itaque verſio à LXX. Interpretibus demum poſt illius tempora cœperit confici, ideòque ad illud dignitatis faſtigium illam admittere non poſſumus. 2. Quia illam procuraſſe dicitur *Ptolomæus* Rex, promoviſſe *Eleazarus*, concinnaſſe *LXX. Viri*, qui nullo immediato ductu gaudebant Spiritûs. 3. Quia in illâ Verſione ſeptuaginta Interpretum varia proſtant indicia deficientis ingenii humani in exprimendo nativo ſenſu textûs Hebræi, omittendo, addendo &c. Quæ produnt, quanti ſit facienda illa; & quamvis ab Apoſtolis aliquoties fuerit adhibita in libris Nov. T. non tamen hoc factum ſemper, neque neceſſariò, ſed liberè, denique non ex ſuppoſitione authenticæ authoritatis, ſed ex ratione familiaritatis.

IX. An ſola lex *Moſaica*, an verò etiam ſcripta *Prophetica* fuerint ab illis translata in Græcum idioma, diſputant itidem, qui hanc materiam occuparunt. *Juſtinus* in *dialogo cum Tryphone*, *Irenæus*, & *Clemens Alexandrinus*, & *Epiphanius*, *omnia ſcripta Vet. Teſt. translata eſſe*, aſſerunt. 2. Cellulis fuiſſe diſtinctos Interpretes, *Juſtinus* ſtatuit, & *ſe*, *cùm Alexandriæ verſaretur*, *vidiſſe ædicularum veſtigia in Pharo Inſulâ*, & *rem ſibi à Majoribus traditam ab incolis exaudiſſe*, refert. *Hieronymus* tamen rectius: *neſcio quis*, inquit, *primus author LXX. cellulas mendacio ſuo extruxit*, quibus diviſi, eadem ſcriptitarent. 3. *Miro concentu & conſenſu totum hoc opus adornaſſe & abſolviſſe*, quidam volunt, quod tamen ab aliis non absque ratione rejicitur.

X. Hanc verſionem adhuc ſupereſſe patet 1. ex eo, quod *Hieronymus* teſtatur *quæſtionibus in Geneſin*, cap. 2. *LXX. vertiſſe*: Κατὰ ἀνατολάς: & Tardema per ἔκστασιν. 2. Ex eo, quia illa dicta,

quæ

quæ ab Apoſtolis ex illâ verſione citata ſunt, leguntur adhuc in modernis codicibus. 3. Quia, teſte *Morino*, *Clementis Romani Epiſtola ad Corinthios à Patricio Junio Oxonii* ex antiquiſſimo manuſcripto Græcè edita teſtimonia V. T. habet ex verſione illa LXX. virali. Interim valde corruptam, vitiatam, labefactatam quamplurimi oſtenderunt.

XI. Miramur itaque 1. *Pontificios*, qui tanti faciunt hanc LXX. Viralem verſionem, *ut ex eâ velint textum originalem emendari*, de quo, præter *Huntleum*, *Sixtum Senenſem*, *Menochium*, videndi *Galeſinius commentario de Græcis Bibliis*, quem inſcripſit *Cardinali Montalto*, & *Morinus in præfatione ad Græca Biblia.* Quibus pollicem hodie premunt ex *Reformatis Ludovicus Capellus*, *Iſaacus Voſſius*, *Brianus*, *Waltonus*, & alii. 2. *Santem Pagninum*, qui, *illam penitus interiiſſe*, exiſtimat; *Joſephum Scaligerum*, qui in *animadv. Euſebian. ad annum 1234.* totam concutit hiſtoriam, *de Philadelpho per Demetrium procurante illius confectionem.* 3 *Jacobum Uſſerium*, *Epiſcopum Armachanum*, qui *in ſyntagmate de Græcâ LXX. Interpretum verſione*, quod prodiit año hujus Seculi 55. ſtatuit, *geminam verſionem celebratam hoc nomine apud vetuſtiores*, primam ſub *Ptolomæo* concinnatam, *quæ fuerit quinq; librorum Moſis*, alteram, quæ *Veterum Chriſtianorum, Moſis & Prophetarum compagis*, quæ *à Cleopatrâ ultimâ Alexandrinorum Reginâ eodem in loco adornata, primævæ ſucceſſerit, & ad hæc usque tempora mixta & corrupta conſervata fuerit.* Quam ſententiam quoque rationibus in medium adductis ſtabilire ſatagit; qui tamen nondum aſſenſum impetrat; partim, quia ſupponit, LXX. Seniores, qui in primo opere occupati fuerunt, tantùm libros Moſaicos transtuliſſe, quod ipſe *Deſpieres*, quem in ſubſidium vocat, non admittit; partim, quia oſtendi nequit, illam editionem, quæ tempore *Cleopatræ* condita, ſucceſſiſſe in locum & nomen primævæ: partim, quia, ſi *Chryſoſtomo* fides, adhuc illius tempore ſervata fuit editio LXX. Viralis: nec acquieſcit in illâ duplici verſione *Uſſerius*, ſed præterea ipſam *Cleopatrinam* multiplicat, ſcil. Germanam, quæ pro Germana habita fuerit LXX. & vulgatam, ſive communem, quarum prima repoſita ſit in *Alexandrinâ* Bibliothecâ, & in *Origenis hexaplis* collocata, altera verò, multis in locis ab illâ diſcedens, fuerit in uſu communiori, quod illud ipſum teſtimonium *Hieronymi*, quod adducit ex *Epiſtolâ 135.* refellit.

XII. Non

XII. Non diſputamus quoque illam hactenus à quamplurimis receptam ſententiam, quòd ſc. *Ptolomæus Philadelphus, Ptolomæi Lagi Filius, ſcripſerit Eleaſaro, & petierit ab eo, ut quosdam Interpretes mitteret*, de quo videndus *Joſephus lib. 12. cap. 2.* quanquam de numero illorum interpretum *ſeptuagenario* nihil velimus definire pro communi ſententiâ: remoram injiciente *Scaligero & Heinſio* in *Ariſtarcho ſacro cap. 10.* qui nomina confictа producunt.

XIII. Suo itaque abundent ſenſu, citra noſtrum calculum I. illi, qui putant, *Judæos Alexandrinos, imperitos linguæ ſanctæ, petiiſſe à quibusdam aliis Judæis, utriusq; linguæ, Hebrææ & Græcæ, gnaris, ut textum Hebræum in linguam Græcam transferrent, eo fine, ut & ipſi poſſent ἐρευνᾷν ſive ſcrutari Scripturas*: II. Illi, qui putant, *Ptolomæum Lagum, Regem Ægypti, petiiſſe ab Eleazaro Pontifice, ut Alexandriam viros doctos eâ de cauſâ mitteret*: III. Illi denique, qui putant, *Ptolomæum Philadelphum Filium à Patre, verſionem illam intendente, in conſortium Regni aſſumptum, & inde ei tribui, quòd procurarit, vel ipſius prudentiæ totius operis curam fuiſſe commiſſam, vel poſt mortem Patris demum abſolutam, atq; ideò ad ipſius rediiſſe honorem, quaſi author & promotor illius extitiſſent.* II. Illi, qui cum *Joſepho lib. 12. cap. 2.* præcisè *ſeptuaginta* numerant Interpretes, vel cum *Thalmudiſtis LXX. duos.* IV. Illi, qui ſingulorum nomina, & tribus non verentur in fabulæ augmentum enumerare, quòd ſcil. ex tribu *Juda* fuerint &c. *Quinam & quales fuerunt illi Interpretes Græci?* ℞ *Unâ fabulâ admiſſâ facillimè etiam aliæ inde pullularunt. Qui defendunt quod fuerint præciſè 72. Interpretes, ajunt illos 72. Interpretes fuiſſe electos ex duodecim tribubus, & fuiſſe aſſeſſores illius Magni Sanhedrin, quod Hieroſolymis erat congregatum. Rationem hanc dant, quia vocantur Seniores: atqui Collegæ illius Sanhedrin communitèr vocari ſolent Seniores. Præterea ſingulorum Interpretum nomina, & tribum, ex quâ oriundi fuerunt, enumerant. Ex tribu Juda dicuntur fuiſſe hi: Joſephus, Ezechias, Zacharias, Johannes Ezechias, Eliſæus.* Ex tribu Ruben: *Judas, Simon, Samuel, Adam, Mathias, Eſchemias.* Ex tribu Gad: *Nehemias, Joſephus, Theodoſius, Baſeas, Ornias, Datis.* Ex tribu Aſer: *Jonathas, Auxeas, Eliſæus, Ananias, Chabrias, Sachus.* Ex tribu Naphtalim: *Jaſachus, Jacobus, Jeſus, Gabateus, Simon, Zacharias, Somelus, Selemias.* Ex tribu Simeon:

meon: *Sabatheus*, *Jaſon*, *Jeſus*, *Theodorus*, *Johannes*, *Jonathas*. Ex tribu Levi: *Theodoſius*, *Jaſon*, *Jeſus*, *Theodorus*, *Jonas*, *Jonathan*. Ex tribu Iaſchar: *Theophilus*, *Abraham*, *Arſanus*, *Jaſon*, *Endemias*, *Daniel*. Ex tribu Zabulon: *Jeremias*, *Eleazarus*, *Zacharias*, *Baneas*, *Eliſeus*, *Datheus*. Ex tribu Ephraim: *Samuel*, *Joſephus*, *Judas*, *Joathes*, *Gabel*, *Doſitheus*. Ex tribu Benjamin: *Iſaelus*, *Johannes*, *Theodoſius*, *Arſamenes*, *Abiethas*, *Ezecelus*. Hæc omnia ab unico Ariſtæo inventa ſunt, & ex eo multi alii nimis creduli hauſerunt, de quibus meritò dici poteſt: Per gula pictorum, veri nil, omnia ficta.

XIV. Movit *Philadelphum* ad hanc verſionem procurandam ſtudium illuſtris bibliothecæ erigendæ, cui & colligendæ & augendæ præfectus *Demetrius Phalereus*, de quo vide *Ammianum Marcellinum lib. 22.* Exemplar, ad quod concinnata illa verſio fuit, Hebræus codex: ipſe verò labor non fuit terminatus in Pentateucho, ſed ad omnes libros V. T. ſeſe extendit, præter Apocryphos, quos *Theodotion* dicitur tranſtuliſſe.

XV. Diſpiciant itaque de fundamento ſuæ ſententiæ 1. doctiſſimus *Scaliger*, qui negat, *Demetrium* præfuiſſe huic Bibliothecæ, quia apud *Philadelphum* fuerit in odio; *Vitruvius*, qui Regiæ bibliothecæ *Ariſtophanem* Grammaticum præfuiſſe, opinatur; vel illi, qui *Helleniſtas* quoſdam *Alexandrinos* volunt fuiſſe verſionis hujus authores. 2. Qui cum *Philone Judæo* volunt, translatam eſſe hanc verſionem ex textu Chaldaico; aut, cum *Guilielmo Poſtello*, *in tabulis omnium linguarum*, *tabula ſecunda*, ſaltem quoad Pentateuchum dicunt concinnatam ex codice *Samaritano*: quem ſecuti *Ludovicus de Dieu in commentario ad* Matth. cap. 19. ℣ſ. 5. *Seldenus de mari clauſo* p. 37. imprimis verò *Morinus*. 3. Illi, qui cum *Joſepho*, *Thalmudiſtis in tractatu Sopherim cap. 1. ſect. 8. Salmaſio* & *Schickhardo*, ex brevitate temporis, 72. dierum ſc. concludere volunt, quæ tamen valde ſuſpecta: aut cum *Rabi Gadali, in catena Kabbalæ*, neſciunt, quo ſe vertant.

XVI. Sicut ergò non improbandus labor quorundam transferentium libros ſacros in linguam vernaculam, utpote non tantum licitus, ſed & utilis, atque certâ ratione neceſſarius, vi dicti *Paulini* 1. Corinth. 14. ℣ſ. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *Si veniam ad vos linguis loquens &c.* Ita vel maximè probandum eſt ſtudium B. *Lutheri*, &

Collegarum in adornandâ verſione V. & N. Teſtamenti librorum, quod commendant etiam *Calviniani*, maximè verò *Sixtinus ab Amamâ*, in *Oratione præmiſſâ Antibarbaro Biblico*, ſcribens: *verſionem B. Lutheri qui non magni æſtimet, næ is indigniſſimus eſt, qui in ullo æſtimio ſit.*

XVII. Quàm immanes igitur ſeſe exhibent *Pontificii*, qui 1. cum *Alphonſo à Caſtro*, blaſphemè docent *lib. 1. adverſus hæreſes cap. 13. p. 33. plus nocumenti inferri ex libris ſacris in linguam vulgarem verſis, quàm ex lectione Gentilium Philoſophorum.* 2. Fallunt, qui cum *Tirino in indice controverſiarum fidei controv. 2. De Verbo* DEI, fingunt, *vernaculas cujusq; Gentis & linguæ translationes & editiones non prohiberi ab Eccleſiâ Romanâ, (ut fingunt hæretici) ſed ſaltem ad evitanda incommoda prohiberi, ne quis citra facultatem iis utatur*; cùm tamen apertè contrarium demonſtrari poſſit ex *Indice Expurgatorio Hiſpanico Madriti* excuſo, in quo abſolutè prohibentur *Biblia* omnia, & eorum partes quælibet, quæcunque vulgari linguâ à quocunque authore edita: & verba in *regulis mandatis & monitionibus præfixis indici expurgatorio* ſunt ſatis clara. *Regula quarta: verſiones Bibliorum &c.* & *regula quinta: cum experientiâ &c. p. 25.* 3. Inhumanos ſe præſtant, qui cum *Bellarmino lib. 2. de Verbo* DEI, *cap. 11.* non verentur ſcribere: *Lutherum Biblia peſſimâ fide convertiſſe.* Cum *Laurentio Forero* inter *characteres Lutheri* hunc ponunt ſecundum: *Lutherus Bibliorum depravator.* Cum *Jodoco Keddio* ſcribunt: *in infinitis penè locis Lutherum Scripturam corrupiſſe*, ut ex ejusdem mihi conſtat Epiſtolâ ad Illuſtrem Virum exarata.

XVIII. Verſio Vulgatæ, ita dictæ, quòd Eccleſiis facta communis, incerti eſt authoris, neque authentica & infallibilis, vel præferenda fontibus, rivulus ſc. origini ſuæ: inprimis ſi attendatur, quòd non illimis, ſed ſordes vehat non unius generis, in quibus tollendis occupati fuerunt ipſi Pontifices *Sixtus V.* & *Clemens VIII.* octo millia Errorum notavit & emendavit *Iſidorus Clarus Brixianus.*

XIX. Non poſſumus illis 1. accedere, qui cum *Auguſtino Steucho Eugubino, Maſio, & Sutore*, hanc verſionem abſolutè tribuunt *Hieronymo*, cum longè probabilius dicatur, illam eſſe mix-

tam ex duabus. De quâ vide apud *Baronium ad annum* C H R I-S T I *231. S. 41.* 2. *Patribus Concilii Tridentini*, qui *ſeſſione 4. decreto 1. & 2.* ita definiunt. *Poſt Concilium Trident. longè major fuit Vulgatæ Verſionis authoritas propter decreta, quæ illud Concilium de Verſione Vulgatâ decrevit.* Seſſione 4. decreto 1. ſic ajunt: *Si quis libros ipſos integros, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſiâ Catholicâ legi conſueverunt, & in Veteri Vulgata Latina Editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, anathema ſit.* Et decreto 2. ita pergunt: *Inſuper eadem S. S. Synodus conſiderans, non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ* D E I, *ſi ex omnibus Latinis Editionibus, quæ circumferuntur, ſacrorum librorum, quænam pro authenticâ habenda ſit, innoteſcat, ſtatuit & declarat, ut hæc ipſa vetus & vulgata Editio, quæ longo tot ſeculorum uſu, in ipſâ Eccleſiâ probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus, pro authenticâ habeatur, & ut nemo eam rejicere quovis prætextu audeat vel præſumat.* 3. Illis, qui vel cum *Melchiore Cano* de locis *Theol.* ſcribunt: *aut veterem Interpretem Spiritus S. peculiari dono ſacras literas convertiſſe, aut ſaltem habuiſſe Spiritum quendam Prophetico vicinum.* Cui accedunt proximè *Julius Cæſar Bulenger, Antonius Poſſevinus, Stapletonus, Pineda, Azorius, Ludovicus de Tenâ, Deza.* Vel cum *Bellarmino* & *Banneſio* Concilii decretum accipiunt de authentiâ verſionis vulgatæ, quoad dogmata fidei & morum. Quibus ſubſcribunt *Baſilius Legionenſis, Sebaſtianus Perez Epiſcopus Oxonienſis, Vega, Oviedo:* Vel cum *Tirino* illam immunitatem erroris etiam ad rerum geſtarum hiſtoriam protendunt.

XX. Traditiones cùm pulſent perfectionem Scripturæ, ideòque nullas non ſcriptas de fide & cultu D E I ad ſalutem æternam neceſſarias, quas certè conſtet eſſe verè divinas, & Apoſtolicas, hodiè extare aut ſupereſſe, ſtatuimus. I. Enim *omne* D E I *conſilium* in Scripturâ de illis, quæ ſalutem noſtram ſpectant, eſt manifeſtatum, ut conſtat ex Actor. 20. ℣ſ. 27. & cap. 26. ℣ſ. 22. II. Verbum D E I, quod fidem generare debet divinam, certum eſt & infallibile Rom. 14. ℣ſ. 15. Coloſs. 2. ℣ſ. 2. at de traditionibus nulla habetur certitudo, nulla infallibilitas. III. Si traditiones non ſcriptæ de fide & cultu D E I ad ſalutem æternam neceſſariæ Eccleſiis à

Viris θεοπνεύςοις fuiſſent commendatæ, illi etiam fideles ad conſummationem uſque ſeculi ad illas obſervandas obligaſſent, non perpetuò ad Scripturam revocaſſent, ad illam unicè adſtrinxiſſent, prima Concilia, ex illis hæreticos refutaſſent, exempla urgentia, quæ ex traditionum fontibus deducta, oſtendi poſſent, nec Patres tam graviter eos reprehendiſſent & redarguiſſent, qui in traditionum arenâ ædificare voluerunt, ut *Hieronymus* contra *Helvidium* ſcribens: *quæ abſq; authoritate & teſtimonio Scripturarum, quaſi Apoſtolicâ traditione, ſponte referunt, percutit gladius* D e i. Aliàs obſervant, quòd Traditionis Vox vel notet rem traditā, vel actum tradendi. *Traditionis enim vox, in ſermone Eccleſiaſtico, ambigua eſt: nam interdum ſumitur pro re tradita, id eſt, pro doctrina, ſeu hiſtoria, ſeu teſtificatione, ſeu ceremonia: interdum pro actione tradendi, ut cum ſignificat factum Eccleſiæ per manus tradentis Scripturam poſteris. Quum pro re tradita accipitur, tum interdum generaliter ſignificat doctrinam, hiſtoriam, aut ceremoniam, ſive ſermone nudo & vivâ voce, ſive ſcripto traditam: interdum ſpecialiter ſignificat aliquid ſcripto traditum, ut cùm Hieronymus ait, unam eſſe quadrageſimam ſecundùm traditionem, id eſt, hiſtoriam Evangelicam ab Apoſtolis ſcriptam, vel aliquid vivâ ſolùm voce traditum. Traditio, quum pro re tradita accipitur eſt è cauſis Efficientibus vel divina vel humana. Traditio divina eſt, quæ à* D e o *Eccleſiæ eſt commendata per Prophetas,* C h r i s t u m *in carne exhibitum, & Apoſtolos. Eaq; eſt è Subjectis vel dogmatica, vel hiſtorica, vel ritualis. Traditio dogmatica, eſt dogma ſeu doctrina de fide aut de bonis operib. Hoc ſignificato uſurpatur traditionis nomen,* 2. Theſſal. 2. ℣ſ. 15. *Nempe igitur, fratres, perſtate & retinete* τὰς παραδόσεις, *traditiones, quas docti eſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Et cap. 3. ℣ſ. 6. *Denunciamus autem vobis, fratres, qui inordinatè incedit, & non ſecundùm traditionem, quam accepit à nobis. Traditio hiſtorica, eſt hiſtoria, & narratio ſingularium dictorum aut factorum aut eventuum* C h r i s t i *aut Apoſtolorum aut aliorum: qualis eſt traditio de communione facultatum in primitiva Eccleſia,* Actor. 2. ℣ſ. 44. *Traditio ritualis, eſt ritus ſeu ceremonia. Eſtq; traditio ritualis è ſubjectis vel univerſalis, vel particularis. Univerſalis eſt, quæ in univerſis Eccleſiis obſervanda. Particularis eſt, quæ in particulari Eccle-*

ſiæ

ſia una aut pluribus obtinet: qualis erat obſervatio Agaparum, de quibus in epiſt. Jud. ℣ſ. 12. *Hi ſunt in agapis veſtris maculæ; dum vobiscum convivantur, ſecurè ipſos paſcentes, nubes aquâ carentes, ventis circumactæ, arbores emarcidæ, infrugiferæ, bis emortuæ.* Et 1. Corinth. 11. ℣ſ. 21. Actor. 2. ℣ſ. 46. *Ex adjunctis traditio ritualis eſt vel perpetua vel temporaria. Perpetua eſt, quæ immutabilis, ſemper obſervanda eſt usque ad finem mundi: ut Baptiſmus & Cœna Domini. Temporaria eſt, quæ pro circumſtantiarum, veluti temporum, locorum ac perſonarum varietate mutari poteſt, ac propterea libera eſt ejus obſervatio ac nequaquam perpetuò neceſſaria, qualis fuit Apoſtolica traditio de abſtinentia à ſanguine & ſuffocato,* Actor. 15. ℣ſ. 28. 29. & cap. 16. ℣ſ. 4. *Humana traditio eſt, quæ nuda hominum voluntate excogitata & in Eccleſiam introducta eſt: quales erant traditiones multæ Phariſæorum & Seniorum in populo Judaico, quales item plurimæ ſunt in Chriſtianas Eccleſias introductæ.*

XXI. Figmentum ergò cenſemus eſſe *Pontificiorum* I. exiſtentiam traditionum, quaſi, ut *Stapletonus* loquitur *in præl. prima contr. 4. quæſt. 1. art. 3. Apoſtoli in verbo ſcripto leviora tantùm tradiderint, ſed tantùm graviora fidei myſteria & ipſum religionis uſum ac ritum non publicè, ſed ſeorſim ſapientibus communicarint;* nec non illud traditionis genus repudiamus, quod moderni quidam Theologi de libris Canonicis & aliis quibusdam ſupereſſe contendunt. II. Neceſſitatem illarum, quaſi, ut *Bellarminus* loquitur, *præter Verbum* DEI *ſcriptum requiratur etiam Verbum* DEI *non ſcriptum, id eſt, divinæ & Apoſtolicæ Traditiones.* lib. 4. de Verbo DEI cap. 3. III. Diſtinctionem illarum in *Divinas, Apoſtolicas,* & *Eccleſiaſticas,* quarum *primæ* dicuntur eſſe *illæ, quæ acceptæ ſint ab ipſo* CHRISTO, *Apoſtolos docente, & nusquam in divinis literis inveniantur; ſecundæ, quæ ab Apoſtolis inſtitutæ ſint, non tamen ſine aſſiſtentia Spiritus S. & nihilominus non extent ſcriptæ in eorum Epiſtolis: tertiæ Eccleſiaſticæ, quæ ſint conſuetudines quædam antiquæ, vel à Prælatis vel à populis inchoatæ, quæ paulatim tacito conſenſu populorum vim legis obtinuerint.* Quæ diſtinctio vel ex eo vitioſa eſſe deprehenditur, quia Apoſtolicas traditiones contradiſtinguit Divinis, & Eccleſiaſticas ſupponit, quæ, ſi traditiones admittendæ, non ad illas eſſent referendæ,

utpote non niſi conſuetudines ab Eccleſiâ introductæ, vel in eâ obſervatæ, nunquam Verbo divino annectendæ.

XXII. Affinis eſt puritati Styli ſingularis resque divinas decens Nitor, gravitas & elegantia. Patet hoc 1. ex teſtimoniis ſacris Pſalm. 29. ℣ſ. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Jeremiæ 23. ℣ſ. 28. 29. Ebræor. 4. ℣ſ. 12. 2. Ex ipſâ lectione ſcriptorum ſacrorum: in Moſe enim deprehenditur hiſtoricæ veritati attemperata ſimplicitas, quæ in reliquis quoque res geſtas referentibus obvia; in *Prophetis* admiranda elegantia & dictionis ſuavitas: in *Eſaia* gratiſſima oris facundia, in *Jeremia* gravitas comminationum, in *Ezechiele* majeſtas viſionibus congrua, in *Daniele* profundum dicendi genus, & ſic de cæteris. Quis *Jobi* ſententias non animadvertit ſuperare omnes Cothurnos Tragicorum? *Pſalmos Davidis* non omnes numeros Poëtarum? quis *Salomonis Proverbia* non omnia apophtegmata Græcorum, ejusdem *Eccleſiaſten* omnes diſſertationes Practicorum, *Canticum*, Epithalamium ſc. illud ſacrum, omnem artem Theocriti & cæterorum? quis non ſtupet ad ſolius vel *Pauli* eloquentiam? quem *Lyſtrenſes* non fruſtra pro *Mercurio* habuerunt, Deo Eloquentiæ, Actor. 14. ℣ſ. 12. quem μεγαλοφωνότατον *Theodoretus* dixit, *electionis Vas, Tubam Evangelii, Rugitum Leonis, tonitru gentium, flumen Eloquentiæ Chriſtianæ* appellavit *Hieronymus* ad *Pamachium*. 3. Ex Patrum aſſenſu: Sanè *Auguſtinus lib. 4. de doctr. Chriſtianâ cap. 6.* præfert Virtutes & ornamenta Eloquentiæ ſacræ omni tumori profanorum. *Hieronymus* admiratur urbanam dictionem *Eſaiæ*, & addit: *Præ cæteris omnibus florem Sermonum ejus non potuiſſe in translatione ſervari*; quantum tribuat Scriptoribus ſacris *Johannes Franciſcus Picus Mirandula*, patet ex comparatione, quam inſtituit inter *Ciceronem* & *Eſaiam lib. 2. examinis vanitat. gent. doctrinæ*; quantum *Theodorus Bibliander*, liquet ex verbis *in ratione diſcendi Hebraica*, in quibus *Eſaiæ* tribuit *voces bellas, & emblemata teſſellata, quæ ſic aures ejus demulſerint, ut non putarit Iſocratis tinnulam compoſitionem majori ſuavitate blanditam vel delicatiſſimis Græcis*, Adde *Nicolaum Cauſinum*, in *libro de Eloquentia ſacra & profana*.

XXIII. Contemnendi itaque ſunt 1. illi literatores ex *Pontificiis*, qui ad ingenium *Angeli Politiani* Scripturarum lectionem penitus rejiciunt, & *nunquam pejus collocari tempus, quàm ſi illi* *conſu-*

conſulantur, blaſphemè dicunt, aliis intenti, ſc. *dicendum ne ſit, Virgilius an Vergilius, Carthaginenſis an Carthaginienſis*; vel *Domitii Calderini*, qui easdem inflavit tibias: & quidem ille, ſi quid otii ſuperfuit, carmen aliquod Græcè compoſuit in laudem præpoſteræ Veneris, hic verò in Priapæis Virgilii exponendis vitam ſuam transegit. A quibus non longè abfuit *Henricus* quidam, *Jeſuitici* ordinis homo, & *Collegii Albertini Regens*, qui *libenter ac ſæpius legere Scripturam, ſignum eſſe*, dixit, *non boni Catholici, ſed potius hæretici, qui ſe iſtis rebus, ceu ſimia nuce, delectent.* 2. Illi ex *Anabaptiſtis, Mennoniſtis, Wigelianis*, qui huic Eloquentiæ derogant, & *Apocalypſin primarium totius Scripturæ librum, ejusque initium, medium & finem*, ſtatuunt. 3. Qui cum quibusdam *Anglis* modernis, *Scripturam meram allegoriam, & quoad propria nomina & quoad perſonas ac res, eſſe, atque has allegorias eſſe myſteria, & ſpiritualem ſenſum ejus*, perverſè ſtatuunt.

XXIV. Addendum hîc aliquid ex occaſione, quod maximè ſtabilit integritatem Scripturæ, de quo ſupra egimus. Nam uti *Maſorethæ* omnia Bibliorum commata, omnes voces, omnesque literas numerarunt; ita Chriſtiani quidam pari diligentiâ & fide omnes verſus & Græcæ editionis V. T. & librorum N. numerarunt, obſervante *Joanne Crojo*, qui etiam demonſtrat illud ex ſubjecto ſchemate, quod ſupra in *diſputationibus de divinitate Scripturæ* produximus, notatque *Danielem Heinſium*, qui *in prolegomenis ad exercitationes ſacras* ſcripſerit: *accuratam eam ac ſtupendam, quæ in conſervando à corruptione, & vindicando priſci fœderis contextu, à Maſorethis adhibita fuit, in Novo hactenus adhibitam non fuiſſe*; & *in prolegomenis in Ariſtarchum ſacrum*, poſteaquam de ſtupendo illo Maſorethārum ſtudio induſtriâque dixit, ſtatim addiderit, *quòd in fœderis poſterioris libris nemo Chriſtianorum æmulatus.*

XXV. De variis *Scripturarum* partitionibus & origine diſtinctionum aliquid ſupereſt monendum. Prima diviſio totius codicis eſt in libros V. & N. Teſtamenti. Vetus Teſtamentum dividitur ab ipſo CHRISTO generaliter in Legem & Prophetas Matth. 7. ℣ſ. 12. magis ſpecialiter in legem Moſis, Prophetas & Pſalmos Luc. 24 ℣ſ. 44 Quanquam nomine Legis Synecdochicè ſignificarit aliquando totum Vetus Teſtamentum Joh. 15. ℣ſ. 25. Subdividuntur,

codex

codex *Moſaicus* in libros quinque, Prophetæ in *Nebijm Riſchonim*, ſive *Prophetas priores*, & *Nebijm Acharonim*, ſive *poſteriores*, priores veniunt illorum nomine, qui dicuntur *Joſua*, *Judicum*, *Samuelis*, *Regum*: poſteriores verò *Eſaiæ*, *Jeremiæ*, & cæterorum duorum majorum, & duodecim minorum, de quo Actor. 7. ℣ſ. 42. denique in *Ketubim*, qui libri à Græcis vocantur *Hagiographi*, in quorum ordinem *Judæi* referunt libellum *Ruth*, *Pſalmorum*, *Jobum*, *Proverbia*, *Eccleſiaſten*, *Canticum Canticorum*, *Threnos*, *Danielem*, *Eſther*, *Esdram*, *verba dierum*, *ſive Chronica*. Novum Teſtamentum verò generaliter dividitur in quatuor *Evangelia*. 2. librum *Actuum Apoſtolicorum*. 3. *Epiſtolas Pauli*, quarum quatuordecim, denique 4. reliquorum *Apoſtolorum* ſeptem, quæ dictæ ſunt aliàs *Catholicæ* & *circulares*, quibus tandem accenſetur *Apocalypſis* Johannis. De diſtinctionum origine hoc obſervant *Philologi*, illam, quæ eſt in capita, non eſſe ab Authoribus librorum, unde etiam *Elias Levita* refert, *Legem totam inſtar unius Paſuk olim fuiſſe ſine ullâ interſectione*; & in N. Teſt. libris citra capitis mentionem teſtimonia Vet. citantur; nec Patres Græci & Latini ſervarunt illam numeralem ſacrorum Bibliorum in capita & verſus diſtinctionem, quæ hodiè in omnibus conſpicitur. Videatur *Auguſtinus lib. 2. retract. cap. 24. Gregorius in proleg. 1. lib. Reg.* Eò progreſſi ſunt antiquiores per allegationem initialium verborum, ferè ut *Juris Doctores* hodiè ſolent facere, teſte *Sixto Senenſi bibliothecæ ſanctæ lib. 3.* De *Pſalmis* tamen admittunt, *numeris diſtinctos fuiſſe ex* Actor. 13. ℣ſ. 33. quis autem illos addiderit, non ita certum, quamvis *Hilarius* tribuat *LXX. Interpretibus*, & verſuum diſtinctionem deducat *Buxtorfius in Commentario Maſorethico cap. 8. Judæi* tamen diviſionem in capita etiam habent antiquiorem, & apud eos in citationibus & Sermonibus frequentibus uſitatam, majores & minores *Paraſchoth* & *Sedarim*, de quibus videndus *Elias Levites*. De Evangelio *Matthæi Suidas* teſtatur, *ſectum fuiſſe in* τίτλους ξή, κεφάλαια τνε, *ſive titulos 68.* & capit. 355. Marci in τίτλους μή, κεφάλαια λ, *titulos 48. cap. 36.* Lucæ *in* τίτλους πγ, κεφάλαια τμή, *titulos 83. capita 348.* Johannis *in* τίτλους ιή, κεφάλαια σλβ, *titulos 18. & cap. 232. Ammonius Alexandrinus* hiſtoriam *Evangeliorum* in 19. capita diſtribuit; *Tatianus* verò in capita 181. *Euſebius Cæſarienſis* in decem canones: *Hilarius* in triginta tres.

Sixtus

Sixtus Senenſis lib. 3. bibliothecæ ſanctæ, ſe in exemplaribus Latinis Bibliorum, quæ ab anno ſalutis noſtræ milleſimo prodierunt, duplicem inveniſſe capitum enumerationem, alteram vetuſtiorem & numeroſiorem, in quâ Evangelium Matthæi contineat capita nonaginta quatuor, Lucæ centum & ſeptem, Epiſtola ad Romanos quinquaginta; & recentiorem, quæ hodiè in uſu. Author incertus eſt; quidam enim volunt, ipſum fuiſſe *Arlottum Hetruſcum, ordinis Minorum, Miniſtrum Generalem.* Alii cum *Genebrardo, Sixto Senenſi,* & *Serario*, ſtatuunt, fuiſſe *Hugonem Cardinalem Burgundum, ordinis Dominicanorum*; τμήματα autem ſive κεφάλαια appelles, parùm referre videtur. Prius tamen vocabulum *Henricus Stephanus in Præfatione ad N. T.* magis probat.

XXVI. Diviſio Scripturæ V. T. in libros Legis, Prophetarum, & Pſalmorum, ſive Carminum, recepta in Scholis Chriſtianorum, & ita explicata, quòd libri *Moſis* comprehendant *Pentateuchum*, libri *Prophetarum Joſuam, Judicum, Ruth, Samuelis libros, Regum, Paralipomenων, Esdram, Eſtherem, Eſaiam, Jeremiam, Threnos, Ezechielem, Danielem, & duodecim Prophetas minores*: denique *Pſalmorum libri* contineant corpus *Pſalmorum Davidis, Jobum, Proverbia, Eccleſiaſten, & Canticum Canticorum*, ſi fundata in effato Chriſti: *oportet impleri omnia, quæ de me ſcripta ſunt in Lege Moſis, Prophetis & Pſalmis* Luc. 24. ℣ſ. 44 admitti poteſt, adſtipulante *R. Eliâ* Germano, qui ita: *Non omnes fuerunt quatuor & viginti libri unà colligati, ſed ipſi, ſc. Viri magnæ Synagogæ cum Esdrâ congregati, conjunxerunt eos, & fecerunt ex ipſis tres partes, Legem, Prophetas & Hagiographa*; & *Epiphanio hæreſi 39.* atteſtante, quod a *Nazaræis* & *Judæis* legatur: *omnis Lex, & Prophetæ, &* τὰ γραφεῖα λεγόμενα: quibus digitum intendit in Hagiographa: quanquam quibusdam obſtet, quòd non commodè liber *Joſuæ, Judicum, Samuelis, Regum, Paralipomenων*, dicantur *Prophetici*, cùm ſint hiſtorici; quòd præterea CHRISTUS ut uſitatam quidem allegarit inter Græcos, ipſam autem diviſionem non approbarit; denique non videatur *Pſalmorum* nomine aliud indicari, quam illorum faſciculus, quem *David* nobis exhibuit, nec comprehendi ſub illo titulo *Jobum, Proverbia, Eccleſiaſten & Canticum*; unde etiam volunt, CHRISTUM ibi nullam feciſſe mentionem librorum hiſtoricorum vel hagiographorum, quia reſpexe-

rit unicè ad vaticinia de Meſſiâ. Et ſubſtituunt aliam diviſionem, in quatuor ſc. partes, *Legalem*, quæ comprehendit quinque libros *Moſis*: *hiſtoricam*, quæ comprehendit libros *Joſuæ*, *Judicum*, *Ruth*, *Samuelis*, *Regum & Chronicorum* libros, *Esdram*, *Nehemiam & Eſtherem*: *Poëticam & doctrinalem*, quæ habet *Jobum*, *Pſalmos*, *Proverbia*, *Eccleſiaſten & Canticum Canticorum*: & tandem *Propheticam*, quæ numerat ſeptendecim libros *Prophetarum*, qui ſunt *Eſaias*, *Jeremias*, *Threni*, *Ezechiel*, *Daniel*, & *duodecim Prophetæ minores*.

XXVII. Diſplicet autem 1. Diviſio *Judæorum* in Legem, Prophetas & Hagiographa, eo in ſenſu, quo illi accipiunt & explicant, *quaſi* ſc. *ut Abarbanel* loquitur, *voluerint Doctores hoc modo indicare Judæi perfectionẽ omnium illarum partium, & vocarint primam partem Legem, ut diſtinguerent Legem* D E I *ab aliis libris*, *ſecundùm prærogativam gradûs*, *quam habet præ aliis ratione influxus*. 2. Illa diviſio in *Nebiim* ſive Prophetas, & *Ketubim*, ſive Hagiographa. 3. Diviſio in Legem, Prophetas & Hagiographa talis, ut in Prophetis diſtinguantur anteriores, *Joſua*, *Judicum*, *Samuel* & *Regum*, ſc. à poſterioribus, qui dicuntur eſſe *Eſaias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Oſeas*, *Joël*, *Amos*, *Obadias*, *Jonas*, *Micheas*, *Nahum*, *Habacuk*, *Zephanias*, *Haggæus*, *Zacharias*, *Malachias*, ita quidem, ut duodecim illi habeantur pro uno Prophetâ, & proinde cum *Eſaiâ*, *Jeremiâ*, & *Ezechiele*, conſtituant quaternarium, ut anteriores; ſub *Cetubim* tandem intelligantur *Pſalmi*, *Proverbia*, *Job*, *Canticum Canticorum*, *Ruth*, *Threni*, *Eccleſiaſtes*, *Eſther*, *Daniel*, *Esdras*, *Nehemias*, *Chronica*. Nam, ut cætera tranſeam, cur libri *Joſuæ* & *Judicum*, *Samuelis*, & *Regum*, accenſentur *Propheticis*? excluduntur verò ab illis libri *Chronicorum*, qui ejusdem conditionis? Cur temerè ſupponitur huic diviſioni fundamentum illud ruinoſum, & cum *Abarbanele* diſtinguitur *inter Prophetiam & Spiritum*, & dicitur, *illos, qui Hagiographa ſcripſerunt, non fuiſſe Prophetas*, *ſed duntaxat per Spiritum S. locutos fuiſſe*? Cur peculiares libros nomine *Ketubim* inſigniunt, cùm omnes libri Scripturæ ſint hagiographi? Denique cur excludunt *Danielem* numero Prophetarum, contra illud Daniel. 2. ℣ſ. 19. & cap. 7. ℣ſ. 2. *adde* Matth. 24. ℣ſ. 15. cum *Maimonide*, quem imprudenter ſequuntur *Druſius*, & *Hugo Grotius*, *annot. ad* Matth. 23 ℣ſ. 43.?

XXVIII.

XXVIII. Diviſio in verſus referenda eſt ad Authores Scriptorum, quanquam alii malint, illam tribuere *Esdræ* & *Synagogæ*, unde etiam *Thalmudiſtæ*, teſte *Eliâ*, dicunt in tractatu *Megillæ cap. 3. fol. 21. Quemcunq; verſum non diſtinxit Moſes, nos etiam non diſtinguimus eum:* diſtinctio autem in capita fuit humanæ induſtriæ, atque tribuitur à quibusdam *Stephano Langthono*, vel *Hugoni Cardinali*, unde etiam in Bibliis variat capitum diviſio, cùm, qui illa ediderunt, non ſeſe ad primam adſtrictos eſſe exiſtimarunt. vide th. 30. Quanquam *Judæi* moderni diſtinctionem in capita non rejiciant, ſed approbent, & æſtiment. Diviſio denique Pentateuchi facta eſt in varias ſectiones, quæ vel literâ פ vel ס vel tribus literis פפפ aut tribus literis סםס indicantur, quarum Author eſt incertus.

XXIX. Errant autem 1. *Judæi*, qui cum *Eliâ Levitâ* aſſerunt, *totam Legem fuiſſe quondam quaſi unum verſum, ſive unam ſententiam:* & diviſionem ab Authoribus factam negant, & *Maſorethis Tiberienſibus* tribuunt. 2. Dubitamus, *an*, quòd *Sixtus Senenſis* aſſerit, *ante quingentos annos nullus fuerit liber V. T. vel Ebraicus, vel Græcus, cum diſtinctione aliquâ capitum?* 3. Illi quoque *Judæi* nondum ſatis ſolidè demonſtrarunt, quod demonſtrandum, qui literarum ס & פ, in Pentateucho occurrentium, originem à *Moſe* vel *Esdrâ* arceſſunt; dubium quoque, an diviſio Pentateuchi in quinquagintaquatuor ſectiones ſit tribuenda *Moſi*, & non potius *Esdræ*, cùm illud non videatur poſſe probari: poſterius autem veriſimilius, certumque, antiquam eſſe diviſionem Vi locorum Actor. 13. ℣ſ. 15. & 27. nec non Actor. 15. ℣ſ. 21.

XXX. Diviſio librorum N. T. facta eſt in *hiſtoricos*, quatuor ſc. *Evangeliſtarum* & *Actuum Apoſtolorum: dogmaticos, Epiſtolas* ſc. viginti & unam: & Propheticum, *Apocalypſin* ſcil. *Johanneam. dupliciter verò ſubdividitur Codex ille: vel in partes quatuor, vel in partes tres. Prior diviſio in partes quatuor tali modo ſupputatur, ut* prima *contineat quatuor Evangelia, ſive hiſtoriam* C H R I S T I; Secunda *Acta, ſive hiſtoriam Apoſtolorum:* Tertia *Epiſtolas Apoſtolicas viginti & unam;* Quarta *denique ſolam Apocalypſin Johannis, librum unicum in toto N. T. propheticum. Poſterior diviſio, parumper à ſuperiori differens, eſt trimembris; quarum* Prima pars *comprehendit libros Hiſtoricos, ſc. Matthæum, Marcum, Lucam, Johannem & Acta Apoſtolorum.*

Secunda *pars continet libros dogmaticos, ſive epiſtolas viginti & unam, ſc. decem Pauli ad totas Eccleſias, videlicet ad Romanos, duas ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duas ad Theſſalonicenſes, & ad Hebræos; Quatuor ad certas perſonas, ſc. duas ad Timotheum, ad Titum, & ad Philemonem; & Septem deniq; aliorum Apoſtolorum, ſc. Jacobi, duas Petri, tres Johannis, & Judæ.* Tertia *Novi T. pars comprehendit librum Propheticum, qui vocatur Apocalypſis Johannis. Hæc diviſio trimembris, utpote in pauciores partes, quibusdam magis arridet.* Capitum, eſt vel vetuſtior, quæ in plura capita, vel recentior, quæ in pauciora. Cujus poſtremò Author, ſecundùm quoſdam, *Hugo Presbyter:* ſecundùm alios planè eſt ignotus: ita enim non nemo: *An Hugo Presbyter; aut Alexander Alenſis, aut Albertus Alenſis, aut Albertus Magnus aliquid contulerint ad hodiernam diviſionem Capitum nos latet: nec etiam novimus aſſignare præciſum tempus, quando hodierna diviſio eſt introducta. Sunt tamen, qui eam diviſionem adſcribunt Stephano Langton, vel ſuprà ſcripto Hugoni Cardinali: ſed præſtat ſub judice litem relinquere, quando nihil certi determinari poteſt. Nam authores non conveniunt. Quidam adſcribunt Hugoni Cardinali circa an. 1240. vel 1254. alii Scholaſticis quibusdam, qui circa annum 1243. unà cum Hugone Cardinali Concordantias Latinas conſcripſerunt. Hottingerus Hiſt. Eccleſ. Tom. 3. p. 347. 348. ſic ait: Hugo Cardinalis ſcripſit in univerſam Scripturam Commentaria, utens numerali citatione & enumeratione Capitum, quam nunc habemus. -- Primus in capitula ſacros libros diſtinxit. Primus Bibliorum indicem, quem vocant Concordantias majores, cum Conrado Alberſtadio Monacho collegit, conjunctis quingentorum Monachorum è diverſis cœnobiis operis, atq; omnia Nomina, Verba, Participia, deniq; omnes tam indeclinabiles, quàm declinabiles orationis partes, toto Bibliorum contextu comprehenſas, in Alphabeticum ordinem digeſſit, annotatis librorum capitibus & capitum lineis. Genebrardus ibidem allegatur, qui ad annum* CHRISTI *1243. ſic ſcribit: Circa hoc tempus Biblia in capitula, quæ hodiè habemus, diſtinguuntur, Scholaſticorum videtur eſſe inventum, eorum fortaſſe, qui cum Hugone Cardinali Concordantiarum fuère auctores.* Verſuum in libris N. T. tribuitur *Roberto Stephano,* Patri *Henrici Stephani.*

XXXI. Non adſtipulamur 1. illis, qui *quædam in N. T. libris*, putant, *non eſſe Canonica, ultimum* ſc. *caput Marci, à verſu nono:* Lucæ 22. ℣ſ. 43. 44. *de ſudore ſanguineo:* Johannis 8. à ℣ſ. 1. usque ad 12. Ut nihil dicamus de *Epiſtolâ ad Hebræos, Jacobi, ſecundâ Petri, ſecundâ & tertiâ Johannis, Judæ, & Apocalypſi.* 2. Illis, qui *Alberto Magno* aſſignant diſtinctionem capitum. 3. Qui verſuum diſtinctionem tribuunt *Auguſtino Juſtiniano Nebienſi Epiſcopo.*

DISPUTATIO TRICESIMA *De* THALMUDE,

THESIS I.

THalmud deſcribitur per Corpus Doctrinæ à Rabbinis compilatum, continens varii generis dogmata, inprimis autem jus civile & canonicum Judæorum, ut ad illud univerſa gens & Synagoga ſeſe componat; & dividitur in *Miſchnam*, ſive legem oralem, & *Gemaram*, in qua ſententiæ variantes diſcutiuntur, cujus præcipuus Author in Hieroſolymitano eſt R. *Jochanan* ex tribu *Joſeph*, cum duobus diſcipulis, Rabbi *Jehudâ Hakkadoſch*, ſicut Babylonici, quod compoſitum pro Judæis in Babyloniâ, Author Rabbi *Aſſe*, & Filius ejus Rabbi *Marcum*, Rabbi *Maremare.* Non autem primò eſt divinæ authoritatis: apertè enim ipſe DEUS, Deut. 5. ℣ſ. 2. *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio, neque auferetis ab eo.* Adde Pſalm. 19. ℣ſ. 8. Secundò ſcriptum impium & fabuloſiſſimum. *Impium eſt, quod in Tractatu Cholin, p. 60. b. de* DEO *dicitur: Judæi credunt, ſolem & lunam 21. annos fuiſſe æquales; ſed poſtea, quia luna dicebat, impoſſibile eſt duos ſimul regnare: ideò* DEUS *imminuit lunam, quæ tum vix potuit placari: tandem* DEUS *præcepit Judaico, ut ſacrificium expiatorium pro ſe offerrent, quo hoc facinus perpetratum (abſit blaſphemia) expiaretur: ſic enim dicit Talmud* הביאו קרבן על שמיעמתי את הירח Offerte oblationem, eo quod lunam imminui. *Ita in Baſil. & Amſtelodamenſi Edit. legitur: ſed in Edit. Venetâ*

habetur pejus: הביאו כפרה עלי וכו׳ Offerte oblationem propitiatoriam pro me, &c. O quàm diverſus eſt hircus, qui Novilunio offerebatur, de quo dicitur, חטאה לאל in oblationem pro Dei peccato. Hircus iſte erit propitiatio pro me, quia lunam imminui. *In aliis Edit. habetur* זכרון *erit* recordatio, eò *quod lunam imminui. Blasphemum & putidum Judaicum mendacium eſt, quod legitur in Talmude, ſc. Deum, tanquam Ornatricem, diſcerniculo Evæ capillos ornaſſe, illi præcinuiſſe; & cum illâ in paradiſo ſaltaſſe. Hoc probant ex* Gen. 2. *Et adduxit eam ad Adamum, hoc eſt, Deus illam ad Adamum adduxit, eo modo, quo ſponſa adduci ſolet, eleganter nempe comptam & calamiſtratam, cum tripudio & ſaltatione. Præterea in Capit. R. Eliezer Cap. 12. legitur: Deum ipſum Adamo & Evæ in nuptiarum celebratione miniſtraſſe, & conopœum ipſum, ſub quo deſponſati ſunt, confeciſſe, Angelos tibiis & tubis choream duxiſſe & ſaltaſſe. Impium & baſphemum eſt, quod legitur in Baba Metzia cap. 7. Cum olim Rabbini quidam adverſus R. Eliezerem inſtituiſſent diſputationem, Deus, voce cœlitus demiſſâ, ſententiam contra illos pro R. Eliezer protulit; quapropter indignati Rabbini Deum anathematis pœnâ damnarunt; tum Deus ipſe ſubridens inquit, Filii mei me vicerunt.* 3. Non omni uſu deſtitutum, ſed Chriſtianis contra Judæos conducibile; arguit enim illos ſtupendæ cæcitatis & ignorantiæ, pronunciat aliquando contra illos, ut tractatus *Sanhedrin*, qui rugitum Meſſiæ confirmat.

II. Cæcitatis itaque arguuntur 1. Judæi, qui *Thalmud* præferunt Scripturæ, & *illud vino, hanc aquæ* comparant, Tract. *Sopherim* cap. 15. Vel, cum *Bechai, fundamentum Legis ſcriptæ* quærunt *in orali, neque illam* dicunt *poſſe explicari, niſi per hanc*, vel *ſtudium illius* commendant *præ ſtudio Scripturæ*, & tam abſurdi ſunt, ut aſſerant, *cùm horæ diei duodecim ſint, tribus Deum ſtudere in lege, aliis in Talmude*; & nihil putidius, quàm confingere legem oralem præter ſcriptam, atque dicere, illam contineri in Talmude, libro ſpurciſſimo. 2. Præpoſteri affectus, qui fabulas in illo palliare volunt ſimpliciter titulo parabolarum, ubi aliud dicitur, aliud ſignificatur. 3. Ignorantiæ, qui cum *Gregorio* IX. anno 1230. & *Innocentio* IV. anno 1244. omnia Thalmudica exemplaria, quæ haberi poterant, Vulcano conſecrarunt, cum *Julio* III. anno 1513. idem

decre-

decretum revocarunt, & per omnes Italiæ urbes executi ſunt: atque cum *Paulo* IV. duodecim Thalmudicorum voluminum millia flammis curarunt abſumi: cum *Johanne Pfefferkornio*, cui acceſſit *Hogoſtratus* Inquiſitor, *Colonienſes* & *Pariſienſes* ſub *Ludovico* XII. Theologi, omnia ſcripta Judæorum abolenda contendunt. Inſigne quoque Spiritus contradictionis ſpecimen ediderunt in hac materiâ *Pontifices*, quorum aliqui contra libros illos ſupra recenſitos pronunciarunt, alii cum *Leone* X. pro *Reüchlino* ſteterunt, cum *Clemente* V. verſionem in linguam Latinam imperarunt, & cum *Pio* IV. tolerari voluerunt. Vide *Indicem expurg.* ſub literâ T.

III. De Rabbinorum Commentariis pauca hæc addimus: non uno modo illos adornare ſolere Rabbinos: *Primus modus ſcribendi Commentaria Biblica eſt prolixus valdè, adeò, ut Commentatores tales omnia, quæ ſub aliquâ ſpecie adſerri poſſunt, etiam proferant: ſic ait Aben-Ezra:* מפרשי התורה הולכים על חמשה דרכים הדרך האחת ארוכה ורחבה ומנפשות אנשי דורנו נשגבה. ואם האמת כנקודה בתוך העגולה, זאת הדרך כקו הרחב הוא החוט הסובב בתחלה Interpretes legis incedunt quintuplici viâ. Prima via eſt longa & lata, & ab animis virorum noſtræ generationis exaltata, &, ſi veritas eſt ſicut punctum in medio circuli, iſta via ſicut linea latitudinis, hoc eſt, filum ambiens in gyro. *Hæc commentaria ſe habent ad textum Hebræum, tanquam circumferentia ad centrum ſuum. Aben-Ezra ibidem ait, Arabes præcipuè talibus prolixis Commentariis gaudere; & adfert tres tales Commentatores, quorum primus eſt Rabbi Iſaacus, qui compoſuit duos libros in* 1. Caput Gen. *quiq; occaſione lucis* ꝟſ. 3. *totam Opticam, occaſione plantarum* ꝟſ. 12. *totum Herbarium, & occaſione animalium* ꝟſ. 24. *totam Phyſicam tractavit. Secundus eſt Rabbi Saadias Gaon, qui occaſione aſtrorum* Gen. 1. ꝟſ. 14. *totam Matheſin explicavit. Tertius eſt Raf Schemuel, qui occaſione verborum* Gen. 28. ꝟſ. 10. *& exivit Jacob, totum Itinerarium conſcripſit. Sunt nonnulli inter Chriſtianos, qui Arabes Judæos hâc in parte ſequuntur; putant enim, ſe eruditos eſſe, & eruditionem ſuam oſtendere, quando ſpiſſa tantum volumina conſcribunt, etiamſi omnes ſcientias confundant. Schickhardus facit mentionem alicujus Haſelbachii, in Acad. Vienenſi Profeſſoris, qui viginti duos annos inſumpſerat in explicatione Capi-*

ne Capitis primi Jeſaiæ, nec tamen eandem ad finem perduxerat. Hic modus ſcribendi Commentaria improbatur; quia ſcientiæ non ſunt confundendæ: nam Phyſica, Matheſis, Optica, &c. ſunt diverſæ ſcientiæ à Theologiâ; & propterea eæ in Theologiâ ex profeſſo non ſunt tractandæ. Secundus *modus eſt ſuperiori planè contrarius, & ſoli textui inhærens, eſtque, quando Commentatores tantùm reſpiciunt ad textum, & ad illa, quæ in textu habentur, rejectis Traditionibus Oralibus, quæ ad legem divinam non pertinent. Aben-Ezra inter tales Interpretes numerat Chriſtianos & Sadducæos, quorum poſteriores ſecundùm ſententiam plerorumque Hebræorum iidem fuerunt cum antiquis & hodiernis Karræis. Ut ut ſit, ſaltem Karræi hunc modum commentandi, rejectis omnibus Traditionibus, tanquam additamentis ad Legem, eligunt; & propterea hodierni Judæi, ſecundùm Traditiones magis viventes, quàm ſecundùm Legem Moſaicam, illos Karræos ſummopere oderunt. Hi Karræi hebraicè vocantur* קראים Scripturarii *ſive* Biblici, *à* קרא Scriptura Sacra, *quia ſoli legi Moſaicæ mordicus adhærent. Horum magnus eſt numerus in Polonia, Ruſſia, Turcia, aliisq; in locis. Vide ex profeſſo de Karræis diſſerentem Buxtorfium in Synag. c. 1. Hic modus commentandi, etiamſi Aben-Ezra eundem rejiciat, non eſt contemnendus: nam non datur Lex Oralis; ergò S. Scriptura ſecundùm eam non debet explicari.* Tertius *modus eſt allegoricus, eſtq; talis, quando literalis ſenſus S. Scripturæ tanquam nimis craſſus rejicitur, & pleraq;, quæ in Bibliis occurrunt, in Allegorias transformantur. Hic modus commentandi meritò ab Aben-Ezra rejicitur; quia ita allegorizando verus S. Scripturæ ſenſus literalis præteritur, & ſenſus fictitius, in Textu nullum fundamentum habens, excogitatur. Quando Allegoriæ fundantur in S. Scripturâ, tum non ſunt rejiciendæ; ſed Allegoriſtæ illi Hebræi ſæpè tales Allegorias formant, quæ non tantùm non fundantur in Textu, ſed quæ Textui ſunt plane contrariæ.* Quartus *modus exponendi S. Scripturam eſt Kabbaliſtarum, qui variis modis per literarum mutationem, transpoſitionem, vel per earum in numeros reſolutionem, aliisq; modis myſteria & dogmata quædam ex S. Scriptura eliciunt. Aliàs tredecim modos Kabbalæ numerant, & variis exemplis eosdem illuſtrant, qui ſupra videri poſſunt. Secundùm illos 13. modos quidam Commentatores*

myſteria

myſteria eliciunt. Aben-Ezra hunc modum explicandi S. Scripturam partim approbat, partim etiam rejicit. Non potuit planè rejicere, quia Judæus eſt: nam Judæi ſolent Kabbalam magnifacere, eamq́ legi ſcriptæ ad minimum æquiparare: ſed huic modo commentandi limites ponit, intra quos vult eos Commentatores ſeſe continere debere. Concedit, S. Scripturam ſecundùm antiquam Kabbalam explicari poſſe, ſed rejicit ſpeculationes novitiorum Kabbaliſtarum. Nos totum hunc commentandi modum, ut ridiculum & nugis plenum, planè rejiciendum eſſe judicamus. Ut hic modus clariùs innoteſcat, nonnullis exemplis eum illuſtrabimus: ex. gr. Quærunt, quare Pentateuchus incipiat à litera ב beth? *Reſpondent,* DEUM *ad duos mundos (*ב *enim in numero ſignificat* duo*) reſpexiſſe, ſc. ad mundum, in quo nunc vivimus, & ad mundum temporibus Meſſiæ, vel poſt ultimum judicium, futurum. Alii Kabbaliſtæ ajunt, Pentateuchum incipere à* ב, *quia ſunt duæ Leges, Lex Scripta, & Lex Oralis: vel quia* DEUS *creavit hominem conſtantem duabus partibus, animâ ſc. & corpore: vel quia* DEUS *mundum creare voluit cum* ברכה benedictione, *cujus prima litera eſt* ב. *Præterea Kabbaliſtæ excogitarunt rationes, quare in primo verſu Geneſeos ſint ſeptem voces, & viginti octo literæ: ajunt Moſen reſpexiſſe ad ſeptem planetas, & ad viginti octo lunationes, quæ menſem conſtituunt; aut ad viginti octo illa tempora, quorum Eccleſiaſtes* cap. 3. *mentionem facit.* Quintus *& ultimus modus eſt eorum, qui Textum Hebræum priùs explicant Gramaticè ſive paraphraſticè, deinde doctrinas nonnullas eliciunt. Hunc modum commentandi ſe obſervaturum eſſe dicit Aben-Ezra, quem etiam ut plurimum obſervavit. Eum etiam ſequutus eſt David Kimchi in commentariis ſuis, qui ſæpenumerò Grammaticè Textum Hebræum optimè explicavit; erat enim optimus Grammaticus. Sed Rabbi Schelomo Jarchi paululum ab hâc methodo declinavit; nam nonnunquam fabulas Thalmudicas commentariis ſuis Biblicis immiſcuit, à quibus duo præcedentes alieniores fuerunt. Ultimus modus commentandi à nobis etiam approbatur; & propterea tres illi Rabbini Schelomo Jarchi, & præcipuè Aben-Ezra, atque David Kimchi meritò magni à Judæis & Chriſtianis fiunt, quia ſæpè Textum Hebræum optimè explicârunt.* Quanquam autem paſſim impingant, muſcerdam pro pipere vendant, aliquem tamen uſum habere, non

videtur negandum, tum in vocum expoſitione, tum in phraſium elucidatione, tum in rituum declaratione, adagiorum illuſtratione, hiſtoriarum N. T. confirmatione, ut & ipſorum recentiorum Judæorum, ex Veterum commentariis loca de Meſſiâ exponentibus, repreſſione.

IX. Medium tenuere beati. Quapropter non adſtipulamur *Riberæ* & *Dominico Gorſiæ*, qui planè illos rejiciunt, nec illis, qui nimium tribuunt.

DISPUTATIO TRIGESIMA PRIMA

MANTISSA AD LOCUM DE SCRIPTURA,

THESIS I.

CIrculus eſt dicere, *credere ſe dogmata Religionis propter authoritatem Eccleſiæ, imò ipſam Scripturæ authoritatem,* & ſi ulterius quæratur, unde conſtet authoritas Eccleſiæ, quæ infallibilis & fundamentum fidei? dicere, *ex revelatione Scripturæ, perbibentis teſtimonium de Eccleſiæ infallibilitate.*

II. Nihili facimus 1. illa *Bellarmini lib. 3. cap. ult. in reſponſione ad 15.* ſcribentis: *Sciendum eſt, propoſitionem fidei concludi tali ſyllogiſmo: Quicquid* DEUS *revelavit in Scripturis, eſt verum: Hoc* DEUS *revelavit in Scripturis: Ergò hoc eſt verum. Ex propoſitionibus hujus ſyllogiſmi prima certa eſt apud omnes; ſecunda apud Catholicos eſt etiam firmiſſima: nititur enim teſtimonio Eccleſiæ, Concilii, vel Pontificis, de quibus habemus in Scripturis apertas promiſſiones, quòd errare non poſſint. Ut* Actor. 15. *Viſum eſt Sp. Sancto & nobis. Et* Luc. 22. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. At apùd hæreticos nititur ſolis conjecturis, vel judicio proprii ſpiritûs, qui plerumq; videtur bonus, & eſt malus: & cùm concluſio ſequatur debiliorem partem, ſit neceſſariò, ut tota fides hæreticorum ſit conjecturalis & incerta.* Non enim ſe extricat, ſed involvit circulo, quia in Minore propoſitione ſe prodit; nam in illa non acquieſcit, quia apud omnes certa eſt Major,

jor, neque admittit, in illam ultimatò fieri reſolutionem, ſed ſtatuit, *illam niti teſtimonio Eccleſiæ, Concilii, vel Pontificis.* Unde regrediendum ad illud: *quod teſtatur Eccleſia, Concilium aut Pontifex, illud verum eſt. At hoc* DEUM *revelaſſe in Scripturis, teſtatur Eccleſia, Concilium aut Pontifex. Ergò.* Major, cùm indigeat probatione, quapropter ita probatur: *Quicquid Scriptura teſtatur, illud eſt verum, Scriptura teſtatur, Eccleſiam, Concilium aut Pontificem teſtari verum. Ergò.* Si circulum hîc quis non animadvertit, Tireſiâ cæciorem eſſe oportet. 2. Illa *Gregorii de Valentia*, qui tum in *analyſi fidei*, tum in *Commentariis ad Thomam tom. 3. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 1.* ita progreditur: *Si quis rogetur, v. gr. quare credat* DEUM *eſſe unum & trinum? diſtinguat, utrum ſermo ſit de cauſâ ipſius fidei ſecundum ſe: cur videlicet firmiter & infallibiliter id credat: vel de cauſâ, ob quam acceptaverit eam fidem: ſi primum, reſpondeat,* quia DEUS *revelavit: ſi rurſus interrogetur, unde cognoſcat* DEUM *revelâſſe? Reſpondeat, ſe quidem non nôſſe id clarè, credere tamen eadem fide infallibiliter, & id quidem non ob aliam revelationem: benè tamen ob infallibilem propoſitionem Eccleſiæ, tanquam ob conditionem ad id credendum requiſitam. Si rurſus, unde cognoſcat propoſitionem Eccleſiæ eſſe infallibilem? ſimiliter dicat, ſe clarè non nôſſe, credere tamen fide infallibili ob revelationem Scripturæ teſtimonium perhibentis Eccleſiæ, cui revelationi non credit ob aliam revelationem, ſed ob ſeipſam, quamvis ad hoc ipſum opus ſit ipſâ Eccleſiæ propoſitione, ut conditione requiſitâ. Si autem quis rogetur, cùm & revelatio Scripturæ, & propoſitio infallibilis Eccleſiæ ſint obſcuræ & inevidentes, quid ipſum impulerit, ut hunc quaſi Labyrinthum rerum obſcuriſſimarum ingreſſus, ad fidem modo dictam acceptandam, hoc eſt, credendam revelationem propter Eccleſiæ propoſitionem, & hanc propter revelationem: ſeu, cur animum induxerit, velle credere, cum alioqui ipſâ ratione ſeu fundamento habitus fidei ſecundum ſe non impelleretur, tunc reſpondeat afferendo rationes atq; motiva clariora, quibus & ipſe inductus fuit, & quibus prudens induci poſſit ad acceptandam ejuſmodi fidem. Cujuſmodi ſunt antiquitas, perennitas, efficacia & harmonia doctrinæ, conſenſus inſignium virorum & populorum, conſtantia Martyrum, miraculorum confirmatio &c.* Cui adhinniunt *Serarius,*

rius, *Becanus*, & noviſſimè *Vitus Ebermannus in Bellarmino vindicato, quare credat*, D E U M *eſſe unum & trinum?* Ut enim non dicamus, malè diſtingui inter cauſam, cur aliquis credat, & cur fidem acceptet, cùm hæc ſint unum & idem, cùm aſſignarit cauſam, cur videlicet firmiter & infallibiliter credat, D E U M eſſe unum & trinum, quia D E U S revelavit, potuiſſet in hoc fundamento tanquam extremo & ultimo utique acquieſcere & ſubſiſtere. 2. Malè reſpondentem introducit, qui, ſi rurſus interrogetur: unde cognoſcat, D E U M revelaſſe, reſpondeat, ſe non noſſe clarè, poteſt enim hoc clarè noſſe, &, ſi credit eadem fide infallibiliter, & id quidem non ob aliam revelationem, benè tamen ob infallibilem propoſitionem Eccleſiæ, tanquam ob conditionem ad id credendum requiſitam, 1. fide divinâ, quæ ſoli debetur Verbo, fertur in teſtimonium Eccleſiæ, 2. ultra revelationem in Scripturâ propoſitam temerè progreditur; 3. conditionem ponit, abſque quâ tamen *Tertullianus*, & alii quàm plurimi, qui ſolâ lectione Scripturarum, vel Verbi prædicatione perſuadebantur, fuerunt converſi. Tertiò, ut concluſio, ſi reſolvitur, reſolvitur in præmiſſas, ut principia & cauſas: ita, ſi de reſolutione fidei eſt quæſtio, quæſtio eſt de principio, in quod reſolvatur, non conditione, nec per Eccleſiæ propoſitionem infallibilem aliud intelligit, niſi deciſionem Papæ, & illam non veretur appellare punct. 7. humanam, *divinitus inſpiratam.* Quid? quòd *Gregorius de Valentia* hoc ipſo loco dicat, *Revelationem divinam & propoſitionem infallibilem Eccleſiæ non minus obſcuram nobis eſſe, quàm alium quemlibet articulum fidei credendum;* & ad quæſtionem, *unde agnoſcatur, propoſitionem Eccleſiæ eſſe infallibilem*, reſpondeat, *ſe noſſe ob revelationem Scripturæ.* Quæ ſi circulum non referunt, neſcimus, quid ſit circulus, neſciunt, quotquot in Logicis de illo egerunt. Nec obſtat diverſitas objecti, & diverſitas rationis credendi, quâ elabi tentat *Gregorius:* duo quippe teſtes, quorum authoritas dubia, ètſi de diverſis teſtantur, tamen circulum ſuppeditant, & ſi ſufficit, ut revelationi non credatur ob aliam revelationem, ſed ob ſcriptam, quid opus conditione, Scripturâ exiſtente αὐτοπίςῳ? 3. Illa *Scoti*, *Gabrielis*, *Ockami*, *Durandi*, & *Medinæ lib. 5. de rectâ in* D E U M *fide cap. 11.* qui docent, *fidem divinam reſolvi in humanam Eccleſiæ authoritatem, miraculis*

lis & aliis motivis communitam, ita ut conſequenter illa authoritas ſpectet ad Objectum formale fidei; qui talem analyſin inſtituunt: *Credis* Deum *eſſe unum & trinum? quia* Deus, *qui eſt prima veritas, id revelavit; unde conſtat, tibi* Deum *id revelaſſe? quia Eccleſia Catholica tot portentis & motivis inſtructa id dicit. Quare verò tibi perſuades, in hac re eſſe credendum Eccleſiæ? Reſpond. quia tot argumentis & inductivis extrinſecis condecoratur Eccleſia, quæ reddunt prudenter & evidenter credibilia ea, quæ proponit, illaque eſſe à ſolo* Deo *revelata. In quo ſubſiſtendum.* Sed & hîc progreſſus remoram patitur, dum primò illi ſententiæ de propoſitione Eccleſiæ infallibili & conditione apertè adverſatur, & auctoritatem humanam Eccleſiæ cum motivis, quibus inveſtitur, ingredi partialiter ipſum motivum fidei formale ſtatuit: ſecundò teſtimonium humanum convertit in divinum & infallibile, ponitque illud ut fundamentum fidei divinæ: tertiò circulum non declinat, dum ſcil. miraculis communitam authoritatem fidei divinæ ſubſternit, quæ tamen miracula Eccleſiæ adhuc dubia & controverſa, & ſæpius putida, falſa & conficta, ut videre eſt apud *Valerium Magnum lib. 2. de regulâ credendi*, *Horatium Turſellinum* in libello de *Fauno Lauretano*, & impudentiſſimum *Gabrielem Küpferlinum* in libello *de Gratiâ Mariæ Dettingenſis, erga maleficos.* Adeò ut fruſtra ſe fatiget *Cardinalis Lugo diſput. 1. de fide, ſect. 5.* vindicare conatus hanc ſententiam, quam *Bannes* dixit *periculoſam. Dub. 4. Limit. ſecundâ*, argumenta ſolvendo, quæ communiter contra illam proponuntur. Unde alii confugiunt ad *authoritatem divinam Eccleſiæ*, & illam conſtituunt *objectum formale fidei.* A quâ tamen ſententiâ aliquatenus receſſit *Lugo*, fingens, *motivum ultimum fidei eſſe complexum quoddam moraliter unum, conſurgens ex divinâ revelatione præcedenti, & ex propoſitione Eccleſiæ, ſeu Parochi, quæ moraliter ſit loquela* Dei *reſpectu Parochiani, quem inſtruit.*

INDEX EXERCITATIONUM PRIMÆ PARTIS.

Exercit.
I. De Theologiâ pag. 1. ſeq.
II. De Revelatione p. 15. ſeq.
III. De Articulis Fidei Fundamentalibus p. 31. ſeq.
IV. De Religione Ejusque Notis p. 49. ſeq.
V. De Veritate Religionis Chriſtianæ p. 70. ſeq.
VI. De Argumentis Veritati Religionis Chriſtianæ Oppoſitis p. 89. ſeq.
VII. De Gentiliſmo p. 117. ſeq.
VIII. De Judaiſmo p. 141. ſeq.
IX. De Muhamediſmo p. 159. ſeq.
X. De Hæreſi p. 178. ſeq.
XI. De Schiſmate p. 201. ſeq.
XII. De Scripturâ p. 219. ſeq.
XIII. De Scripturæ Divinitate p. 228. ſeq.
XIV. De Eâdem p. 246. ſeq.
XV. De Teſtimonio Spiritûs S. interno p. 265. ſeq.